



farnes de Gloria Princ
II
6
142









XXX

Discorsi delli Nicolucci

FARN·E BVR



DIPHTERA IOVIS, SIVE DE ANTIQVA PRINCIPIS GLORIA.

Ex qua olim Ægyptiorum Reges Trimegisti

Ter Maximi Optimi : Sapientiss. ac Potentiss. sunt Appellati :

HENRICI FARNESII EBVRONIS I. C.
& Artis Oratoriæ Interpretis Regij,

Atq; in Strenua, & Augusta Intentorum Palestra Academici Intenti Conspirantis.

LIBRI III.

Quorum primus est de Virtute : alter de Sapientia : vltimus de Potentia Armati Principis,

Singuli verò omnes centum tenentur absoluti Elogijs,

Quæ ad Ægyptiacam disciplinam, Naturæ monimentis, Poëtarumque commentis,

Primùm figurata : deinde exemplorum testimonijs colorata,

Faciem repræsentant antiquam Regiæ Virtutis, & Gloriæ.





MEDIOLANI, M. DC. VII.

Apud Hieronymum Bordonum, & Petrum Martyrem Locarnum.

Superiorum Permissu.

AD IO FERNANDEZ VELASCVM

Magnum, & Auguſtum Militiæ, Togæque Principem:

HENRICVS FARNESIVS EBVRON.

QVÆ TRIA GLORIÆ VOCABVLA IOVI AB ANTIQVITATE SVNT ATTRIBVTA, IIS PRINCEPS PARITER AB EA SIC EST HONESTATVS, VT ETIAMNVN OPTIMVS: SAPIENTISSIMVS, AC POTENTISSIMVS DICATVR.

Optimus

QVIA, NEQVE IN DEO: NEQVE IN PRINCIPE VLLA EST VIRTVTIS, ET BENEFICENTIÆ MENSVRA: NEMOQVE IVRE CENSETVR ALIIS IMPERARE, QVI IIS, QVIBVS IMPERAT, NON SIT MELIOR. NAM COMMVNIS OMNIBVS NATVRÆ LEX HÆC EST, VT SEMPER MELIORIBVS OBEDIANT DETERIORES.

Sapientiſſimus

QVONIAM PRINCEPS IVS EST ANIMATVM, QVO ET IN TERRIS DIVINA, ET IN COELO HVMANA, IN FORMANDISQVE HOMINVM MORIBVS SAPIT VTRAQVE, SOLVSQVE CONSILIO FVTVRA: IVDICIO PRÆTERITA: INTELLIGENTIA QVÆ EXISTVNT CORRIGIT OMNIA.

Potentiſſimus

PROPTEREA QVOD VIM, ET NATVRAM OBTINET NVMINIS. QVI ENIM PRINCIPI PARET, CENSETVR DEO PARERE, CVIVS CVM SIT HOMINES VIRTVTE FABRICARE: FABRICATOS SAPIENTIA INSTRVERE, AC DEMVM INSTRVCTOS, POTENTIA TVERI, ET DEFENDERE.

Libros hos ſcripſi tres

QVORVM ALIOS ALIORVM INSCRIPSI NOMINIBVS, OMNES VERO' SIMVL S. T. AMPLITVDINI. ILLVD, VT EXCIPIAS A' MAGNIS VIRIS COMMENDATOS: HOC, QVIA IN TE TRIA ILLA CVM ADMIRATIONE SVSPICIO ATTRIBVTA, QVIBVS SVMMA ILLVSTRATVR.

Principis Gloria.

OPERIS ARGVMENTVM.


VIA nemo est mortalium, in quo non aliquid desideretur, iccirco Ægyptij Trimegistum fecerũt Principem, vt maiorem cum Deo, quàm cũ mortalibus censeretur Princeps habere affinitatem. Nec certè quicquam eius est Regia, nisi veluti quoddam orbis vniuersi Oraculum. in hac enim sola, ex iure siue togato, siue armato, tanquàm ex Apollinis Tripode, humano generi dantur responsa communis salutis, & vitæ. Tripartita quippè est iuris ratio: vna à Principe petita, quæ virtute definitur: altera de Cœlo accersita, quę sapientia terminatur: vltima naturæ est disciplina, cuius in claustris potentia Principis tenetur inclusa. inoleuit igitur olim apud Ægyptios vsus, vt Princeps, qui ius censetur esse animatum, Trimegistus ter maximus nominaretur. Nam cùm neq; Sacerdos fieret, nisi ex Philosopho: neq; Rex nisi ex Sacerdote, his virtutum gradibus, ad regiam dignitatem fiebat ascensus, vt primùm ex Philosophię penetralibus optimus: deinde ex retrusis Sacerdotum Adytis sapientissimus: ac demũ ex vi naturę recondita ad imperium euocaretur potentissimus. Quare Princeps statuitur esse is, qui omni ex parte sit maximus. hoc ipsum sentiens Plato in Dialogo XI. de legibus affirmauit à tribus Dijs artem prodire imperandi: à Vulcano, qui Virtutis: à Pallade, quæ Sapientiæ, & à Marte, qui Potentiæ auctor est, & opifex. quid ita? quia cùm Populus improbitate sit turpis: ignorantia iners, ac deniq; inopia, & imbecillis, & imbellis, est Principis, tanquã boni medici, primo morborum generi occurrere virtute: alteri mederi doctrina: ac deniq; inopiã arte imperandi procul repellere. Quæ res Principi nõ multũ facescit negotij. Nam sicuti Populus Principis: ita Princeps Dei est discipulus, quantumque homines Bestijs præstant ratione,

tantum

tantum Princeps hominibus antecellit quasi quadam diuinitate. Quare Homerus Principem asserit vim, & naturam obtinere Numinis: Plato personam induere communis omnium parentis, eò quòd eius intersit populum, & fabricare quod est virtutis: & educare, quod est sapientiæ, ac demum ab omnibus periculis tegere, quod tribuitur potentiæ. Summa tamen Imperij commendatio, in virtute Principis est posita. Siquidem plures Respub. vt ait Xenophon Socraticus in Cyri Pædia sunt euersæ administrantium culpa, quàm hostium atrocitate, & sæuitia. Quocirca si, vt ille ait, fieri posset, vt Ciuium Societas à vitijs perpetuò abstineret, eorum ex mortali, immortale redderetur Imperium. Nec in re minimè dubia, opus est probatione non necessaria. Etenim Athenas non hostis foris; sed intus Ciuium euertit inuidia: Spartam non peregrinorum bellum; sed Spartanorum sustulit auaritia: Ilium denique non Græcia; sed Paridis perdidit libido. Quare omni præsidio firmius est Imperium, ex cuius finibus pellitur animi vitium. scitè id Anacharsis. Nam vt culpam ex Imperio tanquam pestem capitalem exterminandam esse doceret, statuis, & imaginibus suis inscribebat, linguæ, ventri, & pudendis esse temperandum. Nam vt in detestatione vitiorum principium est sapientiæ: ita in sapientia fons, & origo est publicæ felicitatis. quod cùm sentiret Plato, consueuit dicere tùm fore beatam Rempubl. cùm aut Princeps inciperet sapere, aut sapiens regere. Nec id falsò quidem. Non enim Attalicæ opes: non Pactoli aureæ arenæ: non Cræsi: non Midæ thesauri sunt cum felicitate sapienter imperantis conferendi. Quare amo veteres, à quibus admonentur huius nostræ ætatis Principes perperam agere, si quicquam constituant sine Sapientum deliberatione. Etenim cur Antiquitas Cræsum cum Solone: Pausaniam cum Simonide: Periclem cum Anaxagora semper laudauit? Cur Homerus nunquã

Agamemnonem probauit sine Nestore? quia nihil est non miserum, in Imperio, quod vacat Sapientum Consilio. Nam Imperij & vires, & opes officiunt plus, quàm prosunt nescientibus vti. id olim cùm sentirent Lacedæmonij, nunquam apud eos Reges antè prælium inibant, quàm Musis sacra persoluissent. Aciem enim exacuunt ingenij sui studiosis, tolerantiamque & continentiam ministrant Musæ: quarum altera in sustinendis malis: altera in fugiendis voluptatibus consistit, qui vtramque virtutem possidet, is demum inuicti censetur esse animi. Etenim nunquam in bello inferior est superiore, qui imbecillitatem virium corrigit virtute. Nam cur paruus Vlysses vastum debellauit Polyphemum? in rerum discrimine non ingenium viribus: sed vires cedunt ingenio. Quare terribilior est hostibus armatis hasta Palladis, quàm framea Martis. Nam sicuti ab vna Aquila sexcentum fugantur aues: ita ab vno Imperatore; qui Imperator sit modo; summi sæpè funduntur exercitus. Siquidem pugna viribus: victoria paratur Consilio. Quocirca Antisthenes solitus est dicere omnia bona hostibus à Deo prę ter mentem oportere precari, eò quòd illa non sint possidentium, sed eorum, qui in bello possidentes superant virtute. vulgata est etiam in silentio Lacedæmoniorum auctoritas. Nam cur apud eos Dij Deæque omnes effingebantur armati? vt certè rem militarem prudentia: non prudentiam re militari definirent: docerentque necesse esse, vt in Reip. administratione, valeat plus, qui plus sapit: pareat, qui minus. Quanquam tamē Princeps sapiens numquam minus in secundis, quàm in aduersis rebus debet animo pendere. Nam propter rerum omnium vicissitudinem, ei rebus prosperis, vt Herodotus scribit de Polycratis Regno, negatum est stare diu.

HEN-



HENRICI FARNESII EBVRONIS DIPHTHERA IOVIS

Siue de Virtute Principis,

Ad

SAPIENTISS. VIRVM,

Totius Insubriæ Magnum Cancellarium,

DIDACVM SALAZAR.

Liber Primus.

Quòd non ex inculto & deserto: sed ex regiæ virtutis solo vtilitatis flores, honestatis fructus, gloriæque omnes legantur suauitates,

SOLVS MEDIVM NOVIT TENERE, QVI vir bonus est: solusq; omnibus prodesse: officere nemini.

Nam in moribus excessus nunquàm prodest: semper nocet Defectus.

Quare à Principe extrema sunt, & vitanda, & vetanda.

Quòd enim extra medium existit, & turpe, & nocens est, Viro igitur bono.

Nihil est neque in bonis, quod vlterius appetat: neque in malis quod timeat.

Alterum, quia virtus est omne bonum: alterum quoniam Asylum est, ex quo nemo ad malum reuelli potest.


Est enim virtus, in homine, absolutio humanæ naturæ, Nec ei, qui eam habet, aut vis, aut dolus, aut Paupertas officit.

Vis, quia omnia virtuti coguntur parere: Dolus quoniam viro prudenti à tergo sunt oculi:

Paupertas, quia cui benè conuenit cum paupertate, etiam in ipsa inopia diues est.

Nemini enim officit paupertas, nisi renitenti.


Præclarum igitur, & laudabile Principis est opus, Bonos viros fabricare.



QVOD IN ANTIQVISSIMA FAMILIA SALAZAR,
Diſciplinæ virtus, virtuti par & æqualis ſemper fuerit gloria,

Ad Sapientiſs. Virum, Magnum, apud Inſubres, Cancellarium

DIDACVM SALAZAR.





Vòd olim optimi quique viri, patrum appellarentur nomine, ſæpè laudare id, nunquàm mirari ſoleo. Quot enim ſunt, Didace Salazar, Heros doctrina, & virtute Ampliſſime, viri Sapientes: tot ſunt animorum fabri: tot ingeniorum opifices: tot communis vitę architecti: tot deniq; Deucaliones, qui norunt homines non tam reparare perditos, quàm fabricare peritos. Artem autem fabricandi homines M. T. Cicero officium appellauit: Cœleſtis & diuinus Plato virtutem vocauit: Princeps Peripateticorum Ariſtoteles morem nominauit: Iuſtinianus legem à legendo nuncupare maluit, eo quòd nulla ſit ars viuendi, & ſcientia quæ non omnis ſit in virtute legenda, & delegenda. Nec falsò mos, quaſi mors eſt dicta virtus. Nam vt in animi perturbatione, rationis: Sic perturbationis certus in virtute eſt interitus: ſitq; vt nihil videatur boni viri vita, niſi veluti quædam ratio in mortuo corpore animata. Quare plures ſpirant mortui, quàm

uiui.

viui. Nam aliud eſt vitam agere hominis; aliud contaminare; aliud viuere; aliud ſpirare; aliud hominem ſe præbere; aliud in hominis figura naturam belluæ retinere. id olim cùm ſentiret Socrates, nihil dubitauit aſſeuerare, plures in Græcia eſſe vrbes, quàm homines: quos autem admiſit Plato, non mortales, ſed mortiferos quaſi mortem ferentes nominauit. Nec ei tamen reclamare iam ſtudeo, qui virtutem à viuendo vult eſſe nominatam. Etenim cùm homo ad agendum, & intelligendũ, in lucem ſit editus, duplexque ſit eius vita, vna in actione, altera in veri contemplatione poſita: nemo certè nouit, niſi vir bonus, & intelligens, id eſt virtute inſtructus viuere. Nihil enim eſt virtus, niſi communis vitæ ius: nihil iuris ratio, niſi virtutis diſciplina, & inſtructio. Doctè quidem illi omnes: prudenter etiam Cicero, qui virtutem officium ab efficiendo iccircò nominauit, quòd quicquid ſit in bonis, id omne fiat virtute: nec viris vllum maius ſit virtutis præmium, quàm quòd fiant viri. Nec alia, puto, de cauſſa veteres virtutem, non viri: ſed fœminæ expreſſerunt imagine, niſi quia virtus, non natura, viros parit. Nam vt Muſici à muſica, ita viri à virtute ſunt, & facti, & nominati. Etenim quid olim fuit aut Socrates, qui de cœlo traxit Philoſophiam: aut Hercules, qui mundi fabricam reſtituit moribus perditam: aut Curius, qui malebat aurum habẽtibus imperare, quàm ipſe auro affluere, niſi vera germanaque Soboles virtutis? ex virtute pariter antiquiſſima gloriæ ſtirpe originem traxit, in proeminentiſſimis Cantabriæ montibus, FAMILIA SALAZAR: cuius nomen eſt glorioſum: fama admirabilis. Nam ſi nominis vim ad viuum velimus reſecare, nihil eſt Salazar, niſi Sapiens à Deo adiutus. in eo enim nomine, ſapiens contractis: Lazar, id eſt à Deo adiutus, productis ſcribitur literis. Omnes igitur ad virtutem & naui, & nari vno incenduntur hoc nomine. Etenim nunquam ſtultos audit: ſem-

per

per ſapientes exaudit Deus. Quare cùm Sapientiæ vis neq; ſine religione: neque ſine pietate: neque ſine obſeruantia: neque ſine veritate: nec ſine clementia: nec denique ſine vindicta vlla eſſe poſſit, quæ laus eſt earum omnium virtutum, quæ gloria quæ in vno non latitat SALAZAR nomine? quia iuris & togati, & armati ars, ſola eſt ſapientia, ſic in vtroque SALAZAR floruit familia, vt non tam videatur vniuerſas illas virtutes ſuo adumbrare nomine: quàm præclariſſimis rebus geſtis illuſtrare. Quæ enim religionis laus Lopes Garciæ tuo Tritauo tribuẽda eſt, qui armatus pro iuſtitia, & religione, nunquàm dubitauit hoſti, in omni rerum diſcrimine, iugulum ſuum oſtentare? qui ſplendor fulget pietatis, quo Petri tui abaui non illuminatur gloria, qui rem bellicam victoria: victoriam ſemper incredibili honeſtauit pietate? quod vnquam illuxit obſeruantiæ decus, quo Didacus auus tuus, non quaſi Sidus aliquod fulget inter mortales, qui ſemper maluit legibus obedire, quàm Imperij, in armis gubernacula tractare? quod veritatis lumen vllus, in ſcholis, affectauit Philoſophus, quo Sebaſtianus pater tuus, in ancipiti & dubio marte, nubeculas omnes non fugauit ignorantiæ? quæ in arce iuſtitiæ, ad terrorem ſeueritas eſt vindictæ, qua Aloyſius Garces auunculus tuus leuis armaturę Dux ſtrenuiſſimus non ſemper armatis hoſtibus fuerit formidoloſus? quod deniq; auxilium eſt ſperandum, aut optandum potius ex clementia, cuius ſpes miſeris, in Aluyſia Garces matre tua, non ſemper fuerit explorata? aliorum ſpem beneficentia: ſuam innocentia alebat, & animi integritate. Sapiẽter illa quidem. Nam cur ſæpè multos ſpes fallit? quia pauci norunt ſperare, cùm ars ſperandi non ſit in opinione: ſed in virtute: quarum in altera temeritas: in altera fidentia tantùm habitat, quæ res facit, vt nihil verear matronam eam doctis viris anteponere. Nam ſemper honeſtus eſt, qui iuſtè viuit: inhoneſtus ſæpè,

qui

qui doctè cogitat. Hoc enim est ingenij tantum: illud etiam probitatis. Quid? nulla series est virtutum: nulli honorum acerui, qui in tuo genere, & semine non teneantur quasi vno societatis vinculo conglobati. Atque LOPES GARCIA in primis Religionem armis sic coluit, & literis, vt vix vnquàm visus sit de via veriusque virtutis deflectere. quòd eò est gloriosius quò magis est admirabile, nusquàm errare. virtutis enim vna tantum est semita: erroris innumeræ. quid vna semita? rem, vt veteri fertur prouerbio, acu attingat oportet, qui ab omni se vē dicat errore, quòd nō solum est difficilè, sed etiam tam rarum, quo nihil sol vidit rarius. Nam metam attingere vna tantum, licet ratione varia verò, & multiplici via à meta recedere. Hic autem non solum virtutem bellicam, cum literaria coniunxit, sed etiam tanta religione vtramq; honestauit, vt & bellicosi, & docti simul viri nomen superarit splendore religionis. Deum enim dum sequebatur ducem, illud vitæ sibi circunscribebat curriculum, quo ne deflectere quidem poterat ab æquo, & bono. Quare nunquam adeò visus est rei militaris gloriam in armis, aucupari, quàm hoc semper refugere, ne vnus inter armatos milites videretur existere, qui insignia, non artem teneret rei bellicæ. Nam ad belligerandi disciplinam sic Mathematicam possidebat, vt neque bellum: neque agmen: nec acies: nec denique pugna ab vllo strenuissimo militum Duce, maiori arte, quàm ab eo, tractaretur. Nam Belli, ex Geometria: Agminis, ex Astronomia: Aciei ex Arithmetica: Pugnæ deniq; ex Musica maximas quasq; capiebat vtilitates. Quid? Arma, doctrinę: doctrinam, armorum semper texit præsidio; virtutes verò omnes vno religionis firmamento, quæ laus non adeò est LOPES GARCIÆ, quàm virtus tui generis, & seminis. Nam quorsum quòd Asia, & Lybia imbelles, & timidos parit homines? quòd Europa animo, & corpore varios? quòd Scyria deniq; effæminatos?

natos? vt certè nobis persuasum habeamus, neminem vnquam magnum virum euadere, nisi qui glorioso loco aliquo sit editus. Sicuti enim quæ frugum spes summa est, ea omnis in semine, ex quo gignuntur, est posita: ita in generis tui nobilitate videntur delitescere quæ maxima sunt virtutis, & gloriæ incunabula. Nam si infantes rei eius notam sibi retinent inustam, cuius ex desiderio laborauit mater: quid est tam consequens rationi, quàm vt quod virtutis, & doctrinæ monimentũ semper appetiuerunt flagranti animo, tui maiores, eius veluti quædam ad posteros fiat propagatio? præclarum est benè nasci, virtutis patrimonium, in quo Lopes Garciæ industria nacta est summæ gloriæ hæreditatem. eò enim is amabilior inter eos fuit, qui armis floruerunt, & literis, quò rarior est, in armorum vi, & literarum calliditate, sanctimoniæ vsus, & religionis. Nã vt Patroclus arma, non hastam, sibi assumebat Achillis: sic multi nomen induunt: pauci virtutem attingũt religionis. Quam obrem hæc vna virtus ad Lopes Garciæ gloriam magnus semper accessit cumulus. siquidem vt res bellica publicæ vtilitatis: sic religio ars est, & scientia vniuersæ salutis. Id olim vt docerent veteres, finxerunt Platonem, & Æsculapium ex Phœbo religionis caussa esse natos, quorum alter animis: alter corporibus mederetur. Morbus autem animorum, omnis est ex falsis opinionibus, prauisq; moribus: corporum verò ægrotatio, ex naturæ violatis legibus manat: medicina verò vniuersa ex religione, quæ ius, ad corporis incolumitatem, scriptum: non scriptum, ad animi integritatem, magis habet expeditum, & accõmodatum. Quid? nihil est religio, nisi medicina petita de cęlo, qua æquè animi, & corporis, ex mortalium societate lues abstergitur, & contagio. Hac virtute LOPES GARCIA instructus, quasi diuino Spiritus afflatu eruditus, plus visus est, quàm par est homini sapere: eaque arte Rerum Hispanicarum com-

mentaria aliquot ſcripſit, vt inueterata multis antè ſeculis rerũ monimenta cogantur in dies, veluti ars eius dicendi repuerafcere. omnes enim quibus illa lectitare (contigit autẽ paucioribus, quia non paſſus eſt auctor ea vulgari, & alioqui nondũ erat inuenta ars typigraphica) non ſolum Hiſtoriæ cauſſa: ſed etiã vbertatis, & copiæ in dicendo gratia, quæ non ingraueſcit, ſed vireſcit ſtudio, & ætate, illorum lectione ſummoperè delectabantur. Neque parui ęſtimata fuit eius de Bello Hiſtoria. Nam maiorem qui prudens eſt ex inimicis, quàm ex amicis, vt videre eſt apud Xenophontem, capit vtilitatem. Romanorũ enim Imperatores, triumphos, mundiq́ue Imperium acceperunt ab inimicis: non acceperunt ab amicis. Præclara verò Garciæ Hiſtoria: virtus æternitate memoriæ digna. fortis enim hoſtes non timebat, quia hoſtibus norat benè vti. atq; is in primis laudatur, quia in acie norat fortiter pugnare: extra aciem diſcordias inter hoſtes ſerere. illud eſt laudabile, hoc vtile magis. qui ſic? quia à ſe ab alienati hoſtes ſuo ſe iugulant gladio. ingenioſè ille: PETRVS SALAZAR Ampliſſimus Heros Abauus tuus glorioſè magis, & humaniter. quia ſummum vindictæ genus in eo conſtituebat, quod ſe virum bonum præſtaret: ſicq́; non lædendo, ſed benè agendo nunquam parcebat inimicis. non enim barbarico ritu contendebat cæde cædem, & iniuria iniuriam expiare: ſed pietate crudelitatem, & liberalitate auaritiã. Nam omne vitium cenſebat uirtute, non uitio eſſe reſtinguendum. Quare ut homo Deo: ut ciuis, patriæ: ut affinis, parentibus; ſic uixit, ut iura ſanguinis ſemper coleret: nunquam ciuili iuri obdormiret: continenter uerò inuigilaret diuino. Siquidem neq; apud impuros homines, malorum eſca gurges expleri ſcit uoluptas: neq; apud PETRVM SALAZAR pietas ulla ſatiari norat uirtute: difficileq́; eſt dictu utrum in periculis, animi: an in dubiorum tenebris, plus habuerit conſilij. eius in Bel-

lo ani-

lo animoſa laudatur celeritas, quia Mars maximè odit cunctã-
tem: maturum verò in ciuili concordia retinenda, conſilium.
Nam vnde ciuiles naſcuntur ſeditiones? ex eorum potiſſimum
culpa, qui alijs præeſſe malunt, quàm prodeſſe. quid? nihil ei
erat potius, quàm ſocios in periculo excitare iacentes. Etenim
cùm res ſit conſcelerata ægritudo: miſera ægrotatio, quia illa
lues eſt animi: hæc corporis, vtrique morbo tanta occurrebat
pietate, vt non minus domi gratus eſſet miſeris: quàm militiæ
hoſtibus formidoloſus, Sed quò me mea de Petro abauo rapit
oratio? Summa ad DIDACVM Auum tuum ſeges, & mate-
ria virtutis ex ſtirpe maiorum tuorum cernitur propagata: qui
Hiſpaniam omnem impleuit ſui nominis, & famæ gloria. Nec
adeò laudatur, quòd noſcet hominibus imperare: quàm quòd
non ignoraret Dei imperata facere. Eſt enim obſeruantia non
ſolum antiquiſſima, ſed etiam præclariſſima virtutum omniũ.
Etenim vt laus omnis ex gremio virtutis: ita virtus vniuerſa ex
obſeruantiæ ſinu proficiſcatur oportet. Itaq; fruſtra in Bello
apertos vincit hoſtes, qui à ſenſibus vincitur, inſidioſis hoſti-
bus. Quare vno obſeruantiæ curriculo, non ſolum vehitur cõ-
munis vitæ ratio: ſed etiam totius imperij gloria. Nam impe-
rium ſine obſequio, non tantum auctoritatem amittit iuſtitiæ:
verùm etiam dedecus concipit iniuriæ. quid? quò præclarius
eſt doctrinæ imperium, quàm virtutum obſequium, eò obſer-
uantia præſtare videtur virtutibus. Nam cur amoris ſedes, in
oculis: obedientiæ in auribus, apud antiquos eſt poſita? vt cùm
pulchrum oculis, bonum auribus hauriatur, quorum ex altero
virtus: ex altero doctrina ortum ducit, intelligamus nihil eſſe
obediendi artem, niſi veram, germanamq; rerum omniũ ſcien
tiam. Nihil igitur eſt in virtutis, & doctrinæ laudibus, quod
in DIDACI MAIORIS obſeruantia non videatur deliteſcere.
Etenim ſicuti arbor, quæ non floruit, fructum non parit: ita ne-

mo

mo antè potest quicquam aut laudabile efficere, quàm obtemperet iustitiæ: aut turpe admittere, quàm desinat rationi parere. Nam quòd ille patriæ interdum luctibus funeribusq; subuenit: quòd influentes in factionem copias repressit: hostes prælijs euertit: Ciuitatē metu liberauit: atq; ab vrbe pestem nefariorum hominum repulit, id omne ex iuris, & iustitiæ obseruātia fecit, quia nunquàm antè imperabat hominibus, quàm Deo obtemperaret, & legibus. Hac disciplina SEBASTIANVS SALAZAR pater tuus, ab auo tuo instructus, nescio quomodo studium obseruantiæ superauit luce veritatis: solusq; vidit plus hac vna Dianæ lampade, quàm cæteri mortales cernunt aperto Sole. quid vidit? imò amauit. Nam quod verum est, non lingua solum, sed manibus etiam semper aperiuit: quod verò bonum est, nunquam non in pectore, tenuit reconditum. ex quo SEBASTIANVM magis existimaui esse hominem diuinum, quàm humanum. Nam falsitatis prouincia, vt ait Philo, est Terra: Cęlum Veritatis domiciliū. illius fame, & fama hominum vulgus: huius nectare, & Ambrosia semper victitauit SEBASTIANI SALAZAR Domus. quorsum? vt non tam gestiamus pro inclytæ familiæ huius gloria: quàm doleamus pro humani generis calamitate, & ęrumna. siquidem, vt quod animantis vim, & naturam amittit, id nullo modo potest nomen retinere hominis: ita quod exhauritur veritate, statim exinaniri cogitur virtutis beneficentia, & doctrinæ. Qua propter SEBASTIANO, qui in omni dubiorum obscuritate, architectus, & opifex erat veritatis, famulari videbatur prudentia, atq; ei parere scientiæ omnes, & artes ingenuæ. Nam in eius fide, probitate, atq; cōsilio, quiescebat iuris, & togati, & armati veritas, quæ à Poętis Herculis claua est nominata. Nam Hercules nullam vnquam Clauæ vtilitatem accepit, sine veritatis propugnaculo, quæ sola illustrari potest: non obscurari potest, aut

restin-

restingui quæstionum ventis agitata. quid ita? quia vno veritatis ambitu ius omne naturale: ciuile, & diuinum tenetur inclusum, & ita vt sola veritas in summo errorũ oceano, vias oẽs norit doctrinę, & virtutis, sine qua, in moribus ingenij statim fit naufragium,& rationis. Itaq; SEBASTIANVS SALAZAR veritatẽ cùm possidebat,artis eius habebat possessionẽ, qua vniuersa reguntur imperia. Nã cur veritas apud Poętas,cẽsetur esse tẽporis filia,& Musarũ parẽs? quia veritatẽ Deus: veritas virtutes oẽs inter mortales parit. Nihil est igitur FAMILIA SALAZAR,nisi Apollinis domus,atque Musarum schola,ex qua qui exeunt,plura habent cũ Deo: q̃ cum humano genere cõmunia. Etenim sicuti qui ægrotant Medicũ: qui nauigant Gubernatorẽ: ita qui iter in Cęlũ tendunt,veritatẽ consulunt Magistram. Neq; .n. aut cum veritate vnq̃ erratum est, aut sine ea quicquã benè gestum.quid? virtus ne igitur imperandi veritas? imò virtutũ omnium regina. Nã si par est rationi, vt quæ virtus potest plus, alijs imperet: omniũ imperatrix oportet sit veritas. siquidem viriũ robur cedit orationi: oratio menti: mens veritati: ex quo fateri cogimur, nihil valentius esse veritate. Accedit ad generis tui gloriã ALOYSIVS GARCES auunculus tuus leuis armaturæ Dux fortissimus: qui Terra, Mariq; plurimis floruit rebus gestis: qui Antonij à Leyua Equitũ vigilijs pręfectus, tã strenuè aduersus hostes egit, vt videretur, aut Hispania suũ Achillẽ habere: aut ipse Achilles in eo reuiuiscere. Nam cùm duo sint in Rep. vt Democritus aiebat, Numina, præmium,& pœna: sic vtraq; in suam fidem accepit, vt præmio socios vinciret, pęna hostes vinceret: nec vinci posset, quia aduersa lucro habebat omnia. quæ res illius nomen, & famam non minus illustrauit, quàm regiam dignitatem semper plurima felicitate auxit, & cumulauit. Siquidem in imperij tutela, non magis vitium supplicio, quàm virtus præmio potest vacare. Nec id quia vindi-

cta sceleratorum medicina est potius, quàm pęna: sed quoniam iuris, & togati, & armati est consors, atque iustitiæ socia. Non enim alia de caussa, puto, vindicta à vinciendo est dicta, quàm quòd sola Virtutum omnium sit vinculum. Nam quid est aut prudentia, nisi fraudulentiæ: aut temperantia, nisi libidinis: aut Iustitia, nisi auaritiæ: aut deniq; fortitudo, nisi ignauię vltio, & vindicta? CVM IGITVR ALOYSIVS GARCES ex omnibus virtutibus esset concretus, & conglutinatus, nullis vitijs norat parcere. Nam ex iure, & ratione, vt corporis, vmbra: sic peccati comes vltio est, & vindicta. Qui igitur pęnam odit, non debet occultare, sed vitare peccatum, quod ne occuli quidem, si veteres consulimus, potest. Nam cur illi veritatem fecerunt temporis, & memoriæ filiam? quia certè, vt volunt Ægyptiorum Sacerdotes alius de alio iudicat dies: supremus autem de omnibus. sed quid ego hæc? quod si multum liberali: plurimum tribuendum est forti Principi, quis non sentit penes vindictam plus, quàm penes liberalitatem, laudis residere, & gloriæ? non obscurum est Romanorum testimonium: minimè aliorum hebes auctoritas. Etenim qui fit, vt Iustitia olim, apud illos, hac effigie, & imagine cerneretur expressa, vt læua ad virtutis præmium, teneret stateram: dextra ad peccati vindictam: Mucronem gestaret districtum? quia dextræ præclarior est in dignitate, quàm sinistræ locus. Etsi enim ex vtraque virtute vis constat Iustitiæ: multò tamen difficilius est improbos ad iustitiam compellere, quàm bonos viros in officio retinere: longèq; præclarius per vindicationem, ansam porrigere mortalibus virtutis: quàm per liberalitatem, præmij, & vtilitatis. quid ita? quia vindicta non solum est delicti medicina: sed etiam honesti disciplina. Nam si lædere nescit Iustitia, semper prosit oportet vindicta, quę nihil est, nisi Iustitiæ ars, & doctrina. quid inquam prosit? imò honestet.

Nam

Nam homo turpis pęnas luens ſuæ turpitudinis ex turpitudine, inter beatos, redditur honeſtius vindictæ enim proprium eſt nihil, quod turpe eſt, poſſe pati. Non minus ſale, quàm eruditione aſperſa eſt fabula. Nam quorſum quod Actæon à Diana in Ceruum eſt mutatus, laceratusque ab ijs, quos aluerat canibus? ſuccus, & ſanguis vindictæ, quæ errantes ſuo abſorbet errore, reſidet in fabula. ò rem miſeram. Nam multa, & ſunt in humana ſocietate, quæ non videntur: & videntur quæ non ſunt. Quare ſi pellerentur, ab oculis mortalium, pręſtigiæ: plures, in frequenti Ciuitate, Beſtiæ, ſpectantur, quàm homines. Quorſum? non Diana iam, ſed vindicta turpiſſimum quenq; enudat hominis ſpolio: quo qui eſt enudatas Beſtia videtur eſſe: non homo. Nec id ob Dianæ, aut vindictę ſeueritatẽ. Nemo. n. fit ſupplicio miſer: ſed peccato. Siquidẽ cur Draco, qui leges dr̃ ſcripſiſſe ſanguine, nõ atramento minimũ quodq; piaculum, capitis damnauit ſupplicio? qm̃, ſi benè attendimus, cùm peius ſit peccare, q̃ mori: minus certè oportet ſit mortis ſuppliciũ, q̃ peccati delictũ moriens. n. poteſt eſſe felix: nõ põt peccans nõ eſse miſer. Amo igitur, in ALOYSIO GARCES, vindicandi artem, qua ſic aduerſus improbos vtebatur, vt vindictę pęna non ſolum eſſet delicti cõmiſſi medicina: ſed etiam cautio tacita futuri. Nec id cũ dico ALVYSIÆ GARCES matris tuæ ſummã pietatẽ culpo, & clementiã, qua tãtum claruit, vt neq; ſine triſtitia cuiusq; incommodum, neq; ſine alacritate vnq̃ aliena tulerit cõmoda. illa. n. præter cæteras virtutes, amabat manſuetudinem: q̃ qui violat, non tã procul vr̃ ab hominis natura recedere, q̃ propè ad immaniſſimæ Beſtiæ feritatẽ accedere. Hac vna virtute oẽs Aluyſiã in Cęlũ efferunt, quę ſemper maluit ex improbis, bonos viros cõmiſerẽdo reddere: q̃ improbos puniẽdo perdere: nunq̃ verò cùm improbis peperit, nocuit viris bonis. Magna quidẽ ars miſerẽdi in fęmina: & eò p̃clarior, quò difficilius eſt ſimul miſereri, & ſapere. Atq; illa, etſi neq; Iu

ſtitia, peccati impunitatẽ: neq; miſericordia, ſupplicij cruciatũ pōt pati: vtranq; tñ ſic coniunxit virtutẽ, vt neutrã coleret ſine altera. Nã & iuſtitia, miſericordiæ: & miſericordia, iuſtitiæ expers, non ſolũ deſerit, ſed ẽt amittit nomẽ virtutis. Quid multa? nihil ad mortaliũ animos vincẽdos, & vinciẽdos erat eius virtute neq; laudabilius, neq; valẽtius. Teſtes ſunt iã, nõ hominũ mores, qui vt piſces hamo, ſic capiuntur beneficio: ſed ipſi Tigres, & Leones, qui vi nõ poſſunt, & ſeueritate: manſuetudine facilè poſſunt reddi cicures. Aluyſia igitur, quę ſemita in Cęlũ eſt perangusta, & paucorũ veſtigijs nota, eã tanta frequentauit pietate, & vitę ſanctimonia, vt nõ ſolũ pietatis, & ſanctimonię gradibus viuens, ſentiensq; videretur in Cęlũ aſcendere: ſed ẽt de Cęlo ad mortales, oĩa quę volebat, reportare. Ea quippè mẽtis ſplẽdebat claritate, qua norat nõ tantum Deum orare: ſed ẽt à Deo, quæ ei erant in animo, exorare. illa .n. confecerat iter virtutis: nec habebat, quo poſſet vlterius progredi. Nihil quippè eſt fęminæ eius virtus: niſi meta gloriæ: nihil niſi recundita felicitatis moneta, qua illa ſibi ſemper Dei emit opem: ſæpè etiam populi ſalutem: quarum altera didicit non egere: altera egenos beare: vtraq; omnem humanę laudis prędicationẽ magnitudine virtutis ſuperare, manſuetudinẽ mulieris, ne altè videar repetere: magna eſt virtus, ſi eã non lædas, à quo ſis læſus: nõ parua, vbi victus vi, victorem vincas remittendo: ſumma ſi proſis nocenti. quorſum? non regiũ eſt cum benefeceris malè audire: ſed maleficium ſuperare beneficio. Hęc ars Aluyſię ſingularis eſt, & doctrina, quæ ſemper malũ alienũ eo cõpenſauit beneficio, vt ex malo emergeret bonum. quid? præclarũ id omne quidẽ: multò pręclarius, ꝙ Didacũ peperit filiũ: longè verò præclariſſimũ, ꝙ cum ſuæ virtutis ex aſſe reliquit hęredem. Quare cum ille ſupra 40. annos iã Regiæ Maieſtati, in multis, & varijs honorum gradibus, operam ſuam nauarit: ita honores oẽs geſſit, vt nunq̃ in dubiũ adhuc accerſita fuerit ratio adminiſtrati ab eo officij:

semper verò fuerit vno omnium ore comprobata. Nec vulgo id. Nam, vt Heroas cęteros omnes pręteream, à Rege Regũ Philippo II. summa eius virtus vario, ac plurimo diplomate, non sine admirabili encomio, est celebrata, quod certè quidẽ minimè soleo mirari. Nam quid ille aut fisci Aduocatus: aut Mediolani Iudex à signo Caballi: vel Prætor Ciuitatis Laudæ, vel Censor totius Regij Exercitus fecit, aut non fecit, quod non facilius sit mirari, quàm laudare? quid Senator, & custos publici Consilij? quid Cræmonæ Prætor? Quid Regens in Hispania rerum Italicarum? quid denique Supremus apud Insubres Cancellarius? Atq; fisci Aduocatus, etsi non pecuniam quærebat, sed Iustitiam; malebatq; ex improborum animis vitiorum sordes abstergere: quàm eorum multatione regias pecunias augere: ita tamen illas auxit, vt magis viderentur Aduocati ope, quã fisci opibus augeri, & cumulari. Nec facile est dictu, vtrum gloriosè magis semper visus sit publicam curare pecuniam, an negligere priuatam. Nam cùm in virtute satis sit ad benè, beatęq; viuendum, præsidij: longè præclarius duxit pecunia non egere, quàm abundare. Etenim quis est diues? qui certè non eget, atq; sicuti nullius rei egens est, qui nihil appetit: ita ne appetẽs quidem est externorum bonorum, qui virtutis habet possessionem. Nam virtus est omne bonum, qua qui est præditus, non magis propter honestatẽ dicitur vir bonus: quàm propter vtilitatem, felix, & beatus. Solinè igitur boni viri diuites? certè. Sola enim virtus in homine, vt inquit Bion, absolutio est humanę naturæ. Quare Didacus hic non adeò vitam, quàm virtutẽ solet curare. Siquidem vitæ vsura non fruitur: sed orbatur, qui spirat sine virtute: cùm ars viuendi omnis sit in virtute posita. Fisci itaq; personam cùm gereret, nullam antè parabat pecuniã, quàm leges omnes, æquè ad religionem, atq; ad multam, haberet aduocatas. Neq; rorat tantum regiam parare pecuniam: sed

etiam pecuniæ eius neruis, & viribus vti: quorum alterũ est doctrinæ: alterum ſolertiæ magis, & probitatis. Cùm enim opes ad res tantum ſpectent agendas, ignauis, quia actio omnis cõſiſtit in virtute, nulla eſt opum vtilitas, iure igitur improborum opes damnabat, tãquàm inutiles: bonorum nõ probabat, quaſi neceſſarius. Nam vir bonus, ſola cupiditate ſublata, ſtatim ex miſero fit diues: longèq; miſerius eſſe cogitat rebus ſuperuacaneis egere: quàm carere neceſſarijs. DIDACVS igitur hoc non minus glorioſè depoſito, quàm accepto magiſtratu, ſtatim Mediolani à ſigno Caballi Iudex, vt vocant, renunciatus, talem ſe præbuit Iudicem: quale eſt ius, & Iuſtitia: quæ ſola ex iuris diſciplina, parit viros bonos. Nam quemadmodũ Lapis Aſtiges ex Eufrate, qui fluuius eſt iuxtà Babylonem, naſcitur, quo obſtetrices vtuntur ad partus felicitatem: ita legum Iudices nitũtur adminiculis, nè ciuitas, aut malè, aut malos pariat Ciues. Nã quale continenter Didaci fuit iudicium? quale certè quidem eius eſſe ſolet Iudicis: cuius ingenium arte eſt limatum: ars doctrinæ Sole illuminata: doctrina iure, & legibus inſtructa: leges deniq; ea pietate ſunt eruditæ, qua magis fiunt, quàm naſcuntur homines: magiſq; ſupplicio erudiuntur, quàm puniuntur delinquentes. Nec alia de cauſſa, puto, Leges à legendo ſunt nominatæ, niſi quia ex Legibus ars legenda eſt viuendi, & delegẽda. id non minus falsè, quàm doctè Cyreneus Philoſophus. Nã cur veſperi mulſo naſcentes irrigabat Lactucas? nõ gulæ, vt quidam autumant vitio, quia mulſi ſuauitate naſcebantur refertæ: ſed diſciplinæ gratia. Hoc enim naturæ teſtimonio docebat mortalium pluris intereſſe benè educari, quàm præclarè naſci. quid pluris? imò maximi. Nam ſi quod nutritur, naturam induit nutrimenti, cur Magiſtratui non ſita ſit in educatione, gloria omnis populi? Hæc ars, hæc virtus: hæc DIDACI SALAZAR eſt inſtitutio, & Diſciplina; quæ non ſolum omnium ore

percre-

percrebuit: ſed etiam in ore multorum eſt, & oculis. Ad hominis gloriam: ſummæq; virtutis teſtificationem facit, quod nihil eſt glorioſius in iure, quàm experientia: nihil in experiẽtiæ gloria, laudabilius, quàm antiquitas. Lex enim olim erat Laconica, qua iubebat alios omnes ſenioribus cedere: non quia ſemper alijs meliores ſunt ſenes: ſed quoniam virtus inueterata recentiori eſt anteponẽda. Qualis igitur in iumẽti Caballi ſigno, Iudex DIDACVS? qualis propriç iniuriæ vulnera ferre poterat: non poterat iuris, & iuſtitiæ. Poterat enim pro ſalute Populi, vulnus accipere: non poterat vllo modo Reip. vulnera pati. Nam in altero virtus eſt patientiæ: in altero dedecus ignauiæ. Legibus quippè, qui non obtemperat, ter malus eſt, ſemel quia parenti: iterum quia nutrici. tertiò, quia dominæ non paret. Quare tanti ille à puero leges fecit, atq; tam incredibili ſtudio abſorbuit, vt qua ætate cæteri legum incunabula addiſcũt mortales: ille legum propugnacula, in tractandis Imperij habenis, in ſuam fidem acceperit: & ita, vt ſicuti nautis Gubernator: bigis Auriga: medicus ægrotis: ſic ille vltrò imperaret Iuriſperitis. Nam Prudentia, quæ ars eſt rerum exiſtentium, & non exiſtentium, virtus eſt DIDACI ſingularis, & propria. Quare eo Iudicis munere perfectus, quod terminatur biẽnio: mox in PRÆTOREM Ciuitatis Laudæ eſt coaptatus. Nec id ſine magna vrbis lætitia, & vtilitate. Nam quæ à prçſtantiſſimo Prçtore Ciuitati erant ſperanda: ea omnia cumulatiſſimè ab eo accepit Ciuitas. Erat enim ei Conſilium ad regenda vrbis gubernacula: Conſilio neq; audacia, neq; induſtria in vrbis ſedandis tempeſtatibus, deerat. Itaq; in ciuium diſſidijs, quibus ipſa Ciuitas vexabatur, nulla pericula; nulla incommoda corporis, quæ cæteros remorari ſolent, inuictum Prætoris animum à rebus agendis abducebat. quid abducebat? imò faces eas inimicitiarum ſic reſtinxit, vt ei in reconciliandis inimicis omnes concede-

 rent.

namentum euasit Senatorij ordinis. Nec vnquam Iustitia tot in commodis fuit debilitata, tãtisq́; oppressa difficultatibus, quin viri sanctimonia, eiusq́; sapientiæ lacertis, & viribus, statim videretur pelli ab iniuria, atq; ab omni periculo leuari. Etenim rem nullam tam ancipitem, & dubiam in mediũ afferebat, cuius fidem non faceret, & ita, vt tanquam alter Carneades extorqueret dicendo, etiam ab inuitis, quicquid vellet: nihil autem volebat, nisi quod postulabat ius, & ratio. Itaq́ue nemo vir bonus ad eum accedebat, qui, opinionis errore deposito, nòn recederet melior. quid inquam vir bonus? imò quiuis etiã alius. Nam sicuti Cęneus ille, vt est in fabulis, è fœmina statim in virum abijt: sic in Musarum Helicone DIDACO, qui sacros illos iuris, & iustitiæ fontes regustat, è fatuo repente fit sapiens. quid ita? quia nemo apud DIDACVM iuris est studiosus, qui in iure, non æquè amet animi integritatem, atq; ingenij aciem: magisq́; laudet Iustitię possessionem, quàm cognitionem. Nõ minus grandis: quàm vtilis DIDACI disciplina. Nam vt Arbores fructum non nisi acerbum, & austerum ferunt, quæ alijs arboribus, veluti maribus nuptæ non sint, & coniugatæ: ita scientię, nisi probitati sint desponsæ, & destinatæ, nullum gloriæ pariũt fructum: multum indignationis plenum, & stomachi. Nihil enim sunt artes ingenuę, & rerum scientię, sine morum probitate, nisi veluti quędam scelerum pellices, & flagitiorum ministræ. Fuit autem in eo Senatore ea probitatis vis, vt semper publicæ vtilitati priuata bona habuerit postposita: eaq́; doctrinæ auctoritas, vt in rerum perturbationibus posset Ciuiũ animos permulcere: motus sedare, atq; sua virtute Ciuitatem omnem in officio continere. Quare ei Senatori propter admirabilẽ prudentiam omnes vltrò morigerabãtur: nemo propter summam beneficentiam, non singularem habebat honorem. Ea de re cũ Cremona plurima arderet discordiarum flamma, PRÆTOR

CRE-

CREMONÆ factus etsi est inuitus. Prȩturam tamen eam ita gessit, vt non solum sapientissimos quosque doctrina visus sit præire, sed etiam virtute. Non enim solum habuit iuris cognitionem: sed etiam possessionem: quarum altera doctus: altera vir bonus cùm esset, tanta ex vtraq; præcelluit sapientia, vt sapientiæ nomen quasi vicerit ingenij simul, & animi magnitudine. Nec vulgare tamen est dubium, vtrũ vir iustus magis fuerit, an temperans. Nam temperantia ars est rerum vitandarum: iustitia agendarum. illa armatura est contra omnes corruptelarum illecebras: hæc veræ laudis domus, & gloriæ officina. quid? nunquam, vbi spes ostendebatur lucri, victus est cupiditate. Siquidem neq; egere scit, qui nihil cupit: neq; cupere, qui non eget, quod singulare, & propriũ est viri temperantis. quorsum? nullo flagitio polluitur vir temperans, quia neque amore, neq; odio, neq; vlla infatuatur libidine: summo verò decoratur honore vir iustus, quia personam deponit hominis, induit Numinis: quod nemini nouit nocere: nouit omnibus prodesse: Id olim figurare cùm vellent Ægyptiorum sacerdotes, iudicẽ fingebant sine capite, eò quòd vt serui, dominus: sic iudicis caput sit ipse Deus, id autem eò spectat, ne miremur iudicem nõ posse malè iudicare. Nam iudicare, ius est dicere: qui autem malè iudicat, non dicit ius, sed peruertit. Quia igitur nihil erat sapiẽtissimi illius Senatoris iudicium, nisi iuris testimonium, id semper Deo gratum: nunquam homini non ratum fuit, qui homo esset modo. Hoc sentiens REX CATHOLICVS DIDACVM ex Amplissimo Senatu, in Hispaniam asciuit Regentem rerum Italicarum. in qua dignitate tanto illuxit virtutum omnium splendore, vt non minus Ordinem illum ipse cohonestauerit, quàm ab eo cohonestaretur. Inter quas maximè semper enituit religio, & pietas, quæ tanta fuit, vt cæteri Regentes gloriosius de eo sentirent, quàm loqui possent. quid igitur loquar homũcio?

cio? nec formica taurum, nec cuiusquam oratio laudem, & gloriam absorbere potest eius sapientię: qui nihil perhorrescit, nisi quod turpe est: nihilq; minus cognoscit, quàm aut consilio labi, aut errare iudicio. quod omne vno eius resonabat Regentis nomine. Nam ille regit qui Reip. consulit: consulere autem solus nouit alijs, qui plus, quàm alij, sapit. Tanta autem DIDACVS floruit sapientia, vt non solum in eo ordine, nemini concesserit: sed etiam sapientissimo totius Gręciæ præstiterit Hippocrati. Hic enim desperatis semper vetuit adhibere medicinam: ille verò sæpè desperatos ad spem reuocauit, atq; iacentes sic excitauit, vt cogerentur omnes fateri, in virtute esse præsidij plus, quàm in vlla rerum desperatione periculi. Nam vt valetudinis disciplina est medicina: sic ars salutis publicæ est consilij prudentia, quam ille ita possidet, vt solus plura in legibus, quàm vniuersi simul Medici in herbis habeat communis vitæ remedia. Cur igitur, inquiet fortè aliquis, summæ eius sapientiæ non par, & æqualis est fortuna? quia semper præclarius esse duxit beneficentia mortalibus anteire, quàm opulentia: maluitq; honores mereri, quàm accipere: atq; in honoribus iustitiam sequi, quàm pecuniam. Itaque Regens deliberando profuit plus solus Italicis rebus: quàm summus dimicando armatorum Exercitus. Siquidem nihil est eius consilium, nisi & in malis vitandis ars quædam communis salutis: & in bonis accersendis, nisi veluti quædam procreatrix publicæ vtilitatis. Quare DIDACVS Magnus apud Insubres Cancellarius, non sine admirabili Encomio à Rege Catholico est renunciatus, atque in Italiam cum summa rerum auctoritate remissus. Hac autem in muneris dignitate, ita continēter se gessit, vt videatur ei muneri gloriæ plus attulisse, quàm ex eo munere accepisse. Tot enim res, tam præclaras suscepit, atq; ad exitum perduxit susceptas, vt nullus sit tam desertus in Italia angulus, qui earũ

gloria

gloria non resonet, & laudibus: rumorq́ue etiam apud exteras gentes raucus sit. Atque cùm prudentia ars sit imperandi, quid mirum est ab eo, qui auctor, & opifex est prudentię, discrimen omne imminui: incolumitatem contra, & commodum augeri imperij? Hoc inter consilium, & temeritatem interest, quòd consilij sit ex detrimento lucrum: temeritatis ex lucro detrimentum capere. Nihil autem est in consilij vocabulo, quod DIDACVS magnitudine non videatur superare prudentiæ, cuius vis hæc est & natura, vt neq; dolo capi: neq; robore vinci: nec deniq; vlla arte dicendi expugnari possit. Nec tamen de rebus ab eo gestis nunc molior dicere. Nam qui audet quod supra vires est, attentare, non tam videtur notam vitare negligẽtiæ: quàm in reprehensionem temeritatis incurrere, quæ præterea vix vno possunt teneri volumine, omnino hoc dicendi genus, præfationisq́; angustias videntur respuere. Virum tamẽ sine Iustitiæ vulnere, non possum non laudare. Nam cùm laus merces sit virtutis, qui summas DIDACI virtutes non laudat, quod alienum est videtur retinere: non quod laudandum est tacere: fitq́;, quia alteri non reddit quod debet, iniustus. Etsi igitur Virtutem omnes in eo amant honestatis parentem: laudant tamen magis solertiam firmissimam Virtutis, & gloriæ lo ricam. Quoniam enim difficillimæ quæque res solertiæ magis, quàm uirtutis curantur præsidio: Ægyptij Hieroglyphicũ Regis, qui versatur circa difficillima, fecerunt Draconem, qui solus, inter omnes animantes, adeò inertiæ est inimicus, vt nunquàm ab vllo mortalium uisus sit dormire. Qua ex re ad DIDACI gloriam magnus accedit cumulus. Nam semper tam solers est, & diligens, vt apud eum, nulla sedes sit, nisi, in labore, quietis. in quo quanta sit imperij felicitas, ex eo liquet, quòd longè res est capitalior Principi cum otio, quàm cum hoste armato. Etenim cur Nasica magis probabat Carthaginensium,

aduersus

aduersus Romanos discrimen, quàm Carthaginis euersionem? quia certè quidem res secundæ ex otio infelicem: aduersæ felicem ex solertia, & studio nanciscuntur exitum. virtus enim diligentia: vitium omne inertia alitur. Nam cur Homerus Agamemnonem, cum cæteri dormiant, semper facit vigilantem? quoniam tractantis gubernacula imperij virtus nescit otiari, quæ omnis in actione consistit: Nec tamen DIDACVM Agamemnonis facio similem: sed scipioni Africano parẽ, & æqualem, qui solitus est gloriari se nũquam minus esse solum, quàm cùm esset? solus; nec minus otiosus, q̃. cùm esset otiosus. Quanta ex eo ad publicam salutem, otij accedat vbertas, & copia, eius docent ex cęlesti, & diuino afflatu petita veræ Christianę religionis dogmata, quę ab eo inscribuntur SOLILOQVIA. in ijs enim succus, & sanguis diuinarum legum sic reuiuiscit, vt nihil delitescat in sinu Sapientiæ, & gremio, quod in eorum compendio, non cernatur sua facie, & figura expressum. quid non cernatur expressum? nihil latet in priscæ virtutis arcanis, quorum ille est peritissimus, quod non liceat, plurima cum eruditionis suauitate, & ingenij cõdimento, in eorum laconismo regustare. Nec mirum id quidem. Nam quanta quisq; præstat Sapientia, tanta eius oratione, instructio efflorescit, & doctrina: quando vt quisq; virtute sit præditus, ita loquatur. Cyrus itaq; Xenophonticus iam morti vicinus liberis suis optimam ex sapientum scripɔis doctrinæ supellectilem esse petendam, quasi thesaurum testamento reliquit. sed quid ego hæc de eius SOLILOQVIIS? Quemadmodum olim Lysippus Doriphorum Puerum à Polycleto sic effictum esse dicebat, vt omnes artis virtutes in se haberet, atque Artifices illum Canona vocabant, lineamentaque totius artis, ex eo, tanquam ex lege totius picturæ, sumebant: ita in DIDACI SOLILOQVIIS, qui tantum sapit, quantum vix cuiquam mortalium

fas

fas eſt de Cœlo optare, veluti quoddã exemplar cernitur Chriſtianæ vitę, & ſummæ religionis expreſſum ſuis lineamentis ſimulacrum. Quare cùm in mortalium omnium ore, & ſermone ſumma tua habitet gloria: tum decus, & ornamentum præclariſſimi ſui ordinis IOANN. BAPTISTA SORMANVS ita amans eſt ſingularis tuę virtutis, vt nullius magis, quàm eius voce tui nominis, & famæ reſonet gloria. Ei igitur tui non parum: mei ratione multum etiam debeo, quippè qui talem ſe mihi præbet amicum, vt in aduerſis, partes amici, ſuas faciat. Is enim eſt, cui more maiorem, longè maiori coruſcans ſplendore videtur beneficentię, quàm auri theſaurus. quid coruſcans? imò pluribus redundans bonis. Nam ſi beneficium largiens facit largiendo, vt capientem ſimul capiat eum beneficio, pro fœnore beneficij, nemo pluribus bonis redundat, quàm qui homo eſt beneficus. SED DIDACE SALAZAR Heros præſtantiſſimè quò me mea de te rapit oratio? quia creſcit, & decreſcit imperium cum imperantis Virtute, quæ, vt mare ſuo ambitu, terræ globum: ita ſcientiarum regiones omnes, & lambit, & ambit veluti quodam ſapientiæ circuitu: ſtatui hæc de Regiæ virtutis gloria centum ad te deferre Elogia, quæ non minus ex antiqua, & Ægyptiaca diſciplina, quàm ex auctoritate hiſtorica ſunt petita. Nihil enim in Muſarum hortis poteſt aut naſci, aut legi Virtutum Symbolis, vt cætera prætercam, fructuoſius nullum germen doctrinæ defringi ſuauius: nulla ſtirps ingenij propagari feracior, quæ ſi amabis, vt facis, nunquam, vbi lectitabis, tibi dolebunt oculi. Nam quæ in pace eſt Principis iuſtitia: quæ in Bello fortitudo: quæ in omni fortuna moderatio non minus iucundè in ipſis naturæ inſignibus cernitur, quàm fructuoſè in Heroum hiſtorijs legitur; nec tam verborum luce, quàm re-

rum

rum imagine, & figura illustratur. Librum igitur hunc, quem tuo nomini dico, vt ęqui, boniq́ue consulas rogo: quod autem virtutes tui generis, verbis adumbraui, non illuminaui: veniam non rogo. Nam ad nouam gloriæ eius Odysseam nouo opus sit Homero.

Summæ tuæ Amplitudini

Nexu, & mancipio proprius

Henricus Farnesius Eburo.



IO. BAPTISTAE COSTAE

Primarij Pontificij iuris Doctoris in Academia Ticinensi in Henricum Farnesium.



AMBIGIS ingenio melior Cyllenia proles,
Farnesiusne siet? Facta vtriusque vide.
Mercurius potuit Phœbum viduare pharetra:
Hasta Farnesius Pallada, pelle Iouem.



PAVLVS BELLONVS

PVBL. LEGVM INTERPRES

Ad eundem.

NECTERE gemmatas sueuit tua musa coronas,
Farnesi, regum munera temporibus.
Virtutes regum hic, & quid deceat, docet ipsa.
Gratius, an quidquam regibus esse queat?

PAVLI SAETONII GRIMALDI I. C.

Et Generalis Auditoris feudorum Epatus Mantuæ.

In eundem.

DElectos ſceptro Heroes Diademate claros
Dogmata, quæ deceant reſeras Henrice ſagaci
Et genio, ingenioq́ue potens, qui Regia profers
Docte mones, prudensq́ue doces, quæ Principe dignæ
Sint artes, populi quæ ſint monimenta regentum.
Hinc bene conſilijs Magnatum præſul adhæres,
Farneſi, ac veluti radiat Sol aureus orbe
Aetherio Procerum ſcriptis ſplendeſcis in aula;
O Sicut æternam peperit ſollertia laudem
(Dum nec ſerpit humi, quę tendit in ardua virtus)
Sic tibi pro meritis, hoc præmia digna labore
Succedant; plauſis auras euerberat alis
Gloria, quò plenis ſe tollit ad æthera pennis;
Cætera viue precor, ſtudijsq́ue tibiq; tuisq́ue,
Principibusq́ue viris, per ſæcula mille legantur
Quæ documenta probas, Tyrio qui murice fulgent;
Principis hæc animum formant ſortita potentem.



PHILIPPVS ALBERTINIVS

Piſcienſis I. C. & Academicus Intentus.

Ad eundem.

Obruta Cimmerijs tenebris, & nocte profunda,
Nec non, & cęca fuerat caligine merſa,
FARNESI, æternum priſcorum gloria Regum
Qui Phariam ſummis late virtutibus oram,
Fertilis effuſo fęcundam flumine Nili,
Rexere, Imperio Memphis, ſceptroque potiti.
Eruta at eloquij latij nunc viribus illa,
Quis ipſe æthereas effers, tollisque ſub auras,
Aſpexit tandem longo poſt tempore lucem
Vt tibi iam totus merito pro fortibus auſis
Mancipio, & nexu deuinctus debeat orbis.
Quippè labore tuo facis, vt tantę æmula laudis
Magnanimum Heroum ſemper ſit viuida virtus,
Qui rerum manibus validas moderantur habenas.
Non latratorem chartis intexere Anubim,
Aut vndis merſum lugendo quærere Oſyrim,
Atque Boui ſtultos aris imponere honores,
Ignibus aut Sacris Vaccam venerarier Iſim,
Allia vel grauia, aut lacrymoſas numina cępas,
Ridiculum, votiua ſuperſtitione, referre,
Eſt hoc FARNESI: crepitans nec dicere Siſtrum,
Hocque ciere viros, & ducere in arma phalanges,
Non Nili raptos Crocodilis ſcribere natos,
Aut rabidis monſtris feſtas indicere luces.
Quare dum claris aliorum nomina faſtis
Æternas HENRICE; tua ipſe extendis in æuum,

Quæ volucris penna iam gestat præpete fama,
Qua Sol Hesperius, qua Sol prospectat Eous.
Cui, dum nutricis villosa in pelle notabit
Res hominum cęlo despectans Iuppiter alto
Est mansurus honos laudum, nomenque perenne.
Quem permiscentem Ticini flumina voce,
Quum dicis flectentem animos Demosthenis armis;
Flumina vibrantem interdum magni ore Periclis:
Facundi eloquio Arpinatis sæpe tonantem,
Socraticis madidum sermonibus, oraque plenum
Vnà cum Latio, Graio quoque docta Lepore,
Non modo Ticinus, non obstupet Abdua tantum;
Sed simul, & Padus, excitus, regnator aquarum,
Astra super meritum certans extollere vtrique.



In eundem

BARTHOLOMAEI REGII

P *Allada, Farnesi, viduatam vidimus hasta,*
Arte tua. Anne Ioui diphthera tuta siet?



ANT· MARIAE SPELTAE
POETAE REG.

PRisca quid hoc nostro videre beatius æuo
Sæcula? vel mundo qui potuere magis?
Nos iuuet his omnes lucem vidisse sub annis
Stellanti Cœlo cui bona tanta fluunt.
Hæc elementa nouis FARNESIVS vsque figuris
Condecorat, numerus fœtiferisque beat.
HENRICVS felix, felix in munere tanto,
Qui scribens cum Dijs sentit, & inuigilat.
Armatus princeps tantæ quin æmulus artis
HENRICI libris dogmata certa capit.
Aris Vesta suis; sophia te Pallas honorat;
Marsque potens munit; doctus Apollo colit.
O' facunde senex, æui prudentia nostri,
Doctrina dulcis, vir pietate grauis,
Et pater, & decus, & patriæ lux maxima nostræ;
Notus & Eois, notus & Hesperijs.
Scribere sed tenui poterit qui Spelta Cothurno,
Quę vix fatidico promeret ore Deus?

In Opus Auctoris

IO. TVBATIVS.

NON adeo ramos sua brachia panderet arbos:
Non ita frondosis staret operta comis.
Non sic flore nouo pubesceret annua: non sic
Impositum duro stipite ferret onus.
Ni de fixa solo radix sua munia trunco
Præstaret, matris docta subire vices.
Hæc pars ima licet, caput est, & stirpis origo:
Cui tribuunt reliquæ si quid honoris habent.
Hinc hominis speciem muta sub imagine plantæ
Inuersæ propius cernere posse datur.
Nempe cui pars prima caput supereminet, instar
Arcis, quam sensus cum ratione tenent.
Prospicit vnde, velut specula, mens prouida; ne quid
Compagem dirimat corporis ante diem.
Hic ni iussa silent, nutus ni forte quiescunt,
Multa viget manuum functio multa pedum.
Scilicet vnanimi properant, quia membra labore,
Præmia rectori soluere digna suo.
Quare si magnum; mundi caput esse minoris:
Quid mundus maior Principe maius habet?
Maximus: vt cunctis præsit: qui robore nulli
Cedit. par superis qui pietate micat.
Denique non alius, quàm cui FARNESIA Pallas
In terris, rerum pondera ferre dedit.
Non aliam sacrata decent Diademata frontem:
Nec decorant alias Regia sceptra manus.
Inclytus ergo diu Sanctis hic legibus orbem
Temperet. Abstineat, Sustineatque diu.

ELENCHVS ELOGIORVM,

Quæ in Primo Libro continentur, quorum primus numerus est ordinis: paginarum vltimus.

Quòd

Quod

Quod

FINIS.

ELEN-



ELENCHVS
ELOGIORVM QVÆ IN SECVNDO LIBRO continentur, quorum primus numerus est ordinis: vltimus paginæ.



Quod

Quod

Quod

Quod

FINIS.



ELEN-



ELENCHVS ELOGIORVM,

Quæ in III. Libro continentur,

Quorum primus numerus est ordinis, vltimus Paginæ.





sit

Quod

Quod

FINIS.

DIPHTHERA IOVIS

Siue

DE ANTIQVA PRINCIPIS
GLORIA

Ex qua olim Ægyptiorum Reges Trismegisti, Ter Maximi, optimi, Sapientissimi, ac Potentissimi sunt Appellati

HENRICI FARNESII EBVRONIS I. C.
& artis Oratoriæ Interpretis Regij

LIBER PRIMVS.

De Virtute Principis.

Quid nomine sit Mundi fabrica, nisi aliud quiddam sit quam Principis.
Cap. I.

HIC Vniuersum, vel Mundi potius globus, ni[illegible] si Principis est. Nam Princeps, quem alter Atlas, mundum [illegible] sinet humeris, in hac ingeniosè magis à Poetis quam fabulose per Atlantem Mauritaniæ Regem. Siquidē, vt etiam fabulis, non in mundo inclusus tenetur, sed [illegible] sui contentus complectitur. Etenim siue [illegible] Princeps [illegible] e Mundo [illegible] Nam [illegible] Princeps dicitur caput mundi, & mundus corpus Principis? quia cum homo, vt ait Plato, planta sit [illegible] caput à corpore, sed corpus à capite gestatur hominis: neq; Princeps à mundo, sed mundus à Principe sustinetur.

DIPHTHERA IOVIS

Siue

DE ANTIQVA PRINCIPIS GLORIA,

Ex qua olim Ægyptiorum Reges Trimegisti, Ter Maximi, optimi, Sapientissimi, ac Potentiss. sunt Appellati

HENRICI FARNESII EBVRONIS I. C. & artis Oratoriæ Interpretis Regij

LIBER PRIMVS.

De Virtute Principis.

Quòd nihil sit Mundi fabrica, nisi veluti quædam sarcina Principis. Elog. I.



NIHIL est terræ, vel Mundi potius globus, nisi Principis onus. Nam Princeps, quasi alter Atlas, mundum suis sustinet humeris, idque ingeniosè magis à Poętis, quàm fabulosè per Atlantẽ Mauritanię Regem. Siquidẽ, vt est in fabulis, non in mundo inclusus tenetur: sed ipse foris mundum suo tenet inclusum complexu. Etenim sine iure, cuius personam induit Princeps, statim Cœlum è Mundo ruat, oportet. Nec vulgi inconsiderata, aut hebes est auctoritas. Nam cur vulgò & Princeps dicitur caput mundi, & mundus corpus Principis? quia cùm homo, vt ait Plato, planta sit inuersa: neque caput à corpore, sed corpus à capite gestatur hominis: neq; Princeps à mundo, sed mundus à Principe sustinetur.

Nec alia de re Tartari,& Æthiopes Reges ſuos pro numine adorabant,quàm quòd penes Principem mundi omnis eſſet poteſtas. Pingitur id inter regales imagines,etiam ſine artis penicillo,naturę coloribus, *per Cantharum, qui pilulam vitali ſemine imbutam, poſticis pedibus ab Oriente, ad Occidentem reuoluat*, Cum Titulo SVSQVE DEQ. olet,vel ſapit potius imago hæc Principē: qui iuſtè imperans, mundũ reddit munimētum felicitatis: iniuſtè,monumentum Calamitatis. Non quia Cantharus,viua eſt, vt Horus refert, Solis figura, cuius ex acceſſu,& receſſu,omnia & viuunt, & intereunt: ſed quoniam Canthari natura duæ potiſſimum virtutes adumbrantur Principis, Conſtantia, & Continentia,quarum altera,quæ aduerſa ſunt,ſuperantur fortiter ferendo; altera, quæ voluptuoſa exiſtunt, continenter abſtinendo. Ea enim animans ita in aduerſis eſt conſtans, vt nocturnos diurnosq; labores ſumma abſorbeat patientia: ita pariter in contemnendis voluptatibus continens, vt non ſolum omni ætate abſtineat à Venere: ſed etiam ne poſſit quidem odorem Roſarum, quæ ſacræ ſunt Veneri, ſuſtinere ſine interitu. Quorſum? vt cùm ius omne feratur ſuſtinendo, & abſtinendo, in cuius nomine diuina, humana, & naturalia omnia deliteſcunt, non tam videatur Princeps, iuris: quàm Cantharus vim & naturam figurare Principis. Maior igitur eſt in Principe virtutis vis, quã in mundi machina vniuerſa. Acris eſt in Alexandro Magno auctoritatis acies. Nam cur ille cùm ex Democriti ſententia accepiſſet plures eſſe mundos, ingemuit, ꝙ vno tantum eſſet potitus? Quoniam, ſi benè attendimus vniuerſi orbis terræ onus non ſatis erat Alexandri humeris. Cùm enim validior ſit, qui fortis eſt,quàm qui eſt robuſtus:mundus Principi, non Princeps mundo ſuccumbat, oportet. Graue eſt imaginis teſtimonium. Quare qui Ægyptiorum ſacerdotes in Cantharo obſeruando mordet, non alienam arguit ſtultitiam:

ſed

ſed apertè palamque culpat propriam: qui verò laudat, iccircò ipſe venit laudandus, quòd nihil ab eo deflectat, quod res eſt. Nam cur Spartani ſua Clypea Canthari paſſim ſignabant imagine? vt docerent, ſi bene attendimus, aduerſus omnia iniurię vulnera firmiſſimum in Imperio vmbonem eſſe Principem: in memoriaque haberent, aut turpiter eſſe in bello à ſe recedendum: aut viriliter, & animo forti contra hoſtes pugnandum. Nam Canthari omnes ſunt mares: nec fœmina reperitur in eorum genere.

Quòd nihil minus ſit Principis, quàm animi perturbatione de ſede rationis deijci. Elog. II.

NON tam glorioſum fuit Vlyſſi Circeum vitare poculum, quàm laudabile eſt Principi ab animi cauere perturbatione. quid laudabile? imò ſalutare. Nã vt Actæon à ſuis canibus: ſic quiſque à ſuis laceratur affectibus. Nihil enim eſt affectus, niſi rationis morbus, vel potius interitus. Quare hic cùm à ratione & deducat, & ſeducat hominem: non cadit in virum ſapientem, qui omnia nouit: ſolum non nouit ab æquo, & bono recedere. Vidi id in textili pictura, *per Hellebori imaginem, vnà cum medicinali potione expreſſum:* cum verbis, NON OPVS EST. Herbæ enim huius ſuccus hauſtus ita inſanos curat, vt inſaniã cũ atra bile euomant. Quadrat in Principẽ. Nam vt imperãtis eſt præcipere, ſic præcipientis eſt docere. Imperium igitur nemini conuenit, niſi ijs ſit peritior, quibus imperat. Nihil autem eſt animi perturbatio, niſi mentis, rationiſq; inſania, qua tractanti clauum Imperij, haud quicquam poteſt magis eſſe alienum. Nam qui Princeps ex arce rationis deijcitur, non ſolùm auctoritatem deſerit, ſed etiã vulnerat Principis. quid ita? quia Principis placitum ius eſt.

qui igitur aliud sentit, quàm ipse Deus, si personã indueret hominis, sentiret, Principatum amittit. Quare Principi nulla capitalior securis, quàm animi perturbatio potest infligi. quid inquam Principi? vesanus animi affectus non adeò videtur hominem perturbare, quàm ex cœtu hominum in ferarum bestiarum numerũ cooptare. Asseuerat hoc ipsum non tam erudito, quàm graui, & acerbo similitudinis testimonio Cœlestis, & diuinus Plato. Nam vt Equus, ait, indomitus, & effrænatus imperij impatiens, sessorem molitur præcipitare: sic animus perturbatus, neque regi nouit ratione, neque regere: hominẽq; à se suo alienat iudicio, tanquàm delirantis somnio.

Quòd Principi præclariùs sit benè educari, quàm gloriosè nasci.
Elog. III.

PRæclarum est Principem nasci: multò præclarius hominem ex humili loco natum promereri, vt capiat Principatum. Nam illud sæpè inconsideratæ est fortunæ: hoc semper eximiæ virtutis. magni tamen facio splendorem generis, ex quo igniculi manant ingenij, & virtutis. quid inquam magni facio? imò ipsa fecit antiquitas. Nam cur apud Aethiopes olim fœminæ dotem non afferebãt viris: sed viri fœminas dote donabãt, quas volebant sibi matrimonio iungi? Quia non locupletes vxores, sed honestæ tantùm norũt sobolem in vtero ad virtutem informare. Quòd si igitur in imperio tanti ex genere fiunt primordia virtutis: quãti iam per educationem adulta debet fieri virtus? Diogenes interrogatus quis inter plures ex eodẽ germine natos filios, optimus esset futurus: qui erudiretur, respondit. Nam optimos sola eruditio, meliores facit ẽt doctrina. Nec enim Imperij felicitas ex generis nobilitate: sed ex imperantis virtute est accersenda.

Id in Regia per ſtragulũ textile *oſtenditur Nauim in alto referens duabus Anchoris fultam.* Cum dicto MANET INCONCVSSA: Duæ enim ſacræ anchoræ ſunt Imperij: virtus & doctrina: quarũ altera Princeps cauet ne intelligendo: altera ne agendo ab æquo, & bono aberret: vtraq; verò nõ ſolum defendit, ſed etiã auget imperium. Non igitur cum pecunia: non cum nobilitate: non cum robore, ſed cum virtute creſcit, & decreſcit dignitas imperij. Notum eſt Agathoclis teſtimonium. Nam cùm eſſet Sicilia potitus, Rexq; declaratus, cur ſolet fictilia pocula aureis, in regio apparatu, addere? vt figuli cùm eſſet filius, doceret nullum hominum genus eſſe tam obſcurum, quod virtute non poſſit illuſtrari: Longèq; eſſe glorioſius Regnum virtute partũ, quàm quod ex hæreditate tenetur acceptum, quid glorioſius? imò ſalutare magis. Nam ex Socratis ſententia vnicum bonum eſt virtutis magiſtra & domina, ſcientia: vnicum malum Lerna vitiorum ignorantia. Qui enim per ignorantiam malè operam proſeminat, miſeram metit meſſem: qui ſcitè imperium colit, fructus omnes legit felicitatis. Quemadmodum enim ars ſcientiarum regiones omnes ambit, & lambit, earumq; anfractus alluit vniuerſos: ita non dubij, & deuij ad gloriam & felicitatem imperij, ſunt antiquæ eruditionis calles: ſed frequentes, & peruagati. Siquidem non cum virium robore: ſed cum arte imperandi dilatantur fines imperij, id aliquando vt doceret Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex, Regni amplitudinẽ, non ex vaſtitate regionum: ſed ex Regis induſtria definiuit, & virtute. Nam hoſte fugato, quæ Regio relinquitur vacua, fit victori præda. Non temerè igitur ille haſtam vibrans ſolitus eſt dicere, vſque eo apud Lacedæmonios fines, & terminos patere imperij: quouſque illa poſſet vibrari. Dicto factum adiecit, quia mortales exemplo magis, quàm præcepto erudiuntur. alterum enim ad cognitionem: alterum ad poſſeſſionem virtutis

magis pertinet: in altero corporis seruitio, in altero imperio magis vtimur, in vtroque perfectæ virtutis testimonio. Nam cur Apis, apud antiquos, non antè in Aegyptiorum Regem est cooptatus, quàm medicinæ auctor fuit, & magister? vt doceret Antiquitas, cùm totus homo in tutela sit, & ditione Principis, eum principatu fungi nescire, qui hominis animum potest ad intelligendum: corpus non potest ad agendum parare, & instruere.

Quòd Solem tollat è mundo, qui Principem tollit ex populo.
Elog. I V.



VIA nihil posse, quod non potest ius, debent mortales: solus Princeps, qui iuris personam sustinet, omnia potest: prodestq; Reip. plus sine populo: quã populus vniuersus sine Principe? Qui sic? quia Dei, quo nihil est beneficentius, in hoc elemẽtari globo, personam induit. Sententiæ huius effigies simulacrumq; constituitur per *Arborem Abietem supremo resciſſo vertice* cum dicto. RELIQVI RVINA. Nam Abietis vis, & natura non in radicibus, vt in cæteris fit plantis, delitescit: sed in sublimiori parte, atq; in ipso apice eminet arboris. Quare ramis vndequaque truncatis vniuersis, durat: tota vero, supremo tantum vertice deiecto, moritur. Est igitur Reip. incolumitas non in populo sita: sed in Principe. Argumenti apex, veterum est auctoritas. Nã cur principis nomen à capite traxerunt? quia quemadmodum corpus, sensibus tantum animatur capitis: ita populus, cuius caput est Princeps, nullos sensus debet habere, nisi qui manant à Principe. In imperij igitur fabrica minus Princeps eget populo: quã populus Principe. Nec alia de caussa, puto, Princeps ab Homero Pastor, alio appellatus est nomine, nisi quoniam aliqua potest esse pastoris sine grege, nulla sine pastore, potest esse gregis vtilitas.

vtilitas. Quæ res facit vt Principi nunquam ſit tempori obdormiendum. Nam eius virtuti multæ ſunt inſidiæ: nullus vacuus ad promerendum locus.

Quòd pugnare in belli incendio, ſit militum: Imperatoris vincere.
Elog. V.

MVltò ſatius eſt Principi, in bello, forti vti Imperatore: quàm exercitu firmo, atq; robuſto. Non obſcura, vel aperta potius eſt ratio. Nam armatorum vi non poteſt: virtute Imperatoris poteſt veſana hoſtium perfidia curari. quid? fruſtra armatus exercitus ſubijciatur Principis auctoritati, niſi hic ſapientia valeat plus, quàm ille virium robore. Id in pictis, fictis, cælatiſq; formis exprimitur *per Leonem Galli gallinacei buccinatu territum, atq; in fugam ſe vertentē:* cum dicto. CEDIT IMBECILLIORI. Neq; Leo alitis eius, quæ ſacra eſt Apollini, vocem ſuſtinet: neq; truculentus armatorū furor ſapientiā Principis. Hæc enim ſola maxima eſt, quia in ea non datur exceſſus: optima, quia eſt omne bonum: validiſſima deniq; quoniam ei nihil non cogitur parere. Quare victoria in bello, non paratur armati exercitus neruis, & viribus: ſed virtute ducis, & induſtria. Vt enim rationi corpus: ſic principi obedire vniuerſus cogitur hominum Cœtus. Graue eſt, & doctrinæ plenum Chabriæ teſtimonium. Qua enim adductus eſt ratione, vt diceret, terribiliorem eſſe Ceruorum exercitum Duce Leone: quàm Leonum Ceruo Duce? non certè, vt hoc diceret quod dicebat: ſed vt ibi, vbi ſaperet imperator, ſpem exploratam oſtenderet victoriæ: deſperatam vbi non ſaperet. Nam Principe fatuo ſapientes omnes delirāt. Quemadmodum enim in inſula Chio, fons eſt, ex quo qui ſapientes bibunt: ſtatim bardi, & ſtolidi fiunt: ita ex principum inſcitia ſol & ſal omnis tollitur rerum

agendarum, & vitandarum. Quocirca non adeò pugna committitur militum viribus: quàm arte, & consilio Ducis paratur victoria. Ægyptiaca est disciplina, bellè à Græcis, & Latinis per Herculem, & Æneam figurata. Nam cur alter Iouis, & Alcmenæ: alter ex Anchise, & Venere censetur filius? non vt id cẽseamus: alterum parentum principi esse Deum, alterum hominem: sed vt intelligamus Principis consilium esse de cęlo: neruos autem & vires, ex moralibus, arte reddi immortales; Cœlique virtute, atq; terræ vtilitate imperia vniuersa durare.

Quòd præclarius sit Principi auro non egere, quàm abundare.
Elog. V I.

NVlla re magis depingi solet discrimen hominis, & bestiæ, quàm temperantiæ colore. Nam, vt ait Socrates, homo edit vt viuat: bestia cõtra viuit vt edat. Res est igitur inhonesta in homine cupiditas: perniciosa in iudice. Nõ enim adeò firma lorica aduersus omnes corruptelarum illecebras, est temperantia: quàm res ad omnia iuris, & iustitiæ vulnera, infelix, & misera, Cupiditas. Quoniam autem iudex cupidus ius habet venale, iudicans non iudicat, quia iudicare, non est ius vendere: sed dicere. addo ad infamiæ dedecus, quòd semper sit miser. Nec satis intelligo vter sit miserior, is ne, qui nihil habet, an is cui nihil satis est. Quid non satis intelligo? inexhausta est cupiditas habendi. Ea enim amplectitur, qui cupiditate laborat, quibus miserius est affluere, quàm omnino carere. Quare in bonorum redundantia semper inops est homo cupidus: nunquàm non diues temperans, in rerum inopia. Virtutem igitur qui habet, quia sibi sufficit, nihil est, quod vlterius petat. Nescit enim egere, qui nihil cupit: nouit opes contemnere, qui omnia bona in se habet posita. Argumenti huius in-

ſignia & lumina finguntur per *arborem Caprificum culicibus vndiq; circunſeptam.* Cum inſcriptione EX EGESTATE COPIA. Quod enim ficus hæc nõ habet, alijs tribuit, ſiquidem nunquã tureſcens gignit culices, qui ad ficus alias aduolantes, earũ frugibus maturitatem non ſolum conferant, ſed etiam accelerẽt. Quorſum? Non eſt Principis, qui diuinus potius eſſe debet, quã diues, ditari: ſed alios ditare. Hæc ſunt nõ inani oratione ficta; non effutita temerè: ſed naturæ teſtimonio, ita expreſſa, vt nemo non intelligat beatius eſſe Principi alijs opes impertire, quã poſſidere. Nam alterum eſt priuatæ: alterum perſonæ publicę. Quanquam tamen qui publicæ conſulit vtilitati, non derogat priuatæ. Pro Doctrinæ lampade, occurrit fabula. Etenim cur Hercules, & Plutonem, & Iunonem, quorum altera honorum: alter diuitiarum Deus habebatur, vulnerauit? vt hoc certè ſentiremus, vel etiam fateremur virtutem non externis bonis: ſed externa bona ſuccumbere virtuti. Nihil igitur ne longe abeam egentius eſt cupiditate, qua ſi æſtuat Princeps, ita eius, & afficitur, & affligitur imperium, vt etiam in rerum copia, nihil eo ſit aridius, & ſpoliatius.

Quòd Principi rerum omnium optima ad imperandum ſit menſura. Elog. VII.



Ccaſio pars eſt temporis: opportunitas, operæ: illa ad celeritatem, hæc ad facilitatem plurimum habet momenti. vtriuſq; arte Princeps in primis maximè commendatur. Nam quod benè fit, ſi alieno fiat tẽpore, malè factum cenſetur. Haud enim quicquam probatur, quod extra cancellos modeſtiæ egreditur. Eſt quippè modeſtia eorum ars, quæ ad agendum ſunt idonea, temporum magiſtra, & locorum domina. Hac virtute tripartitum exornatur Principis

pis officium: vnum ne malum admittat: alterum ne bonū omittat: vltimum, vt modum tenent. In primo, nimium est agere: in altero parum non agere: in vltimo culpa mensuram transire. Virtutis eius aperta pigmenta non obscuris lineamentis efferuntur expressa: per *Gruem lapillum pedibus inter volandum gestantem* cum inscriptione. NE QVID NIMIS. Grues enim cùm loca calidiora petentes maria transmittunt, aduersus tempestatum vim, trianguli efficiunt formam: Lapillosque iusto, & æquo pondere librant, quo neque grauiori deprimantur, neque leuiori efferantur: sed æquabili contra ventorum vim sint saburratæ. Est in imagine egregius modestiæ color, quo in Regijs tabulis tacitè admonetur Princeps vt assentionem à rebus immoderatis cohibeat, atque in omnibus modum, & modestiam teneat. Quoniam autem voluptas neq; modum scit, neque mensuram, ex eaq; corruptela maximè nascitur Reip. hæc in primis, si Lycurgo credimus, radicitus à Principe ex imperio extrahenda est. Agesilaus enim cuidā sciscitanti quosnam fructus spattæ leges attulissent Lycurgi: exilium respondit, & exitium voluptatis; atque modestiæ simul domicilium, quæ sola excessum tollit, & defectū, quibus quasi cibis venenatis non solum nutritur, sed etiam coloratur, & corroboratur omne vitium.

Quòd Princeps nihil priuata: publica vtilitate, definiat omnia.
Elog. VIII.



NTer Principes non parum temperans: multum fortis est laudandus. Temperantia enim cupiditatem tollit, quæ radix est malorum omnium. Etenim nihil est ambitio, nisi honoris: nihil auaritia, nisi opulentiæ: nihil libido, nisi voluptatis cupiditas. prima rationi:

altera

altera fortunæ : vltima vim infert corpori . quo fit vt hominis cupidi animus, ſepulchrum ſit turpitudinũ omnium. Quis igitur Princeps pluris eſt habendus temperans ne, an fortis? fortis. Nam curriculum omne regiæ induſtriæ in publica : non in priuata virtute eſt elaboratum. Fortitudo autem ad bonum commune: ad priuatum magis ſpectat temperantia. Quare hæc in bonis, illi eſt poſtponenda. Nam quod eſt commune maius eſt bonum, quàm quod eſt priuatum. Patet id naturæ teſtimonio. Etenim cùm ipſi ſenſus eò maiori commendentur voluptate, quò magis ſunt neceſſarij, cur in re venerea plus, quàm in cibo reſidet voluptatis? vt certè, natura magiſtra intelligamus publicum bonum priuato eſſe anteponendum. Qui enim liberis dat operam, publicę vtilitati conſulit: priuatæ, qui cibum capit. Sed ne longè abeam, res eſt magis, quàm temperantia, operoſa fortitudo. Itaque multorum eſt magna attentare : paucorum attentata ad exitum perducere: quibus non tã præclarũ eſt incipere, quàm turpe ab incepto deſiſtere. elegãs id in naturæ monimẽtis, loquitur inſigne. *per expreſſam ad paſtũ in aurea patina, teſtitudinem.* cum titulo. AVT EDE: AVT NON EDE. Nec flos, nec color in imaginis pigmẽtis deeſt reconditæ doctrinæ. Carnes enim teſtudinis ſi modicè ſumantur, ventris tormina pariunt: ſin copioſè, eorum morbo curant laborãtes. Quorſum? nec bellum: nec imperium ineundum eſt, niſi acriter ineatur. Nocet enim multis agere: omnes iuuat peragere. illud enim eſt arbitrij, hoc virtutis: vtrunque conſtantiæ, quæ deſponſa eſt, & deſtinata fortitudini. Qui enim fortis eſt, in nullis rebus deſperat: quia nihil natura tam arduum cõſtituit, quo virtus non poſſit eniti. Magno igitur interuallo Princeps temperans, & fortis ſibi inter ſe diſſident. Nam temperantia ſummam laudem concipit, ſed quæ eſt mulietis: Fortitudo verò ingentem gloriam, ſed quæ viro tribuitur: in Principe verò

neutra

neutra virtus laudatur, nisi vtrique virtuti adsit magnanimitas, Magnanimitati fidentia: fidentiæ patientia: ac demum patientiæ perseuerantia. Testatur id itẽ Pelopidas Imperator. Etenim ei in expeditionem proficiscenti cùm vxor ingemiscens sępius exclamaret, vt se vitamque tueretur, aliorum est respondit, se vitamq; in bello tueri: Imperatoris autem alios, atque ex suis incommodis omnia parare Reip. commoda: nunquam gemitum laudi viro: semper eiulatum mulieri probro, vbi moriendum sit pro Rep. esse datum.

Quòd Principi potissimum ab animi affectibus tanquàm ab insidiosis amicis sit cauendum. *Elog. IX.*

NOn solum Herculi, sed etiam cuiq; ad gloriam proficiscenti optimum est viaticum exuuium Leonis. Nam si cum affectu, feritas omnis deponitur: nihil est decorari Leonis exuuio, nisi honestari perturbationis spolio. Affectus enim cùm veluti quodam delectationis aucupio videantur amicorum maximè intimi: metuendi tamen sunt tanquam insidiosi familiares, & hostes beneuoli. Nunquam enim cuiquam magis afficiunt, quàm cùm maximè arrident. Sententię huius color naturæ venustate diffusus, non fuco verborum illitus, effingitur *per Hederam Arbori arctissimo societatis vinculo constrictam.* Cũ verbis. *AMICVS INSIDIOSVS.* Planta quippè hæc quasi instinctu, afflatuq; amoris consociationem affectat arborum: at quas succrescens complectitur: quarumq; infirma adminiculis adoleuit, mox illas præmij loco exedit, ac nefariè interimit. eò spectat id, vt intelligamus ab affectibus esse cauendum, qui cùm maximè nocent, tum sensus voluptate titillant, vt grati, iucundiq; videantur. sentiuntur perturbationum illecebræ: quia non sentiuntur, nisi accepta plaga, earum

frau-

fraudes,& præſtigiæ,iccircò difficillimum eſt animi perturbationes, earumq; inſidias cauere.Hoc ſentiẽs Chilo Lacedæmonius ſolitus eſt dicere φυλαττου ἀυτου.Caue te ipſum.Nemo enim ſi benè attẽdimus,magis alteri, quàm ſibi officit; cũ nihil ſit ipſe animi affectus,niſi rationis morbus,& hominis dedecus.Quoniam igitur illum familiarem hoſtem, magnum eſt eijcere exiſtentem: excludere non facilè, non exiguum elogium eſt prudentiæ,ſeipſum timere. Nam animi affectus neſcientibus vti, non ſolum mentis parit inſaniam: ſed etiam grauiſſimos morbos concipit corporis. Quare non ea in Cœlũ tenditur via,qua aut ſulcatur æquor: aut tranſgrediuntur mõtium iuga: ſed vna extat ſemita virtutis,quæ ab honeſto per affectus & deductos, & ſeductos in viam reducit.

Quòd à Principe ſimulationis artificio morum educanda eſt vrbanitas. Elog. X.

ILLE maximè,inter Principes,ad popularem gratiã eſt accommodatus,qui nõ Solonis: ſed Polypi, meo iudicio,mentem gerit.Parum enim Populus veritati: omnia propè tribuit opinioni.Itaq; boni eſt Principis, non ſolum vultum habere in manu: ſed etiam eorũ auribus,qui audiunt,morigerari.Etenim à fraude iuſta, vt ſcribit Herodotus,ne quidem abſtinet ipſe Deus: ſicq; cum omni laude Vlyſſes fertur doloſus. Nam improbi omnes ferè rationi parere nolentes ea arte capiuntur. Pingitur id non inuenuſtè per *Pardi imaginem,qui capite recundito, feris beſtijs tenetur obſeſſus*. Cũ dicto. NON VIS, SED GRATIA. Nam Pardus ad victũ,præſidij plus nanciſcitur ex arte:quàm ex viribus. Is enim cum propter oris feritatem: oculos ardentes,& fauces continenter prædam anhelantes,terrori ſit cæteris feris beſtijs, capite in ſinum

reflexo

reflexo ne cerni possit, terrorem primum tollit: deindè quia bene olet, agrestes feras, quæ longè absunt, sui odore inuitatas, mox inuadit inuitas. quid? non potest aduersus hostes, vires Elephantis desiderare, qui nouit simulare. Nihil enim ei accidit opus esse viribus, cui facilius est vincere, quàm pugnare. Sertorius igitur cùm esset natura morosior, & violentior, ex industria tamen facilem præ se ferebat, & mansuetum. Siquidem raro fiunt compotes noti, qui simulando, & dissimulando nesciunt aliorum optatis vti. itaque Annibal plures quàm ferro, vicit simulandi artificio: eaq; arte suos sæpe ita animauit, vt ex eorum animis metum omnem abstergeret. Terrefactus enim Glisco cùm diceret admirabilem sibi videri instructum Romanorum exercitum: imò respondit Annibal multò admirabilius est, quod te fugit. quidnam Glisconi sciscitanti, quod ex tam numerosa hominum multitudine, nullus, dixit, appelletur Glisco. sic periculi metum risu tegens, iocum mouit, qui pro metu, alacritatem excitauit militibus.

Quòd ibi murus ahæneus sit Imperij, vbi non desit amicus.
Elog. X I.

MVnitissima Arx est Imperij, non ea, quæ firmissimis cingitur mœnibus: sed quæ multis amicis tenetur stipata. Nihil igitur Princeps populari beneuolentia debet habere antiquius. Non quia Principi vnicum est, & inexpugnabile, vt inquit Seneca, munimentum amor populi: Sed quia potius nihil est ad Imperij felicitatem, amoris modo copulatius. Siquidem vltrò ei omnes obediunt, quem amant: ratumq; id habent, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. Nec adeò tamen Principis est multorum affectare beneuolentiam: quàm simultates in odio habere, &

male-

maleuolentiam. Nam Princeps, vt ſcribit ad Dionem Plato, neque ex virium imbecillitate: neque ex auri inopia: ſed ex amicorum tantum egeſtate amittit imperium. Quocirca ei non eſt vtile, opibus: ſed amicis abundare. Siquidem opus longè minus glorioſum eſt habere, quàm habentes poſſidere. Amicitiæ autem ſimulacrum ex artis ſinu, & naturæ gremio *per Canem pro foribus domeſticis excubantem, conſtituitur.* cum titulo. FIDES INCORRVPTA. Ex hac imagine egregia, & præclara amicitiæ exit indoles. Nam vt Canis, ſic amicus ſolers, vigilans, & diligens eſt in aliena ſalute cuſtodienda: acris verò & vehemens in offenſione propulſanda: neque in eo, quod exigit amor, moræ eſt patiens. quid multa? nec ſpem, nec metum: ſed officium ſequitur amicus. Quare in amicis Principi ſunt & munimenta Imperij, & monimenta virtutis. Itaque Scipio Africanus, vt Polybij ſermone increbuit, nihil conſueuit maiorem in modũ affectare, quàm amicos: malebatq; hoſtes benè merendo ſibi reconciliare, quàm perdere alienatos. Nam qui hoſtis nouit nõ parum obeſſe: idem, vt ſcribit Thucydides, amicus factus non ignorat plurimum prodeſſe. quid dicerem amicum in dubia Martis, & ancipiti fortuna confirmare? ſola amicorum fides eſt explorata. Hi quippè ſoli norunt pro aliena ſalute, excubare animo: ſoli nullis poſſunt ab alienari rerum aſperitatibus: ſoli deniq; norunt fortiter agendo, mortem doloremq; contemnere: quorum alteram, quia initium eſt ſempiternæ vitæ, in bonis debemus habere: alterum ex malorum finibus exterminare, quia inter animi bona, nihil eſt tam ſalutare, quàm quod dolorem maximè facit.

Quòd

Quòd Morum facilitas, alienæ procacitatis sit remedium, & petulantiæ. *Elog.* X I I.



QVoniam in imperitæ multitudinis turba, pauci benè sentiunt: multi perierant: omnes ferè malè loquuntur, nulla aduersus petulantiæ, & procacitatis morsus est armatura validior: nulla lorica contra eos, qui in alios dentes exacuunt, firmior, quàm in malè audiendo, morum comitas. Nam cùm bonum non probetur, nisi à bonis viris, quorum mira est paucitas, non solum regium est cùm benè feceris malè audire: sed etiam maledictis gaudere. Siquidem, quia nemo sapiens stulto placere potest, Principi veluti quædã gloria est, displicere Populo. Non enim honesta: sed grata quęrit Populus. Quare pluris est ad calumniam vitandam placere Populo, quàm præclarè agere. Princeps igitur si linguam mortalium vetare volet, ea nitet oportet, quæ stomachum moueãt Populo. Argumenti vis, & ratio adumbratur *Hyenæ figura, cuius vmbraculo Canes vicini offunduntur*. Cum verbis. NON LATRANT. Minutis sæpè diuerticulis, & flexionibus, rei imago in pelagum ingens immergit doctrinæ, vt præsens hæc docet imago. Cur enim Canes vbi Hyenæ increpuit vmbra, aut pressum fuit vestigium, obmutescunt, obliuiscũturq; latrare? quia & Canes, & Maledici in eos tantum dentes exacuunt, qui minimè placent. huic autem Crimini occurritur non vitæ innocentia: sed morum varietate, quam qui possidet, solus imperitæ multitudini placere potest. Hyenæ non mutum, aut inane: sed graue, & apertum est testimonium. Animans enim hæc vocem habet hominis: naturam bestiæ: masq; simul est, & fęmina, quorsum? qui non vult hominum sermone vapulare: omnium mores debet induere: solusq; Princeps ille minimè malè audit, qui omnium est horarum. Philippus itaq; Rex Macedonum,

num, quia norat omnes ſua trahi cupiditate, eorum procacitatem, à quibus ſe laniari maledictis, & lacerari ſentiebat, illarũ rerum, quas illi appetebant, compenſabat muneribus. Quare beneficio vincti ſimul, & victi ſtatim, vt veteri fertur prouerbio, cogebantur, Palinodiam canere.

Quòd difficilius ſit in imperio ſecundam, quàm aduerſam ferre fortunam. *Elog.* *XIII.*

QVi honoribus neſcit vti, anſam ex honorum inſignibus capit exitij, & infamiæ. Quantũ enim inter Solem & Phaethontem in Imperij habenis regẽdis, intereſt: tantum inter ſapiẽtem Principem, & ſtultum, eſt diſcriminis. Quare nihil eſt in Reip. eluuione formidabilius, quàm ſordidũ honeſtis, atque imperitum imperare peritis. Id res, non ancipiti ſenſu obruit: Sed aperta recludit imagine per *Capram in aprico horto, arborum baccas, terræque fruges carpentem.* cum dicto. EGESTAS EX COPIA. Nam & Capra obeſior ſterileſcit, & homo imperitus auctus inſoleſcit honoribus. illa ſatis omnibus eſt inimica: hic bonis vix vllis amicus. vulgata ſunt etiã in magnis viris exemplorum teſtimonia. Nam Antigonus: Lyſimachus: Ptolemæus, cæteriq; Alexandri ſucceſſores, quandiu nomine, & regijs inſignibus abſtinuerunt, benignè, & clementer ſe geſſerunt: cæterum vbi Diademate fuerũt decorati ijs ſtatim vis, pro iuſtitia: pro æquitate, Libido: fraus & ſuperbia, pro humanitate, & clementia placere cæpit. Prioris enim fortunę obliti, auſi ſunt hiſtriones imitari, qui vitam, & mores cum veſtibus vno die ſæpius mutant. At is demum verus eſt Princeps, cuius ſumma virtute amplificata colitur, & obſeruatur auctoritas. ei enim, cui appetitus, non ratio imperat, animus eſt fractus, abiectus, & arbitrio carens ſuo.

Quod Gloriosum sit Principi à Populo amari: miserum timeri. *Elog.* XIV.



VOniam homines natura:fidos parit amor,ibi firmissima arx est imperij, vbi neque Princeps populum: neque populus Principem timet, sed amat. Nec alia de causa Homerus Iouem,quem Deorum, hominúque Regem facit, patrem appellat, nisi vt doceat regnum esse paternum, hoc est plenum amoris Imperium. Itaq; ius in quo ars est imperandi, neq; ab imperando, neq; à præcipiendo est dictum,quorum alterum est domini: alterum magistri: sed dictum est ius à iubendo,quasi iussum,quod parentum singulare est, & proprium: ex quo intelligimus nihil esse in iure non referatur plurimo amore. At nemo quem timet,amat. Quare,vt nexus aliquis sit Principis,cum populo amoris:& populi cũ Principe, verecundiæ inter vtrunque datur locus: non datur timori. Nam si populus, vt docet Plato in libris de legibus, timetur à Principe, nihil fit populo miserius, quia ei Princeps infausta machinatur omnia,pestemq; exoptat:sin contra Princeps horrori est populo,ei populus factiones,& insidias parat pro obsequio.Quid ita?quia quæ timentur bona: timidis tanquàm mala,infesta redduntur omnia. Sententiæ huius pictura, vt etiam teneantur oculi:non solum aures eius sonitu, oraculo verius effingitur insigne, per *Ocymum in mensa sub ferculi suauissimi patina.* Cum inscriptione, DISPLICET TIMIDIS. vbi enim nihil est mali: ibi si timor adsit,malum plus est nimio. Hoc si veterum superstitioni credimus, eleganter insigne. Nam mulieri, vbi sub Obsonij patina, planta Ocymi,aiunt, lateat,cum radicibus,timori est Obsonium: nec audet,quem appetit,cibum capere. Quid? admonemur hac imagine,neminẽ magis,quàm timidissimum quenque suo timore ludificari. præclara verò

à na-

à natura petita imago. Siquidē obſcura timoris mendacia, nulla dictione clarius, quàm imaginis huius ſplendore poſſunt illuminari: ex qua intelligimus naturæ teſtimonio, timidis ſæpe bona non prodeſſe: ſemper obeſſe mala: atq; ijs nunquàm non eſſe plus in timore mali, quàm in eo, quod timent. eſt igitur in ipſa figura Criticum commentum: quo in Imperio damnare timorem: laudare cogimur amorem. Nam ſi abeſt timor, nunquàm vulgare fœnus eſt amoris; cuius gratia quaſi vſura, ſemper reprehendi ſolet niſi cumulata. Qui igitur Princeps in Imperio ſerit amorem: ſemina ſerit virtutis. Nam vir bonus virum tantùm amat bonum: malus verò nec malum, nec bonum. ſolus enim vt Plato aſſerit in Lyſide, ſapiens, nouit amare. Habet igitur inſigne hoc Ocymi, quod cibi amorem: animi arguit timorem, non commentum figuræ: ſed condimentum doctrinæ.

Quòd nihil ſit in arte imperandi potius, quàm bonorum vitare odium.
Elog. XV.

NVllius Principis maius eſt, contra Imperij pericula, propugnaculum, quàm eius, qui non in armatorum arce: ſed in amicitiæ æde tenetur incluſus. Nam fida, vt ait Socrates, Regum cuſtodia, non turribus: non propugnaculis: non mœnibus: non armis: non ſatellitibus: ſed amicorum præſidijs, & ciuium beneuolētia oſſeruatur: ſine quibus Imperium non poteſt ſtare, nedum augeri, & propagari. Siquidem maxima queq; Imperij firmamenta vno mortalium debellantur odio: quod minimè eget exemplorum teſtimonijs. Nā cùm res omnes in obſcuritate doctrinæ quaſi quodam artis Sole ſint illuminandæ, oſtenditur id per *imaginem Filicis Arundini alligatam.* cum dicto, FVNDITVS DESTRVIT. ea enim eſt inter vtranq; plantam odij vis, vt ſi earū: altera vo-

meri fuerit imposita, quo exaretur campus, alterius stirps & semen radicitus exanimetur. quid? quod vulnus, aiunt, ex vnius flagro infligitur: alterius superposito statim curatur. Quorsum? publicè omnes: priuatim singulos, & instruit, & destruit odiũ. alterum, quoniam quot existunt inimici, tot sunt non proletarij homines: sed grauissimi morum, vitæque alienæ censores. Quare Romani, hostibus tantum magistris, doctrinam non solum nacti sunt imperandi: sed etiam mundi Imperium. alterũ, quia nihil est odium, nisi venenum publicę salutis: priuatę exitium, quo qui laborat semper alijs est infensus, & infestus: nunquam nõ perniciosus. Exuit enim humanitatem: bestiæ induit immanitatem. quid inquam bestiæ immanitatem? imò vesanã furiarum insaniam: qua olim correptus Ptolemæus Euergetes Ægypt. Rex, filium, quem ex Cleopatra sorore susceperat, in Cypro occidit, eiusq; caput, & pedes matri pro munere natalitio remisit. Odio ille erat à suis ex regno pulsus: odio exardescens suæ acerbitatis virus in suos euomuit. Quare iure Rex Antigonus solitus & dicere beneuolentiam sibi videri optimum Regni firmamentum, verissimumq; rerum omnium præsidiũ. Quanquam tamen odium virtute eruditum, malorum omniũ est interitus. Acres enim sunt erga amicos ex odio beneficentię stimuli: non hebetes contra ex beneuolentia contra inimicos aculei. Qui Princeps duobus his & regit, & regitur consulibus, non longam, sed gloriosam vitam appetit. Nam mors gloriæ eius est stipendiaria, qui mauult virtuti, quàm naturæ vitam acceptam reddere.

Quòd virium, in Principe gloria omnis efflorescat ex Virtute.
Elog. X V I.

QVia nemo ab ijs, virium vincitur robore,quos ingenio vincit, & virtute: is certè inter mortales poteſt plus, qui mortalium omnium eſt optimus. Nã virtus rerum omnium cùm ſit regina,vltrò viri boni virtuti,omnes coacti parent improbi. Quid ita? quia nec vis, nec dolus multum virium habet contra virtutem. Virtus enim in dubijs dolũ ſuperat conſilio: hoſtium vires, in periculis arte. Non patitur igitur ratio, vt Princeps, qui modo ſit Princeps, poſſit, aut vi, aut dolo ſuperari. Nam tantum cenſetur viros anteire virtute, quantum viri pueros anteeunt robore. Nec id falsò quidem. Qui enim reguntur,eo omnes deteriores ſint oportet,qui regit. quid dicerem imbecilliores? ſententia eſt Ariſtippi: quæ & armatur, & ornatur naturæ, in virtutum inſignibus, auctoritate. vbi *Coronæ effingitur imago Amãdinis Lapillis inſignita*,cuius ex altera *parte,veneni pocula* ſint euerſa: ex *altera fracti, & comminuti gladij*. cum titulo. NEC VI, NEC DOLO. Bellè id omne adumbratur his natura monimentis, & artis. Nam Amandinus lapis Gemma eſt,vt ait Albertus Mag.coloris varij,venenum omne aut reſtinguens, vt reprimens: victoriamq; contra armatos hoſtes geſtanti miniſtrans. Magnum verò virtutis encomium. quid dicerem viri boni? quantum ex ancipiti, & dubia quæſtione derogatur doctrinæ: tantum ex naturæ teſtificatione,ad omnes pellendas quæſtionis tenebras, accedit cumulus auctoritatis, & diſciplinæ. Nam quòd Phœbus, vt eſt in fabulis, Pythonem,ſerpentem interemit,non Phœbum Phytho: id eò pertinet, vt intelligamus hoſtes Principi, qui modo ſit Princeps poſſe prodeſſe: non poſſe obeſſe. hoc quippè norunt de Cœlo orare omnes: ſolus ſapiens exorare, vt ſumma quęque

bona possit à Deo: nulla mala ab ipsis hominibus possit capere. Accedit hùc Bellerophontis doctrina in fabulis recondita. Nam quorsum quòd is, vt est apud Homerum, Pegaso insidens occidit Chimeram? certissimus est, si modo sapimus, in virtutis Imperio, malorum omnium interitus. Nihil quippè est Bellerophon, si vim nominis, ad viuũ velimus resecare, nisi monstrorum domitor, atq; malotum omnium profligator. Nã qui induit personam virtutis, cui omnia cedunt, fortissimos armis: callidissimos quosque arte vincit, & consilio.

Quòd quasi Leonem dormientem excitet, qui incesto ore detrahit Principi. Elog. XVII.



Tsi detestabilior est inscitia in magistro, quàm in discipulo: longèq; turpius in Principe vitium, quàm in populo: nõ tamen sunt culpandi, sed ferendi Principes. Nam repagula iuris perfringit, qui in eos dicit, contra quos ius nullum habet: nec, sine impudentiæ macula, quis potest improbare quod Princeps probat. quid inquam sine impudentiæ macula? ex petulantiæ, in Principem, vulnere, cicatrix apparet, non procacitatis, sed perduellionis. Nulla enim securis capitalior infligi potest Reip. quàm eorum calumnia, qui aduersus Principes dentes exacuũt. Pingitur id coloribus naturæ, & artis penicillo per *Viperam, quæ Tauri Calcem mordicus teneat.* cum titulo. GLADIO ACVTIOR. petulantium lingua, quæ flabellum est malorum, grauis, & acerba est Principi: petulantibus infamis, & exitiosa: alterum quia viperinus morsus acrius pungit, quàm ferro hostis armatus ferit: alterũ, quoniam nulla re melius, quàm viperino curatur cinere. iniquum quippè est, Principis mendum non ferre: sceleratum reprehendere: quid dicã maledictis lacerare? etsi coruus olim, vt loquũtur

tur Poętæ, præ candore: Mercurio erat charus, quia tamen non dubitauit; quod res erat, de adulterio Coronidæ, referre, niger ex candido, ad perennem infamiæ notam, euasit. Atra hæc obtrectatores vniuersos mordet macula. Nec adeò Principes maledictis lacerant, quàm ipsi lacerandi sunt supplicio, & pęna. Siquidem fas est Principem proprio aliquo laborare vitio, quo facilius ferat alienum. Atq; insani quidem sit hominis desiderare aliquem, qui pręsit alijs, cui nihil desit in moribus. Nā se notatur C. Cæsar Ambitionis: Alexander temulentiæ: Pyrrhus vesani furoris: Annibal dubię fidei: Fabius tarditatis: Marcellus præproperæ festinationis, quid est dementius, quàm spe rare aliquem fore, qui in tractando Imperij clauo, omnibus sapiat horis? non exiguum ignorantię: summum in eo improbitatis est argumentum, qui vt accusator mordet: vt testis improbat: atq; vt iudex damnat Principē. Criminis huius impatiens aliquando Persarum Rex Cambyses, ex familiari seuerus: ex seuero sæuus demum in familiares euadit. Temulentiæ quippè à Persaspe notatus, mox quem arcum manu tenebat, tetendit, atque spiculo eius filium per medium traiecit, inquiens non esse temulenti à medio non aberrare. Hoc exempli testimonio admonere posteros censetur antiquitas iniquū esse mordere Principes, tutiusq́; esse coram ijs vera audire, quàm dicere. Id enim Ascalaphus si tenuisset, nunquam fuisset, vt est in fabulis, ex homine in Bubonem, infaustam, & funestam auem, à Proserpina mutatus.

Quòd Princeps auctor sit, & opifex publicæ felicitatis.
Elog. XVIII.

SIcuti ex amussi Architecti: sic optimi quiq, viri ex Principis prudentia, statim quid deceat, & dedeceat, in omni re ancipiti, & dubia intelligūt. Quid inquam intelligunt? quem-

admodum itineris dux, qui recta contendit via, hoc pręstat sequentibus, vt nunquam aberrent: ita qui prudens est Princeps nec ipse à ratione deflectit: nec alios sinit de semita rationis deflectere. Quocirca vno omnium ore, & sermone percrebuit, vt qualis existat Princeps, talis sit populus: cùm nihil sit Principis prudentia, quàm populi instructio, & disciplina. Habet autem Regia in textili pictura, argumenti huius imaginē per *Struthiocamelum suo intuitu oua & fouentem, & excludentem.* cum inscriptione. VITÆ PROCREATRIX OBSERVATIO. Prudentiæ regiæ vim, & naturam, quæ hac adumbratur figura, & imagine, non solū acutissimus quisque, & ingenio limatus: Sed etiam qui arte leniter est imbutus, facilè recognoscit. Nam vt Struthiocamelus non incubando, sed intuendo animat oua: ita Principis oculi populū magis ad virtutem videntur animare, quàm præcepta instruere. Exempla enim virtutum non solum apertè concipiuntur, sed etiā procreantur gloriosè, in eius ore, & oculis, cuius interest virtutes præmio, & gloria compensare. Hùc accedit, quòd populi oculi exemplis: aures præceptis magis erudiantur: quorum alterum est virtutis: alterum doctrinę, vtrunq; regiæ sapientiæ. Quare Plato solitus est dicere tum fore beatam Remp. cùm aut sapiens inciperet regere: aut Rex sapere. Nihil enim vt ait Philo Iudæus, sapiens frustra cupit: cùm sapientiæ cogantur omnia parere. Grauis est, & eruditionis plena auctoritas Poętæ. Nā quorsum, quòd apud eum, Æneas cōpellans Apollinem, & Dianam pręcibus, vtriq; se promittit tēpla erecturum? fons duplex est ex conspectu Principis, atque vberrimus publicæ felicitatis: vnus doctrinæ, quæ Apollini: alter virtutis, quæ tribuitur Dianæ, ex quibus Princeps felicitatē haurit communis salutis, & vitæ. Quæ summa igitur est Reip. commendatio: ea omnis in Principis prudentia est posita. Nā si omnes ciuiles societates, vt scribit Xenophon, eorum potissimum

mum ruunt vitio, qui illis præſunt: par eſt rationi, vt earum incolumitas non ex lege: non ex opulentia: ſed ex Principis virtute ſit petenda. Siquidem, quia expers eſt ſenij virtus, ſi Reſp. continenter rectè adminiſtraretur; illa vnà cum virtute perennis euaderet, & perpetua.

Quòd Principi non rara: ſed nulla, ſine patientia, ſit Virtutis gloria.
Elog. X I X.

PRinceps ſapiens neq; fertur à populo, niſi cum ſtomacho: neq; fert populum ſine dolore, & difficultate. alterum quia vitat, & vetat quæcunque multitudini placent. alterū quia populus bellua eſt multorū capitū, quam Principi difficillimum eſt vno freno arcere rationis, atq; in officij gyro retinere. Quocirca nemo ad Remp. magis eſt idoneus, quàm qui ad rerum aſperitates, occalluit patientia. Nam malorum ſeges eſt ad gloriam vberrima, tolerantia: qua tantū virtus nutritur maſcula. Etenim Principi multo plus cū populo: quàm olim fuit Herculi cum Tauro, eſt negotij. Quare nemo magnus ad tractanda Imperij gubernacula euadit, præter eum, cuius ſtomacho diuturnus labor, quaſi callū quendam obduxit ad laborem nouum. Flos quippè virtutis, & decus gloriæ, in rebus arduis vna eſt patientia, quaſi armatur Princeps nec vinci, nec lædi poteſt. Exprimitur id ſua imagine, non ſine auctoritate naturæ, & cū rationis teſtimonio *per Crocodili tergus, & haſtam ſimul ferro retorto confractam.* Cum verbis. SEMPER INVICTVS. Qui patientiæ vires omni malo eſſe maiores, ex hac non ſentit imagine: is non modo hoſpes, & peregrinus in re literaria ſit oportet: ſed etiam trūcus, & ſtipes ſine ſenſu, ſine colore. Nam Crocodilus terra mariq; omnes euadendi vias nouit: atque belluæ eius tergus adeò aduerſus maximas

quaſ-

quaſq; plagas obdureſcit, vt in earum infinitate nullas ſentiat, atq; vniuerſos teli, & ferri ictus reſpuat. quorſum hæc? in rerũ diſcrimine limen eſt virtutis: in patiẽtia progreſſus gloriæ, atq; decus victoriæ. Non. n. ſolũ virtus: ſed etiã patientis vireſcit vulnere animus. Quare ſolus patiens ſemper nouit plurimis rerum aſperitatibus immerſus emergere: Frãgi nõ nouit, quippè qui, per annulũ, veteri prouerbio, trahi poteſt. quid inquã frangi nõ nouit? imò ne dolere quidẽ. Nã cuiuſuis doloris remediũ eſt patiẽtia, id eſt ars patiẽdi, & ſcientia, qua aduerſa ſuperantur omnia: fiuntq; patiẽti ex aduerſis ſecunda. Etenim iccircò nõ minor eſt victoria, mala ferẽdo vincere; quàm reſiſtẽdo: Hoc. n. ſępè eſt fortunæ: illud ſemper virtutis? Nec minus rara eſt, quàm difficilis ars dolẽdi. Nã ſicuti Eſchines Philoſophus, pro dolore lateris, ex quo grauiter laborabat, nunquã ingemuit: ſemper rationis plagã, & virtutis vulnus grauiter, & acerbè tulit: ita turba mortalium cùm peius ſit virtute egere, quàm pecunia: in altero vix morſum aliquẽ ſentit doloris: in altero cũ gemitu iacet, & ſuſpirio. atq;, ne longè abeã, hoc inter voluptuoſum, & patientem hominẽ intereſt, quòd ille in bonis ſit miſer: hic etiam in malis beatus. quid attinet, quod res eſt altè repetere? eſt tolerantia vehiculum, præſertim in bello, magni oneris: in pace, iuſtitiæ, & ęquitatis, quam facilè Princeps deſerit, niſi in rerum difficultate, facilitatis magiſtram retineat patientiam?

Quòd alia ætas Principis, alio virtutis pabulo ſit educanda. Elog. XX.

QVia ſolertia non ſolum difficultatis, in rebus agendis, ſed etiam temporis deficientis eſt medicina, Princeps in primis laudatur, qui ſolers eſt, & diligens. Non. n. tantùm difficultatis eſt in onere Atlantico: quantum roboris exiſtit in Principis ſolertia, & ſtudio, quo monſtrorum domitor Hercules ſolus, omnes mundi abſorbuit difficultates. Cur ſolus Hercules? quia cuiq; ætati Principis, ſua ars eſt, & diſciplina: omnis

nis verò ei tantum, qui nunquam obdormit tempori. Etsi.n.in Principe alia ætas,alios mores postulat: qui tamen est diligens, quia momenta omnia obseruat temporis ; solus est omniũ horarũ: vnusq; tantũ ea tenet,quæ omnes norunt. Magna verò in Imperio diligẽtis Principis gloria, cuius nõ parũ ornamenti est honesta legere: colligere multũ : deligere tã rarũ, vt vix vna ad deligendũ sufficiat ætas. Nã alia anni tẽpora,aliam ansam Principi porrigunt deliberandi. Argumẽti huius effigies,& simulacrũ constituitur per *Echinij imaginem stantis pro orificio latibuli*:cũ dicto, TEMPORI PARENDVM. Nã Echinius,qui alio nomine Hiricius dicitur,duo latibuli, in quo degit, cõstruit orificia, vnũ Austrum versus: alterũ Boreæ expositum: quaq; parte ventum futurũ præsagit,vnũ claudit,alterũ recludit. Quorsum? in eo solertiæ vis sita est,vt nõ sit properandũ:sed maturandũ:nec quicquã Principi in regẽdo,præter id,quod dies postulat,agendũ. Nã si cognitio est clarior opinione. opinio obscurior ignoratione,atq, tẽpus solũ opinionis,& cognitionis simul parit maturitatẽ, quid est rationi tã cõsequẽs, ꝙ vt alia ætas in Principe; aliud postulet? Ex ipsa imaginis adũbratione, tãquã ex cella aliqua doctrinæ illę opportunitates hauriũtur tẽporũ , quibus oĩs nutriẽda est Principis ætas. Apertius id certè: nõ elegãtius fortè Homerus. Siquidẽ ab eo Principũ ætates aliæ,alio librãtur pondere. Itaq; iuuenis Princeps Achillis,& Aiacis exemplo instruitur: Adolescẽs arte Antiochi,& Merionis informatur: Adultus, Idomenei,ac Vlyssis institutis eruditur:Senex deniq; Nestoris, & Agamẽnonis rebus gestis redditur plenior . Nec id meo q.dẽ iudicio nõ sapiẽter. Nunꝙ.n.idẽ ferè diuersa patitur vita.Nec reprehẽdi id:sed laudari potest.Nã vt fabula,ĩquit Seneca, sic vita nõ ꝙ variè:sed ꝙ benè acta sit refert. nihil. n.ad rẽ ptinet, illudne,an hoc agat in tuẽda populi salute,Princeps:dũ in agẽdo,nõ desit modus:semper adsit quod res,tẽpusq; petit:atq;,vt scribit Herodotus,monimẽta ad posteritatem, relinquat suæ virtutis.

Quod

Quòd minimè norit malis reniti, qui cedit voluptati. **Elog. XXI.**

NEmo nouit imperare viris, nisi qui nescit parere fœminis: nemo amare virtutem: nisi quĩ in odio habet insatiabile abdomen. Itaq; Indi olim, quia boni viri est nolle peccare cum possint, vt ratam imperantis in vtroq; haberent virtutem, lege cauerant, vt emptitiæ mulieres apud eos, Regis curarent corpus: & si quæ Regem occidisset ebreum, ea, præmij loco, nuberet successori. Malus quippe est virtutis magister, qui voluptatis existit minister. Quare decet imperantem, cuius est mortalium appetitus frenare, nõ voluptatem, sed voluptatis sequi detestationem. Est igitur temperantia non solùm virtus: sed etiam gloria Principis. Hac enim qui est preditus, omnia cupiditatũ stomachatur Lenocinia: nec pecuniã amat, sed iustitiam. id in pictis, fictis, celatisq; formis effingitur *per Vulturem Euro expositum.* cũ dicto. SINE VENERE. Est enim vultur Ales regia: maximèq; rei venereæ aliena. Concipit enim sine mare, Euro spirante; vt procreat Cantharus æstu feruente sine fœmina. Neq; enim in Cantharorũ stirpe, fœmina: neq; in Vulturũ, mas reperitur genere. accedit hùc, quòd in vulture, veluti quoddam sit iustitiæ specimen: cuius est omnibus prodesse: nemini nocere. Vultur enim eorum, quę homines arant, nauigant, nihil attingit: nec viuus morsu: nec mortuus pedore viuentibus nocet. Præclara verò temperantiæ figura, ex qua patet maiorem esse omniũ opinione fructũ tantę virtutis: nihilq; magis in delicijs esse fugiendum, quàm quod maximè placet. idq; domi: sed in primis militiæ. Nam qui capitur voluptate, facilè in periculis, frangitur timore. Itaq; Scipio Maior Imperatori magis voluptatẽ, quàm hostem, censuit esse metuendam. quid censuit? imò præclaro argumenti testimonio docuit. Miles enim Carthagine capta, cùm virginem

quan-

quandam insigni forma ad eum adduxisset: militem cum responso hoc remisit, quia dixit, tam admirabili virgo formæ est elegantia, nō adeò Scipioni debet placere: quàm displicere Imperatori. Sapienter ille quidem. Neque enim est Imperator, qui non sit fortis: neq; fortis, qui cedit voluptati. Virginem igitur seruari, atq; integram suis restitui iussit, & ita, vt non adeò videretur temperanter agere, quàm alios ad temperantiam instruere.

Quòd dicendi vis, in Principe, pro muro sit Imperij.
Elog. XXII.

QVemadmodum Principis decus est Imperium: ita Imperij ornamentum in Principe, est facultas dicendi. Non quia eruditio omnis iacet orationis ieiunitate comminuta, sordetq; verborum pedore contaminata: sed quoniā eloquentiam qui habet, artem habet suadendi quod volet. Nō dubia est auctoritas, & explorata est auctoritatis ratio. Etenim cur aut Pyrrhus Cineæ oratoris eloquentia plures asseuerabat vrbes se expugnasse: quàm armati exercitus viribus, & robore: aut Alexander Magnus tanti oratorem fecit Phocionem, vt nulli mortalium, præter quàm Phocioni salutem per litteras dixerit? non est difficilè ex eorum testimonijs odorari, vim dicendi esse donum Dei. vt enim perpetuò Deus in mundo: sic ars disserendi continenter diuidit & componit. Nec vlla vis tanta est Imperij: tamque ingens moles, quæ non cedat eloquentiæ. Rei eius insignia, & lumina finguntur per imaginem *Echeneis Nauis clauum, aduersus vim tempestatum, in alto, mordicus tenentis.* Cum inscriptione. OMNIVM OPINIONE VALIDIOR. Ore enim potest plus pisciculus hic, qui inferior est pedali magnitudine, & limaci magnæ simillimus,

quàm

quàm & ars ſimul nautarum, & ſummæ tempeſtatum procel-læ. Huius quippè morſu Nauis oneraria tenetur aduerſus ęſtus maritimos, cum omnium admiratione, immobilis. Neq; tamé eloquentię hoc inſigne admirationis habet plus, quàm ipſa eloquentia ſtuporis. Siquidem Demoſthenes aliquando Græciam defendens, ſolus maiori fuit terrori Macedonum Regi Philippo, quàm vniuerſus totius Græciæ armatus exercitus.

Quòd Principis ars omnium ſit inſtructio, & diſciplina.
Elog. XXIII.

NEc Bos, ſi cornua eius pice, aut oleo illiniuntur, pedum, vt refert Ariſtoteles, ſentit dolorem: nec Ciuitas ciuium, quibus ſuſtinetur, vllum capit incõmodum: ſi modo caput eius Princeps arte imperandi imbuitur, & doctrina. qua illa? quæ & militiæ, belli, & domi, ingenij omnes abſorbet difficultates: quæq́; non adeò voce aures, quàm præclaro facinore oculos inſtruit mortalium. Nihil enim eſt ars Principis, niſi mortalium omnium inſtructio, & diſciplina. Itaq; cæcos auribus: ſurdos oculis ſic erudit, vt nihil deliteſcat in ignorantiæ tenebris, quod videatur Principis cognitionem ſubterfugere. videt quippè qui ſapit, non ſolum in tenebris, ſed etiam audit in ſilentio: atq; ab alijs obſcuriſſimas inſcitiæ pellit tenebras. Exprimitur id ſuo artis penicillo per *imaginem Noctuæ, cuius ex ala dextra diſtillet ſanguis*. cum titulo. LVMEN RESTITVIT AMISSVM. Eſt naturalis hiſtoria tanquam diuerſoriũ, & officina ingenij, atq; doctrinæ. Quid? Noctua quia Ædes in ſilentio audit ruinam minantes, nunquã in ijs nidum conſtruit: quiaq́; pellit tenebras ſemper odit volare, niſi præcipitato Sole. Atq; ſanguis, aiũt, qui ex Alitis ala eius dextra ducitur, ſcientibus vti, ſenſum oculorum reſtituit amiſ-ſum.

ſum. Quare iure Regiæ virtutis laudis, & gloriæ imago hæc deſponſa eſt, & deſtinata. Nec inconſideratè. Nam ſola inter omnes aues Noctua, & videt, & canit, & volat in tenebris, nouitq; temporis benè vti iniuria: facit item ad rem, quòd illa & in armis, & in litteris, plurimum mortalibus vehat momenti. cur in armis? quia armatos terret exercitus. Hæc enim Pyrrhi contra Argos copias mouẽtes cùm haſtę inſidiſſet, vt inauſpicata fuit, eiq; ſiniſtram portendit fortunam: ita omnibus, quibus apparet, ominoſa eſt armatis. cur in litteris? quia ventri, qui ingenij hoſtis eſt pernicioſus, adeò eſt inimica, vt ſi infans ouum Noctuæ ante ſorbeat, quàm lac nutricis guſtarit, perpetuo abſtemius ſit futurus, ex quo, puto, factum eſt, vt apud Poętas, ſacra ſit Mineruæ. Quorſum hæc? etſi pecunię nerui, & vires ſunt, in Imperio rerum agendarũ: robur tamen Imperij, non eſt in pecunijs, quibus ſapiens glorioſius ducit non egere, quàm abundare: ſed in rerum intelligentia verſatur, & Principis ſagacitate. Quare non magis magiſtratus populos: quàm Princeps ipſos magiſtratus ſuæ diſciplinæ alumnos debet habere. Graue teſtimonium eſt Iphicratis. Nam cur in armis iactitabat ſe neque eſſe equitem, ſed qui equitatũ noſcet ducere: neq; grauis armaturæ militem, ſed qui turmas poſſet regere: nec ſagittariũ, ſed qui ſagittarios ſciret inſtruere: nec deniq; peltam gerẽtem, ſed qui peltarum eſſet opifex & magiſter? vt hoc certè exempli teſtimonio memoriam refricaret artis imperatoriæ, quæ ſola omnes rei bellicæ parit diſciplinas: cuiusq́ue in carceribus virtus omnium, & doctrina tenetur incluſa. quod ab armis, ad rem, etiam literarium referri debet. Nam in bonis nihil eſt litteris melius. tum quia animi, conſilijq́; egere, miſerrima eſt egeſtas: tum quoniam iam intelligenti, earum rerum, quas vulgo ſuſpiciunt, non difficilis eſt copia.

Quòd

Quòd ſicuti ingenij doctrina: ſic doctrinæ decus in Principe ſit ſilentium. *Elog.* XXIV.

QVoniam plura decet ſapientem tacere, quàm loqui: Princeps omnium cùm ſit ſapientiſſimus, multò magis ex ſilentio laudatur, quàm ex copia dicendi. Nam ſilentiũ apud ſapientes, eſt orationis loco: quorum altera poteſt, alterũ non poteſt reprehendi. Quare eſt Principis plurimum cogitare: minimùm loqui: ſumma verò operari. cur cogitare? quia homini, vt inquit Varro tribuitur cogitatio, Deo ſcientia. In cogitatione autem hæc lues eſt, & contagio, quòd conſtat cogitationis vis ex ſenſibus, qui norunt veriſimilia: non norunt vera ſequi, quo fit, vt homini cogitanti incerta reddantur omnia. in Rebus autem incertis, & dubijs ſilentium prudentiæ: ſilentio proximus eſt laconiſmus: quem vulgò maximè ſoleo probare. Nam facundia ſine arte, nunquam momentum ſolet afferre doctrinæ: ſemper nauos, & nubeculas pro doctrina, effutire inſcitiæ. Sed ne me ab argumento vulgus abducat literatorum: Principem potiſſimum, in Imperio dignum gloria eſſe cenſeo, qui præcepta hæc tria, ita tenet Socratis, vt eius mentẽ prudentia: voluntatem iuſtitia: Linguam verò honeſtet ſilentium? Magna eſt, fateor, ars dicendi: ſilendi multò maxima. Sunt quippè mortales eloquentiæ: ſuperi ſilentij magiſtri. illius igitur ars: huius virtus in Principe maximè commendatur. Sicuti enim non eſt eloquens, qui multum, ſed qui appoſitè dicit: ita neſcit ſilere, qui ſilentium tenet, niſi etiam teneat virtutis, & ingenij plenum. Rei eius, in textili pictura, vidi imaginem, *per Aquilam inter iuga montium, volantem roſtro clauſo.* Cum verbis. NON SINE SILENTIO. Sapit hoc inſigne, vel olet potius taciturnitatis regiæ veluti quandam diuinitatem. Nam Aquila auium regina, & Iouis ales Armeniæ montes traijciens,

ne Anſeribus, quibus ſunt referti, ſit terrori, volat ſine clangore: atque hac arte prædā ex difficili reddit facilem. accedit hùc, quòd ſicuti nec Aquila Anſeres obſtrepentes: nec teſtudo muſcas curat: ita qui eſt magnanimus, procacitatis aculeos non retundit procacitate: ſed morum lenitate: nec ſtudet aliorū maledictis maledicendo reſpondere: ſed fortiter agēdo alienæ petulantiæ maculas omnes ſubterfugere. Sapienti enim plura ſemper in dicendo ſunt negligenda, quàm deligenda: Quid ita? quia quæ dici debent exiguo; quæ taceri, perenni egent interuallo. Quiddam igitur immortale cùm ſit ſilentium: antiquitas ſilentij magiſtrum, & dominum non fecit hominem, ſed Deum. Hinc olim in omnibus tēplis, in quibus colebatur Iſis, & Serapis, ſimulacrum ſpectabatur ſilētij, digito labris impreſto. Hæc erat, apud Ægyptios, Harpocratis effigies, qua notabāt Principi ſua arcana, ne foras exirent, in intimis præcordijs eſſe arcenda. Nec probatur in dando conſilium, prudentia, niſi adſit in occultando fides.

Quòd in Cupiditatis Campo radices omnes exareſcant virtutis.
Elog. X X V.

PEcuniæ, & virtuti ſimul indulgere, nemo, vt inquit Crates Thebanus, poteſt. Nam cupiditas iura profanat omnia: fictaq; vtilitatis imagine, in detrimēto fucum facit lucri. Quare nullum morbi genus periculoſum eſt magis Principi, quàm cupiditatis contagio. Siquidē auiditatis ęſtus, in Principe, virtutis omnem contaminat gloriam. Argumenti huius quaſi quædam facies cernitur per *Aſpidem Dipſam Calici adhærentem.* cum dicto NVNQVAM SATIS. Nam quos Dipſas momordit ſtatim inardeſcunt ſiti, quam multo potu cùm uolunt reſtinguere, acrius incendunt: eaq; paulo poſt miſerè

pereunt. Ex hoc igitur imaginis commento non difficilis est coniectura, quàm detestabilis sit lues cupiditatis, & turpitudo, cuius sitis nescit expleri, & satiari. Nihil autem est rationi tam renitens, quàm vt sapiens eo laboret morbo, quippè qui externis bonis mauult non egere, quàm abundare: nouitq; ea, quibus non eget contemnere, non appetere. Nam si res adest, qua vtatur, nouit, vt solet Cato vti: Sin deest, non nouit egere, quia scit seipso, atque virtute frui, quæ rerum etiam non existentiũ parit fructum. Atque vt ad rem redeam, pellenda est ex omni magistratu cupiditas: qua qui est occæcatus inuidet, non prouidet publicæ vtilitati: nec iustitiam quærit: sed pecuniam. Quòd si ea fortè Princeps laborat, veluti Oestro percitus agitatur, nullaq; tanta est Imperij tranquillitas, quam non plurimo statim obruat discrimine.

Quòd vindicta veluti quadam cote, ad iustitiam, Principis exacuatur animus. Elog. XXVI.

NOn magis vitium supplicio, quàm virtus præmio, in benè instituta Rep. potest vacare. Etsi enim vindictam non sumere mitis fortè, & beneuoli est Principis: est tamen contra ius, iustitiam à vindicta reuellere: non pietatem colere, sed truculentam plagam iuri, & legibus infligere. Siquidem nihil est vindicta, nisi iuris consors, & iustitiæ socia, quæ delicti non est pœna, sed medicina. Quam ob rem quem sontem iudex impunè dimittit, reddit deteriorem. ea tamen pœna improbi sunt condemnandi, cuius nomen cùm audierint, extimescant: cuiusq; acerbitas semper minor sit delicto, adsitque clementia quædam pro condimento. Quanquam enim iudex non debet esse mitior lege: in multis tamen dispar est ratio. Siquidem, vt iniuriæ, sic vindictæ vis duplex est. vna propria:

pria: aliena altera. propriam iniuriam patientiæ eſt, & virtutis diſſimulare: alienam ignauiæ magis, & ſceleris tolerare. in illa ſcit: in hac neſcit ius iniuriam pati. Vindictæ igitur inſignia, & lumina non minus feſtiuè, quàm doctè *per Abſynthium vnà cum medicinali Calice pingitur*, addita inſcriptione. FAS, NEFASQVE. Non eſt virtutis eius ex ancipiti opinione eblandita ratio, ſed enucleata ex naturæ teſtificatione. Nam cùm Abſynthium vim habeat abſtergendi aluum: ſi tamen materies obduruerit, Abſynthio nefas eſt vti, quia eo durior redditur: ſin materies corrigi poteſt, eo vti fas eſt, & ſalutare: quia incidit, purgat, & abſtergit. Quare, ſi in ſilentio loquentem audimus imaginem, in offenſione alius locus eſt clementiæ: alius vindictæ. Siquidem licet vindictam ſumere, vt publica pellatur iniuria. non æquè licèt, vt pellatur priuata. hanc enim pati viri eſt fortis: etſi iniuriæ vulnus non ſentire, ſtipitis eſt potius, quàm ſtupidi hominis: illam verò ferre, non niſi ſcelerati: Nã altera tollitur: altera augetur magis diſſimulãdo. Hũc accedit, quòd vindicta vtendum ſit tanquam Abſynthio. ea enim qui curari poſſunt, meliores: qui non poſſunt, redduntur deteriores. Non falsò igitur Cato Senior ſolet dicere, malle ſibi pro beneficio gratiam non haberi: quàm pro maleficio, culpam non expiari ſupplicio. Nam præmium qui capit, largientem docet eſſe iuſtum: qui verò pœnas luit ſui criminis, ipſe ex iniuſto fit iuſtus. Eſt autem vindicta iccircò à vinciendo dicta, quòd veluti quoddam ſit virtutum omnium vinculum. Peccanti igitur qui indulget, dupliciter peccat: ſemel quia legi derogat, & iuſtitiæ: iterum quoniam reus pœna deſtitutus, ea deſtituitur medicina, qua tantum poteſt animi eius morbus curari.

Quòd nihil minus sit Principis, quàm animo perturbato uti.

Elog. XXVII.



QVoniam animus Principis in corpore, tanquam in fano habitat prudentiæ: par est rationi, vt Princeps in omni vita, quasi in Asylo, sit ab omni animi perturbatione tutus. Quid enim est animi perturbatio, nisi mentis fatuitas: atque veluti quædam, citra vinum, rationis ebrietas? qui ebrietate hac sopitus est, quia non tam hebetes, quàm nullos sensus habet virtutis, vix regi: regere ne vix quidem potest. Siquidem animi affectus, morbus est, vel interitus potius rationis. Hoc igitur qui laborat vitio, solet & turpiter multa attentare, & leuiter attentata deserere. Quare veteri prouerbio, cùm mutabilior sit Metra Erisichthontis, nullo modo redditur ad tractandum Imperij clauum idoneus. Effingitur id *per Camelum iuxta Lyram expressum*. Cũ dicto. SALTAT. Est enim Camelo omninò infensum, & infestum saltare: tum quia plurimis gibbis ineptus ad saltandum redditur: tum quoniam genua singula habens in singulis cruribus, ne saltare quidem magis potest, quàm flare simul, & sorbere. Nec tamen is minus aptus est ad saltandum, quàm qui nescit animi frænare affectus, ad imperandum. Nam in otio, & pace lex, qua cuncta reguntur, neque amoris, neque odij est patiens, nec eius vlla est, vt virtutis, vicissitudo: in belli autem incendio, qui cadit à consilio, ruit in omnibus. Quare vbi Imperator animo vtitur perturbato, ibi belli vis omnis infirmatur. Siquidem vt exercitus Imperatore pro capite: sic Imperator exercitu vtitur pro corpore. Quocirca Iphicrates sapienter exercitum omnem vna definiebat Imperatoris persona. Habet enim Imperator, inquit, pro thorace Phalangem,

instar

inſtar manuum, ordines: vice pedum, equites, ac deniq; cæteras exercitus partes ad ſuos vſus, tanquam membra adhibet ſui corporis. Quia igitur animus neſcit perturbatus corpore vti, nulla grauior ſecuris vniuerſo exercitui poteſt infligi, quàm animi in Imperatore perturbatio.

Quòd Principi à religione deficienti infelix, & miſerum reddatur Imperium. Elog. XXVIII.

Libenter religioſo: inuitè perfido mortales obtemperant Principi. cur libenter? quia neſcit iniuſtũ imperare, qui Deum, auctorem iuſtitiæ ſequitur ducem. Quare inuitè? quoniam Deo qui non paret, docet imperando, ſibi non eſſe parendum. cuidam igitur Socrates ſciſcitanti quomodo ſceptrũ eſſet geſtandum, religiosè reſpondit. Nam cum religione creſcit, & decreſcit Imperium. Religio enim in Principe, ars eſt non ſolum orandi, ſed etiam exorandi à Deo immortali quod volet. hoc olim cùm ſentirent Ægyptij, non licebat Regi, apud eos, imperare ſine ſacerdotio. Siquidem nulla tanta vis eſt, quæ reniti poteſt religioni. Nam Argiuos, communi prouerbio, exarmat oraculum. nulla contra tanta Clades & Imperij, & infamia, quæ ab impio Principe nõ ſit, tanquam à teterrimo hoſte metuenda. Id elegans loquitur effigies hæc, & imago. *Cæpa ſuo colore expreſſa, atque Lunæ expoſita.* Cum titulo. HINC LACHRYMÆ. Ex contemptu enim religionis, luctus Imperij, & erumnæ potiſſimum proficiſcuntur. Non anceps eſt inſigne, aut dubium. Nam Cæpa non ſolũ violatæ religionis: ſed etiam infauſti interitus eſt nota. cur violatæ religionis? quia Cæpæ ea eſt natura, vt & creſcat intereunte Luna, & intereat creſcente: omninoq; ſideri ita ſit renitens, vt ex incremento, decrementum: & incremẽtum capiat ex de-

cremento Lunæ, quam veteres Deam constituebant Dianam. Cur, ne ab argumento recedam, infausti interitus est nota? quia Cæpam sine lachrymis non ferunt oculi: curationemq; omnẽ is respuat, qui ferro vulnus acceperit Cæpa illinito. Siquidem in Cępa maior est veneni vis, quàm medicinę ars, & scientia in viris adhuc vniuersis sapientissimis. Nec alia de caussa Ægyptij, vt in Hesiodi legitur commentario, Cæpa minimè vescebantur, nisi vt docerent, à religionis contemptione abstinendũ esse, tanquam ab infausto, & ominoso scelere. Nam vt religio vexillum est virtutum omnium, ita vna impietas lerna est eorũ malorum, quibus consternitur ius, iurisq; omne Imperium.

Quòd aberrans, & deuia à virtute sit voluptatis semita.
Elog. X X I X.

RES est operosa, & difficilis virtutem simul, & voluptatem sequi. Nam qui voluptatis viam ingreditur, is à virtutis semita procul aberret, oportet. Hercules igitur, vt videre est apud Xenophontem, cùm adhuc esset Adolescens in geminas vias ancipites, & dubias incidit, quarum vna erat voluptatis: altera virtutis. illa ingressum ad gratiam, egressum ad horrorẽ habebat expositum: hæc contrà in ingressu horrida erat, & difficilis, in egressu amena, & iucunda. is igitur animo primum stetit suspensus, atq; vtriusque discrimine territus multum, & diu secum cogitauit vtram rapere præstaret. re tandem benè cognita voluptatis insidiosam: virtutis tutam tantum semitam esse animaduertit, eò quòd illa ex felicitate ad calamitatem: hæc ex calamitate tendat ad felicitatem. Nihil igitur est altera alteri, neque dissimilius, neque controuersum magis. Id autem, quia nulla re magis fons exarescit doctrinæ, quàm testimoniorum siccitate, *Virescit Vitis, &*

Oleæ imagine, quæ in eadem ſcrobe ſint defoſſæ. Cum titulo. CERTVS INTERITVS. Nam ambæ hæ plantæ ſic inter ſe diſſident, vt ſi in eodem loco, in quo earum vna ſuccreuerit, altera ſit de pacta, exploratus eius ſit interitus. inde ab Antiquis olim Vitis Baccho, qui voluptati: Oliua Mineruæ, quæ præeſt virtuti, ſacra habebatur. Hoc & argumenti, & imaginis teſtimonio admonentur mortales, non adeò virtutem ex tyrannide voluptatis: quàm voluptatem ex regno virtutis exulare. Quocirca nihil magis eſt à Deo immortali alienũ, quàm voluptas, quæ eſca eſt flagitiorum omnium: quæq; Deum immortalem maximè abalienat à mortalibus. Nam cur Aeneas, vt eſt apud Poetam, non potuit videre Deos euertentes Troiam, cùm propugnationẽ ſuſciperet Troiæ? aperta eſt, nec hebes ratio. cùm enim quis voluptatũ lenocinia tuetur: tunc maximè ſceleris amentia occæcatus lumen amittit religionis, quæ virtus non ſolum eſt diuina, ſed etiam eos reddit diuinos, quos eſt complexa. Itaque Romanus olim Senatus Imperatores, qui voluptates fugiendo, ſecuti erant virtutẽ, poſtq̃ è vita exceſſerant, inter diuos publico conſilio referebat, atq; ſimul diuorum nomine honeſtabat.

Quòd Imperator odium hoſtile magis, quàm bellum debeat cauere. Elog. XXX.



Vemadmodum ſtultus, cùm in pelago aduerſa conflictatur tẽpeſtate, gubernator ad vicinas proripit terras: ſapiens contrà in altum rapitur: illæq; metũ, hic magis periculum fugit naufragij: ita qui bellum, nõ odium fugit hoſtile adumbrationem ſectatur ſalutis, procul verò ſalutem refugit. Nam vt bellum, calamitatis: ſic odium vexillum eſt belli: multoq; crudelius odio, quàm bello vis abſorbetur omnis pietatis. Teſtimonij loco eſt Anacharſis Philoſophus Scytha. Nam dum Athenienſium leges apud ſuos intro-

ducere cohæretur, vt patriæ consuleret, à Caduido fratre loci eius rege, per odium, sagitta confossus est. Quocirca armati etiam est Principis suadere aliquid, vt flamma restinguatur, nō incendatur odij. Nec extrema quidem Imperatori sunt tentanda, si vllus modo est humanitati locus. Nam in mutuo dissidio par, & equale ferè est periculum: in pari periculo, æquè miserabilis sæpè exitus, fides non solum potest adduci, sed etiam cogi hac vna imagine. In qua *spectantur Olea, & Aenereus ijsdem compagibus constrictæ.* Cum verbis. MVTVVS INTERITVS. Nam eo odio ambæ illæ plantæ sibi inter se dissident, vt altera in alterius scrobe defossa moriatur. Liquet igitur ex hoc naturæ simulacro prudentem non esse Imperatorē, qui in bello hostem etiam imbellem non timeat. Nam ea in odio est veneni vis, cui nulla lorica potest reniti: procul q; etiam lædat absentes. Atq; etsi sæpè inter capitales inimicos, dispares sunt vires, in mutuo tamen odio, semper mutuum est periculū. Cùm hac verò exceptione, quòd res fructuosa sit inimicitia sciētibus vti. Etenim sicuti Vultures ad pedorem cadauerum ferūtur: pura, & sana contemnunt corpora: ita inimicos vitæ alienæ tantum oblectant vitia, quæ cum laniant, & lacerant, omni se profundunt voluptate. Quare qui vir prudens est, multum ab inimicis, tanquam à grauissimis censoribus capit vtilitatis, dum non solum crimine, sed etiam criminis studet vacare suspicione. Priuati igitur inimici, quia prosunt, adulatoribus sunt anteponendi: publici postponendi amicis. Siquidem non propter odium, amicitiæ: sed propter amicitiam, odio est derogandum. Hoc aliquando Mithridates Rex Ponti præclarè testatus est. Nam pro Leonico vnico Amico à Rhodijs in nauali pugna capto, omnes hostes captiuos, qui plurimi erant numero, permutauit. Satius enim est virum vnum bonum seruare, quàm ingentem improborum simul turbam perdere.

Quòd Princeps non humanæ: ſed diuinæ ſapientiæ ſit diſcipulus. *Elog.* XXXI.

SIcuti olim, apud Thebanos marmorea Memnonis ſpectabatur Statua, quæ ex Solis orientis appulſu, cũ omnium admiratione, voces humanas redderet: ita Princeps diuina colluſtratus ſapientia ſic loquitur, vt non hominis, ſed numinis voce, aures mortalium videantur reſonare. Itaq; interrogatus Socrates Platonicus à quo Princeps inſtructus eſſet magiſtro: non ab aliquo reſpondit, in publicis Gymnaſijs Ariſtarcho: ſed à rerum omnium Imperatore Deo. vt enim populus regiæ: ita Rex diuinæ diſciplinæ eſt alumnus. Loquitur id plena ſalis, & ingenij imago p *Vrſam, quæ fætũ informem lambendo paulatim figurat*. Cum titulo. DEO MAGISTRO. Nam ſola quadrupedum Vrſa hoc habet de Cœlo, vt quos edit partus, lambendo perficiat, & figuret. plenum eſt regiæ gloriæ inſigne. Deus enim Opt. Max. Principi non ſolum auctor eſt Originis, & architectus: ſed etiam perfectionis magiſter, & opifex. Quid ita? quia qui natura ſapit plus, quàm homo, non par eſt rationi, vt inſtituatur ab homine. Quare priſcis temporibus, hæc mortalium omnium mẽtem imbuit opinio, vt nemo nõ cogitaret Principem Dei eſſe ſobolem: nedum diuinæ ſapientiæ obſidem. Monimenta, ſunt ingenioſa ſimul, & admirationis plena. Nam quod & Romani Romulum à Lupa, & Perſæ Cyrum à Cane, & Abydini Abydum à Cerua volebant eſſe nutritum, id eò pertinet, vt docerent populi ferè omnes Principem ex vita agreſti, ſine mortalium virtute, artem omnẽ de Cœlo haurire imperandi. Quæ res fecit, vt Perſæ Reges ſuos viuos auguſtè, ſanctèq; pro Numine adorarent, & tanta quidẽ cum religione, & obſeruantia, vt in eorum conſpectu tuſcire, ſpuere, oſcitare nefas omnino haberent. Poſt obitum verò Regum,

gum, apud eos susceperat vsus, consuetudoq; communis, vt illi inter Numina referrentur, atq; aris, templis, & Statuis decorarentur. quid decorarentur? imò ijs cædebantur hostiæ, atque Thura, & alij diuini honores fundebantur. Apud nos autẽ qui Principi parẽs Deo dicitur parere: qui Principem deserit, Deũ non tam censetur deserere, quàm violare. Quare ars imperandi scientiarum omnium, ambit, & lambit regiones, atq; virtutum anfractus alluit vniuersos, solaq; cùm latissimè pateat, nescit ex iuris, & iustitiæ finibus euagari.

Quòd validissimus Clauus sit Imperij vis dicendi. *Elog.* XXXII.

QVoniam in bello leges: in pace arma relanguescunt, nulla ars est imperandi, quæ vtroque tempore magis floreat, quàm vis, & facultas dicendi. Itaque olim tanti, apud Alexandrum Magnum, fuit Ilias Homeri, vt eam, rei militaris viaticum, atq; virtutis literariæ officinam nominaret. Nec adeò ex vtraq; virtute, quàm ex vnius eloquentiæ præsidio magnus euasit. Nam vt virtutes omnes superauit ingenij gloria: ita gloriam virtutum omnium vicit Onesicri oratoris eloquentia, qui res à se gestas æternitati memoriæ commendauit. Constat enim vis dicendi ex earum scientiarum copia, & artium varietate, quibus à Principe in officio retinetur humani generis societas. Hùc accedit, quod iusta appetere est virtutis: vera intelligere doctrinæ: vtraq; verò animis mortaliũ inculcare eloquentiæ, in quo cardo omnis vertitur Imperij. Rem acu mihi tetigisse videor per imaginẽ, quæ naturæ coloribus, ita sit expressa, vt *Gemma cernatur Elitropia in vitreo vase, quod aqua redundans, aduersus Solem sit expositum*. Cũ interpretatione. VICTVS HEBESCIT. Splendor enim Solis fulgore Gemmæ, quasi minus lumẽ, maiore opacus redditur, & obscurus. quid? hoc muta

aperte loquitur imago, lumen doctrinæ facilè splendore superari eloquentiæ. Etsi enim mutos & elingues excitat ad dicendum, intelligentiæ vis: succumbit tamen intelligentia omnis facultati dicendi. De ea re quanquam quasi pro aris, & focis contendunt inter se sapientissimi quiq; viri, palma tamen antiquitate iudice, tribuitur eloquentiæ. Nam cur olim Pisistratus, apud Athenienses, propter eloquentiã Soloni: non Solon propter sapientiam Pisistrato fuit in Imperio antepositus? quia alter rationi tantum: alter nouit etiam hominum voluntati morigerari. Nec ei difficilè est, & parare, & tenere Imperium, qui artem habet suadendi quod velit. Antiqua, vel antiquitatis potius est auctoritas. Nam quòd potuit, apud Poetas, Mercurius Argum decipere, qui totus scatebat oculis, deceptumq; truncare capite, id eò pertinet, vt intelligamus ibi lumina doctrinæ, & faces ingenij nullo negotio restingui, vbi spirant eloquentiæ venti.

Quòd Principis gloria liberalitate maximè sit pascenda.
Elog. XXXIII.

QVemadmodum pulchritudo, & pudicitia in muliere, sic opes, & liberalitas in viro, maximè sibi inter se videntur dissentire. Nec enim mulieri magis difficilè est formæ elegantiam cum pudicitia: quàm viro opes seruare vnà cum liberalitate. At Principi longè præstat liberalitas, sine opibus: q̃ opes, sine liberalitate. Etenim vt ad Imperij robur, popularis gratia: hic ad popularem gratiam nihil est munificentia accommodatius. Nam instar Numinis Princeps & in otio colitur, & in bello defenditur, qui non desinit de omnibus benemereri. Quid? planè bardus sit, & stupidus, qui id etiam in silentio ex hac imagine non sentiat. hoc est ex *Aesculo glandifera, quæ in Cœlum*

lum

lum ramis sit erecta. Cum dicto. DIMIDIVM PLVS TOTO. Imperij enim radix virtus pluris est omni Imperio. quod ex commenti figura, nemo, si animum ad rem, veritatemq; traducat, potest non odorari. Nam Æsculus sola inter omnes arbores, tantum radice descendit in terram: quantum trunco in Cœlum ascendit: eoq; dicta est Aesculus, quòd antiquitus escã ministraret mortalibus. Quare olim apud Romanos in tãto honore est habita, vt ex eius ramulis corona constitueretur ciuica. Est enim Principis, si benè attendimus, vtrunq; ius ea lance librare, vt alterum è terris in Cœlum cum voto ascendat: alterũ de Cœlo in terras descendat cum præmio. Nec eo monimento obscurè res loquitur virtutum radices latere in difficultate: fructus verò in auram gloriæ eminere: Deumq; eorum optatis tãtum respondere, qui beneficentia in mortales ducuntur, & pietate ad superos. Itaq; Aethiopes, qui olim vlteriorem Nili Regionem incolebant, duos vt Strabo Geographus refert, colebãt Deos, immortalem vnum: alterum mortalem. illum dicebant esse rerum omniũ auctorem, & architectum: hunc liberalitatis opificem, & magistrum. Beneficentiæq; tantum ratione ducti Reges suos Deos esse opinabantur. quę opinio etsi improbatur, quia futilis est, & inanis: probatur tamen, quia habet quasi quãdam sponsionem cur Principes omnes munifici, liberalesque esse & velint, & debeant.

Quòd Imperij lues perniciosissima sit Populi cupiditas.
Elog. XXXIV.

QVi ex cupiditate, consilij rationes habet suspensas, in eo solum constans est, quòd nunquàm sit idem: semperq; vacillet opinione, & fluctuet. Nescit enim quiescere, qui sedem quietis deserit rationem. Quid inquam quiescere?

re? imò neſcit non peccare. Siquidem nulla eſt, niſi extra cupiditatem, vitiorum cautio. Quocirca qui Princeps vitia populi ſtudet amoliri, ſi cupiditatem admittat, nihilo magis proficit, quàm ſi det operam, vt cum inſania ſapiat. vbi igitur adeſt cupiditas, ibi fas eſt caſum deplorare, atque orbitatem virtutum omnium. effingitur id ex naturæ momentis, & ponderibus *per Pyrauſtas Lychno circunuolantes*. cum dicto. CVPIDITAS INFAVSTA. Vidi autem aliquando imaginem hanc inter regia monimenta, textili picturæ non ſine plurima, oculorum, animorumq; comprobatione proditam. Flammæ enim amore accenſæ Pyrauſtæ Lychnum ardentem tantiſper circunuolant, dum combuſtis alis pereant. Salsè igitur docet imago ad cupiditatem, tanquam ad ignem mortalibus eſſe accedendum, ne ſi deſit modus, Pyrauſtæ, veteri prouerbio, gaudeant gaudium: voluptatemq; ſuo ament exitio. Hoc ius de Cœlo petitum: hoc ſpirant ſcriptæ leges, vt ex intimis mortalium ſenſibus, reſciſſa omnis iacent cupiditas. Quod autē fit à Principe, id omne quaſi quoddam ſacroſanctum eſt præſcriptum: quia numinis fit, non hominis conſilio. Multa ſunt exemplorū teſtimonia: quorum ab infinitate vt recedam, cur ſub Cæſaris ſtatua ante Pharſalicam pugnam, Palma enata eſt, victoriæ ſignum? Cur Octauio Romam intrante, poſt Cæſaris mortem, Stella per totum diem, cum Sole viſa eſt, indicans eum feliciſſimum fore? Cur deniq; Philippo Rege Macedonum Græciam inuadente, Cęlū ſpectatum eſt ſanguinea ad terrorē, ſpecie? nō eſt verboſa ratio: nec rationis lumen auribus, ſed oculis fidem facit. Maximè temperans eſt Princeps, quia neſcit cupiditati, ſed Dei Opt. Max. tantum voluntati obtemperare. Multa ſunt Antiquitatis monimenta, quibus intelligimus facta Principis ſic coire cū Dei immortalis Imperio, vt quæ fiant à Principe, conglutinata omninò videantur cum cęleſti, & diuina voluntate.

Quòd

Quòd Princeps quantum dignitate: tantum virtute præstet mortalibus. Elog. XXXV.

MAlus est Princeps, qui auctoritate potest plus, quàm iustitia. Iudex. n. iccirco, & est, & dicitur publicus, quia iuris, atq; iustitię simul habet & cognitionem, & possessionem. altera nouit aliorum improbitati mederi: altera mauult iustus esse, quàm alios iustos reddere. Cuidam igitur sciscitāti à Socrate, quæ ciuitas omniū esset optima: quæ respondit magnę virtuti ampla: quæ optimæ summa tribueret præmia. Nam vt refert Thucydides, in ea optimi tantum viri clauum tranctant Imperij. Inoleuit igitur, vt vno omnium ore, & sermone optimus statim dicatur, qui in Principatum sit ascitus. Neq; enim par est rationi, vt aut deterior melioribus, aut indoctior imperet peritioribus. Sententiæ huius effigies, & simulacrum elucescit *per ignem in Sartagine acensum.* cum dicto: SINE MACVLA. Quoniam autem ignis neque subijci cæteris elementis, neq; contaminari potest: Suscepit olim vsus, vt apud Romanos, in Sartagine prælatus Imperatori, insigne constitueretur Imperij. Naturæ enim lex est hæc, vt sicuti Dionysius Halicarnasseus scribit, deterioribus semper imperent meliores; quando nihil est imperare, nisi virtutem nō habentibus ministrare. Summa igitur Imperij vis sita est in virtute imperantis. Nam cùm nihil spectet imperium præter humanæ societatis felicitatem, sola virtus eam potest ex Cœno vitiorum, in felicitatis aliquem numerum referre. Atque Imperium continentia, & iustitia potissimum gaudet Principis. altera, quoniam virtutis vis omnis in cupiditatis campo exarescit: altera, quoniam nescit virtus apud eum radices agere, qui non exardescit æqui, & boni amore.

Quòd

Quòd nihil magis debeatur Principi, quàm obſeruantia, & obſequium. *Elog.* XXXVI.



VLla maior fit Principi, quàm quæ, ait Sophocles, ex neglecto obſequio manat iniuria. Nam ſicuti rationi corpus: ita Principi obedire debet populus. Quãtum enim illa corpori dignitate: tantum hic populo præſtat virtute. parum eſt, fateor, in re leui, nõ obedire: multum verò Imperij iura violare non obediendo. Cauendum.n. eſt, communi prouerbio, ab ijs, qui captãt Anguillas: id eſt, qui ſyncera turbant omnia: nec ſpem vllã habent prędę, niſi in rerum confuſione. Debetur autẽ obſequiũ Principi, quod qui nõ præſtat, fit iniuſtus, quia nõ reddit quod eſt alienum. Argumẽti inſigne, & ornamentum cõſtituitur per *Papaueris imaginem, cui ſopitæ adiacent alites.* cũ titulo. CAPVT IMPERII ÆQVITVS. Habet.n. cereale Papauer interiora interceptacula æquis interuallis diſtributa, quibus lex adumbratur, & ſcripta, & non ſcripta. Nam quod ſuo ſemine ſoporem gignit, eò pertinet, quòd obtemperans legibus ſemper obdormit voluptati. Nihil igitur eſt papauer, niſi adumbratio legis: nihil lex, niſi ſceptrum Imperij. Etenim quæ lex ſcripta eſt in vnum cogit homines: quæ non ſcripta eſt diſtribuit: vtraq; ad capeſcendã voluptatem, aut ſtupidos, aut nullos omninò ſenſus parit. Quorſum? præſtat lex hominibus: legi Princeps. hoc ſentiens Alexander Magnus interrogatus in extremo vitæ, cùm iam propè ageret animã, quem hæredem Imperij inſtitueret, digniſſimũ reſpondit. Nemo enim nouit imperare, qui neſcit iuris perſonam ſuſtinere: nemo magis Imperium euertere, quàm qui neſcit ſeipſum cauere. Nam ſi radices arboris inficiuntur aliquo morbi genere, qui ab ea arbore gignuntur fructus, offenſione non vacant: ſi Princeps aliquo laborat crimine, Prin-

cipis crimen ſtatim & olet, & ſapit populus: eiusque contagio non tam latenter, quàm periculosè repit per vniuerſum corpus ciuitatis. Quare nulla Reſp. nouit improbi Principis ferre Imperium, aut ne Principem quidem improbum. Siquidem qui Remp. externis cumulat bonis: nec curat virtute exinanitam, leue compendium maxima commutat fraude. Nam inſipientibus non felicitatis: ſed pœnæ loco eſt multa poſſidere. Quis enim iure Theſſalum ſcopam non irriſerint, qui iccirco ſe felicem eſſe cenſebat, quòd plurima poſſideret, quæ nec ſibi, nec ſuis vnquam vſui eſſent? non plures illæ Scenicæ Chlamydes lucullum, quas tanquàm neglectas habebat, beatiorem fecerunt: imò miſeriorem, ſi habendi modo cupiditate, & ambitione ſemper exarſerint. Nam cupiditas principium eſt calamitatis: calamitas finis in Imperio, cupiditatis.

Quòd nihil ſit Regiæ gloriæ magis conſentaneum obſequio.
Elog. XXXVII.

QVemadmodum Principis gloria obſequio: ita obſequium metu, & obſeruantia, veluti quodam cibo eſt depaſcendum. Nam, vt ait Sophocles, nunquam aut lex in ciuitate, aut foris exercitus cum moderatione perſiſtet, ſi obſeruantiæ repagulum perfringetur, & timoris. Eſt enim obſequij cuſtos metus: doctrina Imperij. Nam cur Phęthon ex Sole, & Clymęne natus patris currum, vt eſt in fabulis, non potuit regere? quia non generis ſplendore: ſed arte regitur Imperium. Itaq; olim apud Hebræos Seniores: apud Athenienſes Palęologi: apud Romanos Senatores clauum tractabant Imperij. Etenim ſceleratum hominum genus ſapientibus obtemperans facit obtemperando, vt ex ſcelerato honeſtum euadat, & laudabile. Quare nihil eſt in arte imperandi tam operoſum, & difficile,

ficilè, quod obſequij auxilio non reddatur expeditum, & facile. apertè id præ ſe fert obſequij veluti quædam facies, & figura per *Geniſtam flauas producēs roſas.* cùm inſcriptione. EX OBSEQVIO VICTORIA. Arti enim obtemperans natura, vim ſuperat naturæ, vt patet per Geniſtam deducto Roſæ ramuſculo. Nam ita vtraque planta ſimul coaleſcit, vt vna fiat ex duabus: ſed cum hac cautione, vt pro mutuo obſequio, Roſa Geniſta colorem, Geniſta Roſæ florem producat. Quare obſequij arte, non ſine mira venuſtate, ſic ius vincitur naturæ, vt ex Roſario, roſæ legantur flauæ. Quorſum? non tam magna eſt in obſequio Imperij gloria, quàm ſumma in Imperio neglecti obſequij infamia. Turpè quippè eſt Principis ærarium auro: Longè turpiſſimum Principem ſua auctoritate expilari non auſcultando. Sapienter id Plato. Nam quos de Rep. edidit libros, iccircò de iuſtitia inſcripſit, quòd prima lex iuſtitiæ ſit, vt Princeps rationi: populus obediat Principi. Neſcit enim imperare qui ante non didicit parere. Siquidem Princeps tum demum populo imperat, cùm imperata facit Dei immortalis. Duplex eſt igitur fructus imperantis, vnus quia Deo morem gerendo bonus eſt: alter quoniam imperando ex improbis, bonos reddit viros.

Quòd & fundamentum, & firmamentum ibi ſit Imperij, vbi Princeps vacat culpa. Elog. XXXVIII.

QVia veritati cum falſitate tanta eſt affinitas, vt pauci in deliberando veritatem: multi in iudicando falſitatem colāt pro veritate: fit vt rarò conſilium inter mortales vacet reprehenſione: Sæpè etiam iudicium nota vapulet contumelię. Vnus igitur de Cœlo ægrotę Reip. medicus datur Princeps, qui vniuerſos leuet, aut liberet potius ſuo opinionis errore. Etenim

neque plures ſapiunt plus, quàm vnus: neque plura vident, niſi fucum facimus. Nam Sol vnus, natura magiſtra, tantum fundit luminis: quantum cæteri ſimul omnes fundere poſſunt Planetæ. Quare nulla mortalium magis officit Imperio, quàm imperantis culpa: quæ niſi cauetur, quod vtiliſſimum eſt, redditur graue, & exitioſum, quia neſcit vti. Huius ſententiæ colore vidi aſperſa pigmenta, in regijs tabulis, *Talpæ imagine Cœlum tanquam quiddam deteſtabile fugientis*. Cum titulo. IMPVRIS EXOSVM. Talpa enim oculis captus Cœlum, à quo bona trahuntur vniuerſa, ſine interitu non poteſt ſuſtinere. annuit imago improbis bona eſſe detrimento: probis viris mala lucro. Quocirca non tam glorioſum eſt Principi Imperium adipiſci: quàm promereri. illud enim fit ſæpè ex aliena: hoc ſemper ex virtute propria. pronunciauit id aliquando Philippus Macedonum Rex. Nam cùm reſciuiſſet Alexandrum filium quæri, ꝙ pater ex plurimis multos ſuſciperet filios: tum ille quò plures fili, dixit, habes Regni competitores, eò acrius ad virtutem enitere, vt Regnum non à parente accepiſſe, ſed virtute paraſſe videaris. Præclarum verò patris præceptum potius, erga filium, quam conſilium: filij verò iudicium magis in patrem, quàm conuitium. Siquidem qui Rex eſt, vix vnquam nouit, niſi in malis, Regni conſortem pati. Itaque Princeps ab alijs multas, exilia, capitis iudicia Reis vult irrogari: gratiam autem & clementiam pro delicto minimè vult illis, ab vllo Magiſtratu, ſed à ſe tantum eſſe, & petendam, & impetrandam. At cur melius à multitudine pœnæ exit iudicium? ne grauius videatur remedium, quàm morbus, atq; intolerabilis magis medicina, quàm iniuriæ plaga. in terrore etiã plus ponat Princeps oportet præſidij, quàm in atrocitate ſupplicij, vt maculam ſubterfugiat, & ſuſpicionem crudelitatis: gloriam verò conſequatur clementiæ, & pietatis.

Quòd Imperio nulla grauior Securis poſsit infligi, quàm Principis cupiditas.

Elog. XXXIX.

ETſi legem temperantia, lex nutrit Principem: melius tamen à Principe, quàm à lege regitur Reſpublica. quid ita? non quia Princeps iuſtior eſt lege: ſed quoniam lex ſpectat tantum vniuerſalia: Princeps verò magis ſingularia, quę qui ſpectat, minus poteſt ab æquo, & bono aberrare: ſi legis modo retinent temperantiam. Nihil enim inter mortales eſt difficile magis, quàm hominibus ſimul imperare, & obedire cupiditati. Nam Imperium cùm conſiſtat in reddendo cuiq; quod ſuum eſt, Imperij ius euertit imperantis cupiditas, quæ neſcit quod alienum eſt reddere: nouit in rem ſuam conuertere. Regiæ autem temperantiæ inſignia, & lumina clareſcunt per *Arborem Populum iuxtà fluuium creſcentem*. Cum dicto. SIBI SVFFICIT. Hęc enim arbor ſe ipſa contenta, nec ſemen, nec fructum parit. quia igitur olet virtutem, quæ, vt Dea, nullius eſt indigens, eam Antiquitas ſacram eſſe voluit Herculi, cuius nominis interpretatio eſt gloria mundi. Summa verò laus viri boni, quem imago figurat hominem omnium horarum. Nam arboris eius frondes ab altera parte candorem: ab altera nigrorem præ ſe ferunt: quorum alter Diei: alter noctis habet adumbrationem. Nox enim Principi ad contemplandum, inueſtigandumque veri exitum. Dies ad æquum, & bonum agendum magis eſt accommodatum, quorum vtrunque cogitur iacere dominante cupiditate, quam tamen difficile eſt in magnis, & præclaris ingenijs cauere: non cauere periculoſum magis.

Nam cupidi, & auidi hominis Deus est Numus : flagitiosi Dea voluptas : Lurconis summus Iupiter venter : æquè tamen omnes vesanæ cupiditatis alumni . quid dicerem tormenti , & cruciatus stipendiarij? qui cupiditatis siti exardescit, nũquam earum satiatur copia,quas cupit,semper irritatur:quia gurges sine fundo, & labyrinthus sine exitu est cupiditas. Quocirca qui terminos in voluptate , quærit cupiditatis , insanire magis videtur q̃ quærere. Atq; sicuti fas est irasci: nefas iracundum esse: ita licet cupere, non licet cupidum esse. illud enim ex caussa fit: hoc ex animi vitio . morbus est rationis cupidum esse : cupere remedium .

Quòd Principi tutissimum sit à petulantia maleuolorum Asylum, Patientia. Elog. X L.

NEmo , meo quidem iudicio , sapiens est , nisi qui ex Antro Cyclopis potest euadere : non potest Sirenũ cantum de via deflectere . Solus enim hic neque lædi vi nouit, neque blandimentis decipi . itaque Petulantium non magis , quàm testudo muscas , metuit morsus : nec assentatorum, quibus non credit,multum venenatum haurit auribus . Quanquam Principi tamen , vt Nestor Homericus solitus est dicere,nulla labes aut macula magis est subterfugienda, quàm ne aut ipse aliorum : aut alij eius laborent odio . ea enim est odij flamma, quæ non tam modestiæ absorbet succum , quàm accedit petulantiæ , quæq; flabellũ malorum omnium linguam erudit mortalium . Quid inquam odij flammæ?Hi ad Principatus gloriam nequi accedunt,& maculæ,quòd Principis sit cùm de Repub.optimè sit meritus,malè audire,atque plurimorum sermone vapulare . Nam cùm & vetet , & vitet quod multis placet ; vix adeò probat viros bonos, quàm ab

improbis, omnibus improbatur. In naturæ pigmentis nec flos, nec color deest argumenti, vbi *Asinus, & Equus effingitur, quorum ille ferulis in passione oblectatur: hic fame contabescit.* cum dicto. ALIVD ALIIS. Nam Asino gratissimę pro pabulo sunt ferulæ: Equo contrà præsentaneo veneno. Quorsum? difficile est, & doctis, & indoctis simul placere, atque à bonis viris pariter probari, & improbis. Etenim disparium, vulgata regula, dispar est iudicium. Quare, vt Agesilaus consueuit dicere, in nullo cãpo virtus Principis magis radices agit, quàm in fundo patiẽtiæ. Malus enim est virtutis minister, qui nescit mala, pro virtute, pati. Siquidem neq; temperans est, qui amat voluptatum lenocinia: neq; fortis, qui aut maleuolorum morsus timet, aut dolorum cruciatus. id cùm sentirent Spartani, pueros non solum algoris, sitis, & inediæ reddebant patientes: sed etiam in bello, ad vulnera assuetas, vt haberent, nec mortem reformidarent, vltrò plurimis plagis lacerabant. arte igitur ea patiendi tantum profecerunt, vt pueris facilius fuerit in plagis mori; quàm ingemiscere.

Quòd in incontinentiæ fundo, stirps, & semen exarescat Regiæ virtutis. Elog. XLI.

NEc terra vlla inertem, & ignauum nutrit: nec Cœlum impurum aliquem sustinet, & dissolutum. Quare vbi in Imperio est voluptati locus: ibi præsto adsunt malorum omnium comitia. Nam voluptas fundus est inertiæ, & flagitiorum simul cloaca. Quanquam tamen nulla est animi lues, & morum contagio, quæ ad plura, quàm cupiditas propagatur vitiorum genera. quid ita? quia neq; libido: neq; auaritia: neq; ambitio vnquam inter mortales nata est, nisi ex cupiditate matre, quæ sola procreatrix est turpitudinum omnium. Nec cupiditatis volu-

ptas est remedium, cuius sitis nescit expleri, & satiari: sed aucto ramentum. irritatur enim cupiditas voluptate, non satiatur: nec eius flamma potest rerum copia: solum restingui potest, & deleri animi continentia. Nam quemadmodum sublata cupiditate, nullus est flagitio in quo consistat locus: ita ex continẽtiæ appulsu omnis statim exulat cupiditas, atque simul cupiditatis consors voluptas. Continentiæ vis cernitur suo colore diffusa non fuco illita *per Scarabeum à Rosario procul volantem*. cum verbis. MVLTO FACILIVS MORI. Potest enim Scarabeus ad interitum operi, in rotanda geniali pilula, inuigilare: nõ potest rosas, quæ Veneri sunt Sacræ, sine cruciatu, & interitu sustinere. Quorsum? Principis dignitas, per hanc imaginem, non tanto videtur cupiditatis vulnere exulcerari: quanto continentiæ honore commendari. Siquidem nescit virtus: nescit qui sapit, quiq́, alios corrigit, turpia pati. Nam cùm virtus sit, nõ singulare aliquod, sed omne bonum, præclarius est Principi Imperium virtute augere: quàm Imperij fines longè, latèq́; propagare, atq; fortunæ bonis cumulare, quæ fluxa sunt, & caduca. vt doctè Apelles. interrogatus enim cur fortunã sedentem expressisset, quia nescit stare, respondit. præterea potest iniustè augeri: non potest non iustè virtute ornari Imperium. Id non solum sensit, sed etiam declarauit Octauius Augustus. Nã cùm audisset, quòd Alexander trigesimum secundum agens annum deuicto propè orbe terrarum, dubitaret, quid sibi in reliquum tempus esset agendum, illum inscitiæ insimulauit, eò quod non animaduerteret, & maius, & præclarius opus esse benè regere paruum Imperium, quàm latissimos Imperij fines, & terminos propagare.

Quòd

Quòd Princeps recundita quadam doctrina nomen vincat doctrinæ.
Elog. XLII.

VIr doctus disciplinæ plus ex ſtulto: quàm ſtultus haurit ex viro docto. Nam alter neſcit bonis non malè: alter ſcit malis benè vti. Solus Princeps, ſi poętis credimus, earum rerum cognitionem habet, quas nunquam didicit. Hùc enim pertinent, & prælongæ Midæ Regis aures, & lamiarum emiſſiſij oculi, vt intelligamus eũ eſſe Principem, qui abſens ſemper adeſt, quiq; audiat, in ſilentio: atque in tenebris videat omnia. Quare Princeps plus, quàm par eſt homini, ſapit. Nam homo doctus rem minimè dubiam, argumẽtando ſæpè dubiam facit: Principis autem nomen, vel numen potius tantum habet auctoritatis, vt rem ancipitem, & incertã ſolo nutu reddat exploratam. Nec id inconſideratè. Nam ſolus Princeps in terris, vt Philo Iudæus ſcribit, non poteſt errare. quid ita? quia Principis placitum ius: eiusq; in eo, qui imperat, conſiſtit vis, & natura, vt errorem nunquam admittat, ſemper corrigat. Sapienter id loquitur quæ *ex Cribro Lolij, & tritici referto ſemine* conſtituitur effigies, & imago. cũ verbis. ARGVIT SIMVL, ET PVRGAT. Nam ſicuti Plato Mathematicã vocauit diſciplinam, non opinionem, quia opinio clarior eſt, q̃ ignorantia, & obſcurior, quàm ſcientia: opinioniq; medius locus eſt inter verũ, & falſum: ita Principis prudentia, neq; ſcientia videtur, quia appetium inſtruit: neq; virtus, quia illuminat ingenium: ſed inter ſciẽtiam, & virtutem ſola cenſetur cribrare quantum ſit inter verũ, & bonum diſcriminis: in eoq; potiſſimum conſiſtit, vt Princeps ex malis bona: & ex bonis optima reddat omnia. Etenim vt Cribrum apludas, & Loliũ à frumento ſecernit: ita eſt Principis recõdita quadam arte, magis quàm trita, verum à falſo, bonumq; à malo ſic repurgare, vt ab eo non

repurgata, ſed nata videantur. Neque enim res domi rectè cedunt: neq; militiæ, niſi Princeps, & inutiles ciues ab vtilibus: & milites ignauos à ſtrenuis longo honorum ſecernat interuallo. Hùc apud Antiquos pertinet & vmbo, & haſta Palladis, vitreus ille ad res illuminandas accommodatus: hæc prælunga ad pugnandum eminus, vtraq; ſuo loco ad agendum, & intelligendum. Non enim armatorum vis: ſed bonorum virtus contaminati Imperij eſt medicina: quæ ſola poteſt frangere corroboratam temeritate hoſtium audaciam. Vitia enim niſi hac arte pellantur ex Imperio, omnia Imperij iura cæde diſſidijs, atque plurima plaga cruententur oportet.

Quòd maleuoli morſus, vt plurimum pro nocumento ferat auxilium.
Elog. XLIII.

AMandi ſunt qui dentes contra nos exacuunt: non quia procaces ſunt, & maledici: ſed quoniam procacitatis morſus ſæpè eſt ſalutaris. Nam quemadmodum qui Iaſonem Theſſalum volebat interficere, gladio vomicam eius aperuit, eaq; rupta, ſalutẽ homini reſtituit perditam, ita interdum facit maledicus mordendo, vt maximè proſit, cùm ſtudet nocere. Nec enim magis in veſte, quàm in animo, commonſtrata macula, ſolemus nos abſtergere. quid ſolemus? imò debemus, vel natura cogimur potius. Multo. n. ignominiæ plus eſt in peccati turpitudine, quàm in virtutis opinione gloriæ, acriusq; nocent turpia, quàm proſunt honeſta. Nam in dolore ſenſus hebeſcit ſuauitatis: non in ſuauitate aculeus relangueſcit doloris. Ea res, veritatis illuſtratur colore, per *Ciconiam quæ roſtro mordicus tenet ſerpentem.* Cum verbis. EMPTA DOLORE VOLVPTAS. Ciconiæ enim nutriuntur à Theſſalis contra ſerpentes: vt innocentibus cùm afficiant, ab innocua alite miſerè

diſcerpti

diſcerpti pereant. Sicq; illlarũ beneficium cibo:horum maleficium morte compenſant, quaſi culpa maiori ſupplicio, quàm virtus præmio ſit digna. Etenim cùm nihil ſit aut in malis, peius peccato, aut in bonis melius virtute, ſui oportet maximum præmium ſit virtus. Hoc virtutis potius docet natura, quàm Philoſophorum ſchola. Nam ſicuti Grues: Hirundines: Ciconiæ, eiuſq; generis alites malunt vitã deſerere, quàm in eas regiones, ex quibus vitam acceptam aſportarunt, non redire: ita boni viri omnes multo ardentius amant virtutẽ ſine vita: quàm vitam ſine virtute. Plena eſt igitur myſteriorum hæc imago. Etenim non alia de cauſa olim Ciconię figura in ſceptris Regũ geſtabatur, niſi vt ſimul, & pietatis, & vigilantiæ admonerentur. Noctu enim tantum hoc genus alitum volat, & ita, vt nemo adhuc mortalium viderit eas, vel ad nos aduenire: vel à nobis recedere: Parenteſq; ſenio confectos ſuis humeris inter volandum ſubleuant, atq; inſigni nutriunt pietate. Nulla igitur tanta eſt Imperij commendatio ex Principe: quanta eſt Principis ex virtute. Hæc enim non ſolum Imperium Romanum ex humili Romuli caſa in Cœlum euexit: ſed etiam Reges interdum ex priuatis, & abiectis hominibus peperit. Loquitur id, etiam me tacente, Lyſimachus Macedonũ Rex. Siquidem cùm priuatus adhùc ab Alexandro Magno in cõclaui vnà cum immani Leone, vt ab eo voraretur eſſet incluſus, non animo cecidit, ſed chlamydẽ in caput belluæ ſtatim eò iniecit, quòd Leo omnem cum ſenſu oculorum, naturæ amittit feritatem: tandiuque feram tenuit, dum penitus gutture fracto, eam ſuffocarit. Hoc facinore oblectatus Alexander, ne præmio omitteret eximiæ virtutis, Lyſimachum non ſolum vita donauit: ſed etiam effecit, vt Macedonum Regibus ſuccedere poſſet.

Quòd

Quòd honore Principi detracto, ruat Imperium. *Elog. XLIV.*


Es omnes ibi malè, in Imperio cedunt, vbi Princeps, aut in contemptu, aut in odio, aut in inuidia habetur. Qui igitur Princeps ſtudet tueri Imperium, cauebit in primis, ne dignitatis ſplendorem aliqua aſpergat perturbationum macula: eamq; incudem tundet, vt grauitate, & integritate, populi vitet contemptũ: innocentia, & humanitate odium, atq; liberalitate demũ, & munificentia inuidiam. Nec ad hanc rem virtus ſufficit Principis, niſi culpa etiam procul abſit populi. Rei huius color, & ſpecies cernitur. *per Corui imaginem pullos ſuos decerpentis.* cum inſcriptione. NEC INSONS TVTVS. imaginis huius auctoritate conuincimus parum eſſe Principem, & crimine, & criminis ſuſpicione vacare, ſi populus modo laboret improbitate. Nam & Coruus, & populus eos, quibus multũ debet, plerunq; inceſto ore laniat, & lacerat. Naturæ enim vitio Coruus quaſi pullis ſuis inuidens, quòd primoribus pennis ſubalbeſcant, eos deſerit, atq, ad aliquot dies rediens, ſi minus plumis ſuccreſcentibus ſint atri, illos diſcerpit, & deuorat. indè vetus natum Prouerbium: Mali Corui, malum ouum. Principis igitur eſt, nõ minus aliena, quò feliciter regat, quàm propria curare vitia. vetus eſt Herculis teſtimonium. Hic enim eum ſe præbuit, vt non ſolum reprehenſione vacaret, ſed etiam ſummis in Cœlum efferretur laudibus: huius item diſcipulus Theſeus Rex Athenienſium pręceptorem imitatus non tam Imperium ſua virtute, quàm Imperij virtutem, ſui nominis, & famæ illuſtrauit gloria.

Quod ei nihil sit difficile, qui artem callet imperandi. El. XLV.

INcunabula artis imperandi petenda sunt ex cõsilio, quod iccircò à Conso Deo, & inuentum, & dictum quasi Consi auxiliũ nolunt veteres, vt putemus consilium omne sine recondita doctrina iacere, & ingenij quadam diuinitate: crescere verò tantum cum animi virtute. Nam apud Romanos consilij Ara in Equestribus tantum certaminibus erat reclusa: reliquum verò tempus clausa? quia certè quidem consilium Principis, non verbis, sed factis aperiendum est. vnde igitur haurienda est deliberandi doctrina? an ex Aristotele Peripateticorum Principe? non opinor. Dubium enim est an aliquem librum habeamus Aristotelis. Nam omnes interpretes vnumquenque eius librum in quæstionem, & dubium reuocant, adulterinus ne sit, an verus liber Aristotelis. Siquidem olim eius libri Attalicorum Regum metu humi fuerunt defossi, qui inde seculis posterioribus laceri: tineis, & blattis rosi extracti sunt, atq; Athenas perlati. Itaq; non tam ab alijs videntur restituti, quàm facti. Multi etiam nomen mentiti sunt Aristotelis, spe lucri adducti, eò quòd præmia magna à Philadelpho Ptolemæo ijs erant proposita, qui librum attulissent Aristotelis. Sed quid ego hæc? Princeps non hominis, sed Dei consilio nitatur oportet: neq; ex scholis, sed de Cœlo accersenda est ars imperandi. Nã cùm virtus omnis plurima circunsepta teneatur difficultate: omnes tamen rerum difficultates solus Princeps arte absorbet, omniaq; ex difficillimis reddit facillima. Artis eius imago quædam est, & similitudo. per *Draconem, qui occisis Catulis medicamento vitam restituit amissam.* cum inscriptione. NIHIL DIFFICILE. Ex imaginis huius inuolucris plurimus ad regiam gloriam accedit cumulus. Etsi enim à priuatione ad habitum, vt loquuntur Philosophi, non datur regres-

regreſſus: Draco tamen ſicuti Xanthus Hiſtoriarum auctor aſſerit, præſidio herbæ, quam Balin nominant, facit, vt occiſa reuiuiſcat ſoboles. Graue verò naturæ teſtimonium, quo fateri debemus, aut cogimur potius, & artis, & ingenij vim omnem regia prudentia ſuperari. Nec alia de cauſſa Æſculapio, puto, olim fuit ſacer Draco, niſi (quia nare nouit cum piſcibus: volare cum alitibus, & graſſari cum quadrupedibus) vt intelligerēt mortales eſſe Principis, vt ægrotæ medeatur Reip. vias omnes tenere: nihilq; ei eſſe difficile, qui ſciret imperare. Hac ſcientia Hanno Carthaginenſis inſtructus feras beſtias etiam ſua exuebat immanitate. Hic quippè primus omnium Leonem manu tractauit, atque manſuetum oſtēdit: quæ res eum gratum ſimul fecit populo, & formidoloſum. Quid enim is non perſuadeat hominibus, qui tanta vigeat arte imperandi, vt eius etiam perata faciant feræ beſtiæ? artem in tractando Imperij clauo, qui tenet ſuadēdi: nouit quaſi quaſdam immanitatis celebrare inferias, atque proſtratam, & abiectam humanitatem in ſuprema rationis ſede collocare.

Quòd non ſolum prudens, ſed fortis debeat eſſe Princeps.
Elog. X L V I.

IN habenis Imperij tractandis conſilium animo: animus par laudatur conſilio. hoc apud Perſas: ille apud Spartanos magis ſpectabatur. Regi enim Perſarū conſilium dare qui ſtatuerat, is ſuper aureo latere in publico deliberabat. Si ſalutare erat conſilium, latere aureo, præmij loco donatus abibat: ſin cōtra flagris cęſus dimittebatur infamis. Apud verò Spartanos lex erat, qua inter hoſtes fas erat thoracem: nefas gladium amittere. eò quòd illa priuatam: hic publicam tegit perſonam. alterumq; ſit fortis ad mortem oppetendum: al-

terum

terum fracti, ad certamen fugiendum, animi. Atqui tamẽ quò maior est animi vis, eò periculosa est magis si lumen desit consilij. Coguntur in vnum, & armantur ad hanc rem multæ Antiquorum rationes. Sed ab earum multitudine, vt recedã, hoc vno, quod ex Platone excerpsi in Phœdro contentus sum argumenti simulacro. *Duæ Alæ, candida vna: atra altera*. cum dicto. AD VTRANQVE FORTVNAM: consilio enim bona accersuntur: animo ex finibus Imperij pelluntur contraria: atq; vtriusque adminiculis, non pecunia: non armis, & viribus res grandes geruntur. Consilij enim lumen sine animo, vbi premit periculum, paucis prodest: animus verò sine consilio, multis etiam efficit.

Quòd summa plerunq; imperia ex simultate sint euersa.
Elog. XLVII.

LVcem amat, inquit Euripides, iudicium: tenebras consilium. idque & domi, & militiæ. iccircò enim simultates à simulando sunt dictæ, quòd simulatione dum res, tempusq; patitur, sint tegendæ. Parum quippè prudens, nisi etiam sit occultũ, prodest consilium. Nec aliam ob rẽ Fidei olim velata manu sacrificabatur, nisi quia Fides in consilij ara tecta esse debet, & velata: nulla in odij flamma. nihil enim magis mortalibus, quàm odium fucum facit. Nam eos, quorum in animum obrepsit, quasi quibusdam præstigijs illusos in eam cogitationem adducit, vt semper aliud, quàm quod res est iudicent. Quid? nullum est aut verius, quàm beneuolentia, aut futilius, quàm odium Imperij munimentũ. Nam magna sæpè regna prauo imbecilliorum odio sunt euersa: nec superior viribus potest interdum inferioris reniti insidijs. Argumenti huius adumbratio spectatur, & imago, per *Ceruum, cuius inter cornua Aquila mordicus hæreat, quiq; eo territus*

ad

ad prærupta ſaxa, citato curſu contendat. cum titulo. VINCITVR ARTE. Aquila enim cum Ceruo impar viribus, Ceruum ſic inuadit, vt Ceruus contra ſe arma gerat, ſuoq; ſe perdat ſubſidio. Siquidem Ales hæc vbi alas, corpusq; vniuerſum plurimo referſit puluere, prærupte belluæ caput inſidet, eamq; mox roſtro, vnguibus exulcerans, atq; collecto ſimul puluere alis occę cans ex locis eminentiſſimis pleno curſu agit præcipitem: ſicq; Aquila ſine vi, ſine robore, robuſtam, & validam animantem artis ſuæ facit prædam. Quorſum? res eſt periculoſa in Imperio ſimultas, cui ſi inſcitiæ offunduntur tenebræ, Imperium non tã hoſtili oppugnatione, quàm ſua perit fatuitate. Spem enim ſalutis cum periculo: periculum commutat cum exitio: nec ab vllo magis læditur, quàm à ſeipſo. Loquitur id etiam Carthaginenſium Imperium. Nam Carthago quondam omnium penè vrbium opulentiſſima cùm eſſet, eiusq; Imperij vis quotidiè terra, mariq; ſic per concordiam augeretur, vt Siciliam, & maximam Italię partem ſubigeret, compelleretq; Romanos, vt ſoliciti demum eſſent pro mœnibus tuendis, ei ſtatim inteſtina ciuium diſcordia capitali odio imbuta Imperium extorſit. Nam odij mutui, & crimine, & diſcrimine compulſa eſt populo Romano ſeruire, cui antè viſa eſt imperare potius, quàm de Imperio contendere. Ex ciuitate igitur ſunt explodendæ omninò ſimultates ciuium: Æmulationes contrà nobilium potiſſimum ſunt excitandæ. Nam vt illæ obſunt, ita hæ proſunt Imperio. ex illis enim ſeditioſi fiunt ciues: ex his ſeditioſorum exploratores. Itaq; Mecœnas Auguſto conſuluit, vt duos præfectos Prætorij ſibi conſtitueret, vt inter ſe gloriæ in officio mutuo æmuli, alter alterum culpæ timeret cenſorem, atque vno exiſtente factioſo, Princeps cuſtodiatur ab altero.

Quòd nerui, & vires felicitatis ex consilio petantur Principis.
Elog. XLVIII.



Rs & virtus non æquè sui asseclas remunerat. illa enim admittit, vt si quis sciat aut musicam, aut grammaticam statim vocetur, vel musicus, vel Grammaticus: Hæc autem nullo modo patitur, vt qui norit iustitiam, aut temperantiam, mox iustus, vel temperans dicatur. Maximè tamen ars, & virtus sibi consentit in consilij capiendi deliberatione. altera enim prudens: altera fidele redditur consilium. prudens, quia pellitur arte temeritas, quæ ex lucro multum sæpè parit detrimenti: fidele, quoniam nouit virtus semper ex detrimento plurimum lucri capere. Quocirca nemo est qui non malit esse paruus Vlysses, quàm vastus ille Polyphemus. maior quippè est consilij vis, quàm roboris: clarius ingenij lumen, quàm Solis, atque multo validiora sunt artis adminicula, quàm vires, & nerui corporis. Non est igitur bonus Princeps, qui ad res gerendas non aliquem Nestorem suæ deliberationis habeat socium. Argumenti huius imago, atque forma, & veluti quædam facies cernitur per *Gallum gallinaceum in summo Turris fastigio expressum*. Cum dicto. TOGÆ MILITIÆQVE. Hæc enim Ales nunquam obdormit tempori. Parum quippè est Principi Imperij robur, nisi norit etiam excubare animo nisique adsit prudentia, quæ in consilij capiendi deliberatione figuratur hac alite. Leonem rugientem non solum comprimit, sed etiam territat, atque in fugam suo conijcit buccinatu. Solis, & Lunæ, reliquorumque Siderum cursus sic tenet, & obseruat, vt nocturno tempore mortales ad agendũ suo cantu videatur excitare, ex quo in Castris originẽ traxerunt primę, & secundæ vigiliæ. Qm̃ igitur consilij monimenta figurat hæc Ales, Idomeneus Cretensium Rex illam sibi asciuit pro regia

ima-

imagine. intelligebat enim Imperium & pacis, & belli tempore, ſine conſilij præſidio iacere. Nec alia de cauſſa puto, ab antiquitate Marti ſimul, & Phœbo eſt ſacra, niſi vt perſuaſum haberent mortales, & conſilium cum viribus, & vires cum conſilio, in tractandis Imperij gubernaculis exæquari oportere. in quo minimus error fit maximus. Nam inconſiderati animi temeritas non adulta modo eſt publicæ ſalutis peſtis: ſed etiam ſtirps & ſemen ſummæ in Imperio calamitatis. Quare felix ea eſt Reſp. in qua Princeps non aliorum: ſed alij Principis egent conſilio. Etenim populus, vt ſentit Anacharſis, debet ab ore Principis pendere, tanquam ab aliquo Delphico oraculo.

Quòd dignitas Imperij, Principis obſequio maximè ſit depaſcenda. *Elog.* XLIX.

ICcircò Theſeus primus omnium pecuniam excuſſit Bouis imagine: quia neſcit Bos patientiæ, & obſequij iugum deponere: iccircoq; pecunia ea animantis effigie ſignata, ab eo moneta à monendo eſt vocata, quòd nulla maiora ſint publicæ felicitatis monimenta, q̃ quæ petuntur ex tolerantia, & obſequio. Ruit enim Imperij ius omne, niſi ſolers, & diligens cura adſit obſequij, in quo finis eſt iuſtitiæ, & principium publicæ ſalutis. Quare qui Princeps publicam amat felicitatẽ, nihil magis in Imperio anhelare debet, quàm obſequium. Siquidem is tantum optimè nouit imperare, qui didicit iuris imperata facere, atq; rationi obedire. quid? in Imperij campo, nulla planta ad rerum vbertatem, & copiã, eſt feratior obſeruantia, & obſequio. Etenim Imperij omne firmamentum, in obſequij fundamento eſt poſitũ: quando nunquã antè poteſt Princeps honeſtè imperare, quàm cæperit Deo immortali parere. Magna igitur obſeruãtia oportet ſit in Principe:

cipe: obſeruantia? imò patientia. Nam alijs imperans, ſi modo imperantem fas eſt dicere, non ſolum videtur dignitatem imperantis deſerere, ſed etiam vulnerare, cui Muſarum lucubrationes, & vigiliæ non ſunt chariores omni voluptate. Nemo quippè honorem capit ex Muſarũ Choro, niſi qui Muſis præſto adeſt, & ita vt ne latum quidem vnguem ab earum recedat præcepto. Argumenti inſigne effingitur *per Spinum flagro Perſici arboris inſitum.* Cum verbis. EX STERILI FERTILIS. Si enim ſurculo Arboris Perſici inſeritur Spinus: quæ natura antè arbor fuerat infrugifera ex artis obſequio redditur feraciſſima. Nam Meſpila gignit miræ & magnitudinis, & ſuauitatis. Nullo filo, ſi benè attendimus, commodius contexitur Reip. vbertas, & copia, quàm obſequio, & obſeruantia. Ruit enim omnis in Imperio, & doctrinæ, & virtutis diſciplina, ſine amore, & obedientia. Ageſilaus igitur cùm maximam Aſiæ partem armis ſibi ſubegiſſet, nactusq; eſſet occaſionem rei cum Rege Perſarũ benè gerendæ, reuocatus ab Ephoris ob Spartã obſidione Græcorum cinctam, citrà cunctationem, ſoluit ex Aſia, paruitque Vrbis Statutis, inquiens boni eſſe Imperatoris, non ſua, ſed iuris ſequi conſilia: non proprias, ſed publicas quærere delitias: Has in iure, illas in voluptate eſſe fundatas: nullos in Principes exacui acriores mordacitatis aculeos, quàm qui ex voluptatis concitantur lenocinio.

Quòd neque vtile ſine honeſto: neque honeſtum quiddam ſine vtilitate poſſit eſſe Principi. Elog. L.

NOn minus ſæpè poteſt Ars, quàm natura, de ratione minimè laboro. Nam Apelles, vt hoc ipſum doceret Equam, & Canẽ ita pinxit, vt prætereuntes Equi hinnirent, & Canes latrarent. quid? poteſt arte: natura nõ poteſt beſtijs fieri fucus. At multò laudabilior, quàm artis, eſt naturæ vis. Natura .n. fons, &

caput est bonorũ omnium: Ars verò singulorũ. Itaq; Princeps sæpè caussa honestatis ab vtilitate: nunq̃ gratia vtilitatis ab honestate recedit, in quo si errat, grauius cẽsetur peccare exẽplo, q̃ culpa. hæc. n. ad paucos: illud ad multos pertinet: qñ non tam videtur peccatum admittere, q̃ alios ad peccandum erudire. In exaranda hac sentẽtia Sulcus ab Antiquis altius imprimitur venustæ imaginis. per *Vitim vlmo innixam*. Cũ titulo. INFRVCTVOSA VSVI FRVCTVOSIS. Robustior. n. cedit imbecilliori. Nã honestati suaue, & vtile quod est, atq; bona cedunt oĩa. facit ad Principis gloriã hæc imago. Nam frugi Principi ex inopia, vbertas fit & copia. Nouit. n. ex aliorũ egestate adiumẽta capere honesti simul, & cõmodi. Nata est Antiquitatis auctoritas: Etenim cur ab ea Vulcanus cũ Pallade matrimonio iungitur? vt certè nihil vtile esse cẽseamus quod non desponsum sit, & destinatum honestati. Vulcanus. n. faber, & opifex habetur publicæ vtilitatis: Pallas magistra, & domina honestatis. Duo igitur cùm sint bonorum genera externa, & insita, illa veteres vno constrinxerunt vinculo. Nec alia de caussa, puto, Atheniẽses Vulcanum, & Palladem vno eodemq; coluerũt delubro, nisi vt docerent & honestatis, & vtilitatis in rebus agendis oportere arctissimum esse nodum.

Quòd Virtus militum, non numerus horribilem Hosti reddat Exercitum. Elog. L I.

QVot in bello sunt viri fortes, tot viua sunt Dei simulacra, cuius est nunquàm vinci: semper vincere. Quocirca Exercitus nõ milite auctus: sed virtute cumulatus, hosti redditur terribilis. Miles. n. numerosus inimico auget prædã: fortis tantum extorquet victoriã. Rei eius indicium, & insigne fit per *Pantherã, quæ face ignea territa se in fugam vertit*. Cũ dicto. SOLVS TERRIBILIS. Neq; fera bestia, ignis: neq; dira improborũ natura,

tura, virtutis, ſine horrore ſuſtinet ſplendorẽ. Etenim non magis Ouis Lupum, q̃ Panthera ignem fugit: in quo vnà cũ Leone veluti quandam adumbrationem recognoſcit diuinæ virtutis. Quid? an igitur cognitionem habent feræ beſtiæ? ſi non habẽt, cur Serpens hoĩem fugit nudũ: inuadit armatũ: ſi habent, minimè differunt ab hoĩbus. Cognitionis triplex eſt ratio, vna à natura: à ſenſibus altera: à ratione vltima. Serpẽs igitur natura eruditus, iccircò hoĩem timet nudum morſu appetere: quia ſtatim interit, ſi hoĩs inſtilletur ſanguine: armatũ cõtrà audacter inuadit, vel indutũ, qm̃ abit impunè. Nobis verò duo ad cognitionẽ dedit natura ſenſum, & mentẽ: quorum altero ſingularia: altera vniuerſalia poſſumus ſuo librare põdere, & examinare. Natura igitur magiſtra, vt ad rẽ redeã, Panthera in igne quaſi quandam recognoſcit diuinitatẽ impuris, & vitæ alienæ helluonibus infauſtã, & exitioſam. Sed quid ego hæc? nihil eſt neq; ad terrorẽ improbis: neq; ad audaciã viris bonis Virtute accõmodatius. docuit id aliqñ Scipio Maior. exiguo. n. Exercitu cõparato, ĩterrogatus quorũ ſpe fretus claſſem pararet in Aphricã traijcere, horũ dixit, quos armatos videtis, oſtẽditq; trecẽtos milites ſeſe exercẽtes: turrim pręterea excelſam mari imminẽtẽ, nullus aiẽs horũ eſt, qui nõ conſcenſa turri ſe in mare ſit præcipitaturus ſi iuſſero. Quorſum? facilis eſt Imperatori victoria, ſi obſequij par Imperio ſit ratio. Nec Imperatori difficilis eſt ex aſpectu militũ, aut virtutis, aut ignauiæ coniectura. Nam oculi nimis arguti non ſolũ quemadmodũ quiſq; ſit affectus: ſed ẽt quas ad res ſit factus loquũtur. vbi aũt de virtute ratũ eſt indiciũ: ibi omne de obſequio exulat dubiũ. Nã ita natura cõparatum eſt, vt oĩa obediant virtuti: iaceant verò vniuerſa ſine virtute. Nã vt arbores nullũ ſæpè fructũ ferunt, niſi alijs veluti maribus ſint coniugatæ: ita turmæ militũ niſi virtuti ſint deſponſæ, neq, validę, neq; vtiles ſunt: ſed tanq̃ pellices turpitudinũ omnium, & miniſtrę.

Quòd Principis Sapientia, qua cuncta reguntur singularis sit, & propria. *Elog. LVII.*

TRacius Rusticus, vt est in veterum monimẽtis, cùm vicinũ putantem vites, & oleas vidisset : ipse, vt moram tolleret, à stirpe omnes incidit: qui si ridetur, non possunt nostri nõ passim ludibrio haberi homines. Nã idipsum in vitæ humanæ cultu faciunt, qui modũ negligunt, finesq; transeunt mediocritatis. itaq; multi Bardi, & Stolidi notantur inter mortales: solus autẽ in terris non potest, nõ esse sapiẽs Princeps. Nã Principis est, quod in disceptationẽ, & quęstionẽ vocatur, id omne iure, & iudicio dirimere. quid inquã dirimere? ea demũ Principi definita est Sapientia, quæ sola artem fabricandi viros sibi vendicat. Quare ab Homero communis omniũ parens est nominatus. Nec alia de caussa, puto, penes Principẽ cõis vitæ, & necis omnis est potestas. Quare Principis nõ insulsè, quasi quibusdam insignibus, atq, infulis imago cõstituitur per *Basiliscũ.* cum dicto. SEMPER INVICTVS. Nam si Horo Niliaco fides est habenda, solus Basiliscus tutus est ab omni animantiũ offensione: atq; iccircò inuictus, & insuperabilis. Itaq; quasi Diademate ornatus candida in capite macula, in Serpentum genere habet Imperiũ: omnes suo fugat sibilo: hominemq; solo intuitu interimit. Hunc Plinius regiæ virtutis memor Regulũ nominauit. Nõ quia lędit: sed qm̃ cùm lędi minimè possit, vim quasi quãdã habet æternitatis: quæ in Principe patrimoniũ est Sapiẽtiæ. Hęc aũt nusquàm euidentius patet, q̃ in virorum, & instructione, & cõstructione, q̃ oĩs debet manare à Principe, tanq̃ ab optimo ingeniorũ architecto, & opifice. Graue est Antiquorũ testimonium. Illi. n. Phidiam Sapientem sculptorem: Polycletum sapientem Statuariũ esse dixerunt: Epaminundam verò sapientem Imperatorem nominabãt, eò ꝙ nõ Statuas hominum,

vt

vt illi, ſed homines fabricaret. Nec enim ætas: ſed virtus viros parit. Nam homines ſine virtute, etiam ingraueſcente ætate, ſemper remanent pueri.

Quòd Ars imperandi Religionis ſit alumna. *Elog.* LIII.



QVoniam hominis, brachijs, manibusq; extenſis, tanta eſt latitudo: quanta à vertice capitis, ad calcẽ longitudo: circonductoq; ab eius vmbilico Circino, orbicularem homo conſtituit figuram: iccircò olim apud Romanos Numa Pompilius Veſtæ: Agrippa Dijs omnibus templo rotundo conſecrauit ambitu, vt oſtenderet hominem in terris, non ſolum ædificium eſſe Dei immortalis: ſed etiam domicilium. Quæ igitur apud Romanos regia erat doctrina? non ea, quam docuit Socrates. Nam Dæmon Socratis, vt ait Plato in Phœdro, Genius erat, à quo deriuauit ingenium: quod Platonis, & Ariſtotelis veluti quadam cote exacuitur doctrina. tamne diuerſa? non eſt eorum diuerſa doctrina: ſed diuerſum philoſophandi genus. Nam Plato à cauſſis eminentiſſimis deſcendit ad infimas: Ariſtoteles contra ab infimis ſenſibus, ad ſupremam mentis aſcendit apicem. in tanto ordinis diſcrimine, nullus eſt vtriuſq; conſenſus, niſi qui rerum humanarum, & diuinarum nexu tenetur cõſtrictus. Magna verò ab Antiquis, in orbe terrarum machina regenda religionis commendatio. Hanc enim qui habet, eorum omnium habet intelligentiam, quæ ſunt, quæ fuerunt, & quæ futura ſunt. Siquidem nihil eſt Religio niſi ſapientiæ ſedes: Deiq; immortalis ſcientia: qua ſubtracta nõ ſolum lumen omne reſtinguitur virtutis: ſed etiã res vniuerſæ tenebris offunduntur ignorantiæ: quaq; poſita, quot ſunt Principis inſtituta: tot vexilla ſpectantur publicæ felicitatis. Nam vt Gubernatori in alto, curſus ſecundus: medico, ſalus: Imperatori victoria: ita Principi beata ciuiũ vita eſt pro-

posita: nec quicquam molitur, nisi vt ciuitas sit opibus firma: copijs locuples: gloria ampla, & virtute honesta. sententiæ huius disciplina aures: pictura recreantur oculi, per *Elephantem, qui Lunam adoretur.* Cum titulo. OMNIA DE COELO. Non est imago hæc, vt lingua mortalium, veluti quoddam flabellũ fallaciarum: sed tanquam aliquod simulacrum summę religionis. Nam vt Elephas proximè, & secundum hominem, sensus attingit humanos: ita Princeps cùm inter mortales Deo sit finitimus, virtutes omnes vincit religionis veluti quadam diuinitate. Quid? patrium ille sermonem intelligit: ducitur gloriæ studio: mandatq; memoriæ præscriptas officiorum leges: Solē: Lunā, & Sidera adorat. ex quo, vt fas est odorari, nihil est quod Principem magis commēdat populo, quàm Religio. fieri enim non potest, vt quis sit Religiosus, qui non item sit pius: clemēs: iustus, & integer. Quare Cyro Religionem in primis commendauit Cambyses pater. Qui enim Princeps est, obses in terris fit Dei immortalis. Arsaceni igitur nihil Deo gratius se facere arbitrabantur, quàm cùm suo operam dabant Principi. Atq; ad testificationem sui amoris erga Principem, & obseruantiæ, ea pericula vltrò adibant, ex quibus nullus viuis dabatur regressus. pluris enim faciebant quam erga Principem habebant obseruantiam sine vita: quàm vitam sine obseruantiæ laude, & gloria.

Quòd virtus sine modo fiat vitium.
Elog. LIV.

QVemadmodum ars dicta est ab arcendo, quòd in scientiarum diuerticulis nos ab omni arceat opinionis errore: ita & mos, & modestus à modo nomen, numenq; virtutum omnium est sortitus. Tanti autem est modus, vt nemo ar-

tem

tem aut virtutem ſequi poſſit, qui modum deſerat: nemoq́; antè norit errare, quàm à modo recedat. Nihil eſt in bonis, ſi veteres conſulimus, amabilius, quàm modus. Nam cur Tartari cùm hoſti in armis capto nulli parcerent, neque pueris, neque ſenibus: ſed omnes ſine diſcrimine trucidarent, Artifices tantum reſeruabant illeſos? quia modum in rebus agendis norunt tenere, quem culpa eſt deſerere, nefas violare. quid norunt Artifices? parum valet Principis induſtria, niſi modo auſpice, procedat. Principi. n. ſæpè res eſt non ſolum foris cum hoſte armato: ſed etiam domi cum ſeditioſo populo. in vtraque non vis dominatur: ſed modus, qui & menſuram, & medicinam in dictis, factisq́ue tenet rerum omnium. Id & ſalsè, nec obſcurè loquitur Inſigne hoc *per Serpentem, qui è latibulo læua prenſus extrahitur.* Cum verbis, NON DIFFICILE. Naturæ enim teſtimonio comprobatum eſt, ſerpentem è latibulo dextra nullo modo: læua facilè extrahi poſſe. quorſum? is demum potens aduerſus hoſtes eſt Imperator, non qui magnas vires, ſed qui modum nactus eſt vincendi. Nec enim nauis clauum: ſed nauim clauus regit exiguus. Siquidem res magnæ non neruis, & viribus: ſed facultate, quæ omnis in modo conſiſtit reguntur. inde nomen traxit modeſtia, quòd in modo ars omnis conſiſtat rerum agendarum, & ſcientia. Quamobrem ſemper poteſt plus in armis ſapiens, quàm qui robuſtus eſt. non. n. vincit, qui viribus: ſed qui conſilio eſt ſuperior. ille fortunam, quæ conſors eſt temeritatis: hic virtutem, quæ neſcit errare ſequitur Ducem. eius igitur errata, dum proſpero flatu vtitur fortunæ, ornamenta videntur ingenij: huius verò cõſilio, & prudentia, vbi res arte eſt tentanda, non viribus, aduerſa fortuna redditurglorioſa. Quare modeſtia, ſiue à verbo medeor eſt dicta, ꝙ certa ſit perturbationũ omnium medicina: ſiue à verbo moderor, ꝙ rebus ſecundis moderetur, ſimul,

& aduersis, virtus summa est Principis. Etenim Principi, cuius est omnium erroribus mederi, non adeò in bello timenda est hostium iniuria: quàm in belli victoria, populi interdum inuidia. Testes sunt ipsæ etiamnum Athenæ. in ijs enim populus ea continenter exarsit inuidiæ flamma, vt optimos quosq; Principes indignis semper acceperit modis. Quare Principi in magna felicitate, magna laus est modestiæ, partim quia procreatrix est inter mortales amoris, & beneuolentiæ: partim quoniã dignitas sine modestia dedecus concipit arrogantiæ.

Quòd vires, & nerui Imperij, sint in obedientia positi.
Elog. L V.

NVlla arx firmior est Imperij, quàm obedientia. Itaq; Principi parandi sunt amici. Nam vltrò imperata faciunt, qui amant. feliciter autem imperat, cuius obedientes gaudent Imperio. Siquidem Reip. vtilius est dicto parere Principis, quàm afferre edictum: nec vlla ei plaga capitalior potest ab vllo infligi, quàm ab ijs, qui non obtemperando ius violant Imperij. Nã crescit, & decrescit Imperium, domi, militiæq́, cum obsequio. figuratur id *Crocodilum iuxtà Nilum oua ponentem.* cum titulo. MAXIMA, EX MINIMIS. Etsi enim nihil est humilius, & abiectius obedientia, ea tamen in Cœlum attollitur Imperiũ. quod bellè Crocodili elucescit imagine. Nam Crocodilus naturæ obtemperando necessitati, ex ouo non maiore anserino, ad tantam exurgit magnitudinem, vt animantes omnes immensa quadam vincat corporis vastitate. Nullum enim dum vitam agit, crescendi finem facit. quorsum? non solum nutriuntur, sed etiam augentur in Rep. virtutes omnes obsequio. Nihil quippe est virtus nisi legibus parere: nihil imperare populo, nisi imperata Dei facere, cui si nõ

præstet

præſtet obſequium, facit imperando, vt nullo modo ſibi ſit obtemperandum. Nam bis peccat, qui iniuſtè imperanti paret. Semel quia iniquum obſequio nutrit Imperium: iterum quoniam turpe obſequium tegit Imperij flagitio. Honeſtè contra imperanti, qui ſuam operã nauat, maximè Imperij ius exoruat. Quare præſtat in bello Imperatori parere, quàm hoſtem trucidare. itaq; Lacoon quidam in acie cùm teneret diſtrictum iam ferrum, vt hoſtis iugulum feriret, ſtatim vbi ſignum datum eſt receptui, manus abſtinuit. Nam in obſequij fundo, gloria omnis radices agit Imperij. Nihil quippè eſt obedientia, niſi virtutum; quæ tam magnę ſunt, vt in ijs nullus ſit exceſſus, niſi veluti quædam officina. Quoniam aut ruit ius omne ſine obedientia: ſine iure Imperium, vetus Spartanorum inſtitutum in obedientiæ patientia omne fuit fundatum. quid? nemo eſt, in quo mica modo aliqua ſit ſalis, cui virtutis huius gloria non ſit charior, quàm lucis ipſius vſura. exempli loco iam non eſt ieiuna plebecula: ſed Ampliſſimi olim Æthiopum Reges. Nam tantum tribuebant obedientiæ, vt ſi eſſent fortè à ſacerdotibus Iouis admoniti, ne diutius inter viuos agerent, minimè ſtatim dubitarent vltrò ſibi manus inijcere. Præclarius quippe eſt obedire, quàm viuere. Nam vita hominis poteſt eſſe infamis: non poteſt eſſe obediẽtia, quæ virtutum omnium eſt magiſtra, non eſſe glorioſa.

Quòd animi conſilium Principi ſimulatione, & diſsimulatione ſit tegendum. Elog. LVI.

PRudentia lucerna eſt omni clarior Sole. Hic enim hebeſcit: illa lucet in ignorantiæ tenebris: huius ſplendore res ſpectantur tantum præſentes: illius igne omnia illuſtrantur quæ ſunt, quæ fuerũt, & quæ futura ſunt. Quare

pru-

prudentis Principis consilium nusquàm, aut deterius, quàm in aprico: aut melius crescit, quàm in opaco campo. est enim consilij vis omnis de rebus futuris, quæ minimè apparent. Atq; sicuti Parthi nunquã cominus: semper eminus præliãtur in acie: nec stantes pugnant, sed fugientes: ita nullum consilium magis est validum, quàm eius, qui absens adest: præsensq; procul simulationis artificio videtur abesse. Nam quemadmodum totus homo, vt ait Plato delitescit in capite; ita vis omnis quasi imperandi in simulationis, & dissimulationis latitat artificio. Nam hostium alij vi: alij arte: omnes dolo sunt superandi. quid hostes? imò familiares sæpè, vt insidiosi amici, sunt fallendi. Huic præscripto artis gloria resonat tanquam imago. Imaginis autem figura constituitur per *Lãpadem atramento infusam, atroque lychno ardentem.* cum verbis. INSIDIOSA FIDES. Sic enim ea lampade in obscuro loco, ardente allucinantur oculi, vt suo se omninò decipiãt sensu: nec astãtes omninò recognoscantur. Nã ex candidis omnes reddũtur sibi inter se spectãtibus Æthiopes. Quid igitur? quia homo est, veteri prouerbio, Lybica fera: Proteoq; mutabilior, artis est eos, quos fidei dubiæ noĩe Princeps habet suspectos, fuco aliquo fallere. Nã qui vulpinare nescit cum vulpæ, fatuitatis sibi maculã inurit, & stultitiæ. eò res inter mortales processit, vt neq; tuto possimus ipsis sensib. credere: neque nobis ipsis, in re ancipiti fidem habere. Qm̃ igitur clauus clauo pellitur, laudabile est, quod Princeps capit consiliũ, simulationis, & dissimulationis artificio tenere occultum: quia sæpè nocet, nunquam prodest apertũ. in bello verò nullus armorum color magis prodest, q̃ fucatus. Itaq; Lysander Lacedęmoniorũ Imperator non adeò solet ex Leonis, q̃ ex Vulpeculæ exuuio gloriam virtutis bellicæ quærere. Nec mirũ id quidẽ. Nã quantũ in armis dolus pręstet viribus, ex arte patet Sinonis, quæ sola potuit Troiã euertere: non potuit tota Græcia armata.

Quòd

Quòd felicitatis nodus Herculeus, Imperio corrigantur simul, & obsequio. *Elog. LVII.*

VEtus hoc Ænigma, mater me genuit, & rursus illa gignitur ex me, quadrat potissimum in felicitatem Imperij. Nã in Rep. benè instituta, Imperium manat ex obsequio, & obsequium ex Imperio. vt enim populus obediendo imperata facit Principis. ita Princeps imperãdo obsequium præstat iuri, & legibus. pingitur id & coloribus naturæ, & artis penicillo. per *Flumina, quæ ex Oceano fluunt, et in Oceanum refluũt.* cum verbis. EX ALTERVTRO VTRVNQVE. Nec enim antè potest populo imperare, qui iustè imperat, quàm morem gerat iuri, & iustitiæ. exit igitur Imperium ex obsequio, & rursus obsequium ex Imperio: sicuti ex Oceano fluuiorum cursus, & ex eorum cursu de integro Oceanus. Quare non obedientes nulla alia de caussa puniuntur, quàm quòd nõ obediunt. Siquidem vbi non est obedientia: ibi calamitas est Imperij, & ærumna. Itaq; Stesimbrotus etsi non sine magna gloria aduersus Lacedæmonios pugnãs reportarat victoriã, quia tamen contra edictum patris, manus cũ hoste conseruerat, ab Epaminunda patre Thebanorum Duce interfectus est filius. Nec mirum. Nam, si benè attendimus, nemò magis Principem lædit, quàm qui Principis dicto non est audiens. Quocirca in eũ seueritatis exacuendi sunt aculei. Etenim qui mitior est, dum paucorum tolerat socordiam: multorum aduersus Imperiũ inuitat insaniã. Testes sunt Mossini, populi Asiæ. Hi. n. obsequij primũ iure neglecto: deindè contempto, eò demum vecordiæ processerũt, vt cęsa omni regia sobole, ipsi Reges eos constituerent, qui & sibi parerent, & pęnas darẽt neglecti obsequij: In cinere igitur restincti Imperij cùm baccarentur voluptate, de ijs Alexander Magnus non minus acerbè, quàm iustè supplicium sumpsit.

Quòd

Quòd deterius sit, quàm mori, hosti in bello terga dare.
Elog. L V I I I.

MAior ars est fugiendi, quàm pugnandi. Nam fugere nescit, qui periculum, non dedecus fugit: nouit cõtra fugere, qui salutem inter Scyllam, & Charibdim auolantem potest non solum sequi, sed etiam assequi. quid? res est ingenij fuga: pugna virium. Nam hostis in bello & fugiendus, & fugandus est, non pedibus, sed manibus. Nemo igitur potest hosti terga dare sine magna ignominiæ labe, & macula, quia neq; pugnare nouit, neq; fugere. Quocirca præstat in pugnæ incendio vitam deserere fortiter pugnando: quàm fugiendo retinere cum infamiæ dedecore. Strenuè n. pugnanti nihil mors ex laude decerpit virtutis, qua etiam viuimus restincti. vidi aliquando Bruxellis in Regia Philippi enim stragulum textile magnificis operibus pictũ, in quo argumenti huius imago cũ delectatione intuentiũ tenebat oculos; Erat *autem per Pinum excisam figurata*. Cum titulo. SECVS IN BELLO. Nam Pinus semel succisa, nunquam repullulat: radicitusq; restinguitur, & deletur: moriens contrà per virtutem in bello, semper super est gloria: nec mortem potest, aut debet timere, qui mortuus in dies videtur omnium sermone reuiuiscere. Arbor Pinus non floret: vmbraq; eius necat germina: semelq; excisa nullã remittit sobolẽ, prorsusq; interit. itaq; Cręsus, vt est apud Herodotum in Erato minabatur se extirpaturũ Lampsasenos Pini in morem. Cędes verò in bello flores omnes habet virtutis, ex eiusq; vmbraculo leguntur vberrimi fructus gloriæ. Qui autem fuga saluti suæ consulit, ita videtur omni se periculo simul, & infamia profligare, vt sui sit insidiator: vniuersiq; exercitus proditor. Nam sicuti in foro, qui caussæ hastã abijcit: aduersarij caussam facit meliorem: ita in bello, qui hosti

ſti cedit, facit Cedendo, vt non tam hoſtis ſibi, quàm ille hoſti videatur parere victoriam: qui contrà cladem acriter pugnando accipit: ſuam etiam in clade facit victoriæ gloriam. Quare cùm in pugna iactura tantum fiat ſalutis: in fuga famæ etiam & honoris, animi plus ad fugiendum, q̃ ad pugnandũ requiritur.

Quòd Milites ſtare debeant Principis iudicio, non Princeps militum.
Elog. L I X.

QVoniam aculeatus ſermo, ſi ſale modo aſperſus ſit ingenij, magis oblectat, quàm mordet, nemini poteſt iudicium Principis, in quo Sol, & ſal eſt Sapientiæ, acerbum videri, niſi ei, qui ſenſum, & guſtum amiſerit virtutis. culpatur tamen magis, quàm laudatur. Nam eò proceſſit humani generis nequitia, vt in finibus Terræ, q̃ prouincia eſt malorũ, pauci ingenium, omnes palatum habeant eruditum: nec rara ſit, ſed nulla, vt ait Seneca, vitæ innocentia. Verum ſemper laudabitur, ſi vulgus mortaliũ reſipiſcat, Principis ſeueritas. quid ita? quia hæc eſt ſeueritatis lex, vt aut pœnæ medicina reſtituatur perditus: aut perditi exemplo territi improbi deſciſcant ab improbitate: aut ſublatis improbis in tuto vitã agant probi viri. à Principe igitur in pace, iuris ſtatera: in bello, res omnes librantur iudicij momento: infauſtique eſt ominis ſi Imperator militum: non milites Imperatoris ducantur iudicio. Sentẽtię huius veluti quædã formatur figura, per *Mulum Cataphractum, quem vidi in textili pictura.* cum dicto. FASQVE NEFASQVE VIOLAT. Nouit enim Mulus Arma ferre: non pugnare. committit enim quod eſt cauẽdum: omninoq; refugit quod eſt faciendum. aliud enim eſt ferro armari: aliud armorum artificio vti. alterum habent ignaui cùm Mulo commune: alterum viri fortes cum virtute proprium, & ſingulare: omninoq; in armis,

acerbè

acerbè vapulat hoc muli simulacro, nimia exercitus auctoritas. quid ita? quia in mulorum genere, nobilior mare est femella. Hæc enim ex Equo patre: & Asina matre nascitur: ille verò ex Asino genitore, & Equa procreatrice. quorsum? tãtum interest inter Principem, & Exercitum: quantum inter virum, & fœminam. Nam Principe regitur Exercitus: Exercitu Princeps tãquã proprio vtitur corpore. in quo si belli ius, iudiciumq; violatur, Principis, de re actum & bellicę. Loquitur id Pompeius: asseuerat Brutus, quorum vterq; militibus prælium poscentibus, ad pugnandum contra suam voluntatem compulsus est. idque malo suo genio. Nam malis auspicijs inchoata prælia, pessimum item habuerunt exitum. Monstri enim quiddam est simile, quod Imperator, militum: non milites Imperatoris stent iudicio.

Quòd nullus Imperio morbus sit capitalior, quam Cupiditas.
Elog. *L X.*

CÆcus iccircò effingitur Cupido, quia homo cupidus omni talpa est cæcior. Hic enim Solis: ille rationis cassus est lumine. Nã in cupiditate mendaciũ veritate fucatum veritatis specimen semper præ se fert: nunquam veritatem. Quare nisi exulat cupiditas, quæ Principi vtilia factu videntur, timenda sunt: quæ contra noxia apparent tutius plerũque inuaduntur. Siquidem in illis sæpè latent insidiæ: in his vis vi repellitur. Rei huius effigies, simulacrumq; exprimitur per *Bufonem Vento se ingurgitantem*. cũ dicto. EX COPIA ÆRVMNA. Adumbratur hac imagine, quàm miser sit, & infelix qui æstuat auiditate. Nam Bufo ea exardescit cupiditatis siti, vt cùm pascatur terra: metu tamen ne sibi ad pastum deficiat, terra, continenter disrumpatur fame, inani tantum aura se pro cibo

bo ingurgitans. quid? non cupiditas ex rerum copia restinguitur: sed ea magis, magisq; accenditur. Quocirca semper pauper est in rerũ affluentia homo cupidus: diues verò in egestate, qui cõtentus est: beatiorq; existit, qui cupiditatem depellit, quàm qui ingentes opes acquirit. Nam ex cupiditate odia, dissidia, seditiones, ac bella denique nascuntur capitalia. Itaque cùm Lacedæmonij aliquando de diuturnitate Reip. Apollinem consulerent, ab eo responsum acceperunt, vt ab auro, & argento cauerent, in quibus potissimum seges, & materia est cupiditatis. Nemo enim ante ad virtutem potest accedere, quàm procul recedat à cupiditate, in cuius regione nihil potest non turpe, & sceleratum habitare. Quare qui cupiditate laborat, non tam videtur egere, quàm insanire: quippè qui non vitæ caussa quæstum facit: sed vitam agit quæstus gratia: mauultque, vt Midas Phrygiæ Rex, aurum sine vita: quàm vitam sine auro.

Quòd Anima humanæ societatis sit Principis Iustitia. *Elog.* L X I.

PRincipis est, vt tranquillum, & pacatum sit Imperiũ, semina inter mortales serere Iustitię. Nam iure agere volentibus, neque arma sunt necessaria, neque in foro magnopere opus est diserto patrono. Iustitia enim quæ patronus plurimis orat verbis, etiam cum silentio exorat. Quoniam autem magistra rerum omnium, & domina est Iustitia, qui Princeps iustus est, nihil frustra cupit. Nam cur non rumoris aura afflatum est, sed sapientissimorum virorum iudicio inculcatum, bonas leges ex malis moribus esse natas? vt hoc certè omnes intelligerent nihil esse tam tetrum, & immane, ex quo Principis iustitia non norit plurimum haurire vtilitatis, & gloriæ. Itaque prodest omnibus: nocet nemini. Sẽ-

tentiæ huius in pictis, fictis, cælatisq; formis simulacrum exprimitur per *Vulturem contra Serpentes dimicantem.* cum dicto. SVSTINET, ET ABSTINET. Quoniam vita hominis, vt virtus, consistit in actione: nihilq; non iustum est agendum; fit, vt solus vir iustus norit vitam agere hominis. Quare Princeps iustitiæ auctor, & opifex, non tam videtur virtutis magister, & dominus, quàm communis vitæ architectus, & publicæ salutis. in Imagine, nō exiguæ doctrinæ vires: validi etiam ad rem declarandam, ingenij sunt lacerti. Nam cùm iustitia sit rerum agendarum, & vitandarum ars, atq; scientia, vtriusque virtutis, veluti quoddam specimē adumbratur hac figura, Vultur enim pro tegenda humani generis societate, contra Serpētes bellum continenter sustinet capitale: ab omnibusque rebus abstinet, quæ serunt, arant, & nauigant homines: nec viuus morsu, nec mortuus pedore cuiquam officit. à re venerea præterea sic dissidet, vt sine mare concipiat Euro spirante, quia in Vulturum genere mas nullus reperitur: ita ab omni animantium offensione, vt à volucribus quoq; mortuis abstineat, quasi quadam cognationis ratione. Nec solum, vt Hermodorus Ponticus refert omnium animalium est innocētissimus: sed etiā in augurijs olim, vt vrbis Romæ docent primordia faustissimi erat ominis. At cur igitur sic oblectantur cadaueribus, vt biduo ante conflictū in bello præsentiat cadauera? quia Iustitiam figurat, quæ interdum est iniusta. iniusta? certè quidem. Nam cùm duplex sit Iustitię ratio, vna in commutatione: altera in distributione posita: illa gaudet medio Arithmetico: hæc Geometrico, quæ media sibi inter se maximè dissident. Nam medium Arithmeticū æquè distans est semper ab extremis. Nunquam enim non tantum alteri tribuendum est: quantum ab eo accepimus, vt patet in ciuili commutatione. Medium verò Geometricum collocatum est in æqualitate, & similitudine rationum. Hoc autem

mo-

medium in officiorum, præmiorum, dignitatum distributione maximè spectatur, estq; si ad Arithmeticū referas inæquale, & iniustum: iustum verò, quia nihil dissidet à ratione, in vtraque iustitia sita est Imperij ars omnis, & scientia in lege verò, vt scribit Herodotus, Principis vis, & natura. Nam quod à Principe manat decretum, si ad vniuersos pertinet, lex dicitur: sin ad priuatos spectat, priuilegium, quasi priuata lex nominatur. illa ad abstinendum vitiorum habet terrorem: hoc ad agendū acres stimulos virtutis. vtrunq; Principi intermittere aliquando fas est: nefas omittere.

Quòd cum rei belli virtute crescat, & decrescat Imperij dignitas.
Elog. L X I I.

ETsi solutus legibus est arbiter: iudex obstrictus, maior tamen quàm arbitri, auctoritas est iudicis. ille.n. nunquàm: hic sæpè in inuitos ius dicit: cum hac tamen exceptione, quòd Princeps in bello æque potest ius arbitrio, atq; arbitrium iure definire. Quare Principi in re bellica ad dignitatem magnus accedit cumulus: & quidem tantus, quàm qui est maximus. etenim quid est res militaris, nisi artium omnium præstantissima? hac instructus, vt refert Vegetius Populus Ro. Orbem terrarum sibi subiecit. quem arte vicit, non viribus. Quid enim paucitas Romanorum potuisset contra, aut multitudinē Hispanorum: aut dolos Afrorum, aut prudentiam Græcorum, nisi virtuti bellicæ cederent virtutes reliquæ vniuersæ? iure igitur Princeps maiorem belli, quàm pacis tempore sibi nanscisscitur auctoritatem. Nam in otio, & pace Princeps legibus: in bello leges cedunt Principi. docent id insignia, & lumina artis militaris, quæ figurātur per *Ferrum allio illitum à Magnete disparatum.* cum verbis. NEC VI: NEC

DOLO. Ars enim bellica tot virtutum lacertis, & viribus est munita, vt nihil sit in vllo periculi genere, quòd queat Princeps ea armatus timere. disciplinam quippè militarem, qui benè didicit, nunquam de victoria dubitat, quia ars est vincendi. id non minus ingeniosè, quàm verè imago. Nam cùm iniuria omnis, aut vi infligatur, aut dolo, quomodo in bello vtrique sit occurrendo docet ipsa imaginis figura. Ferrum enim allio illitum non solum vim respuit Magnetis: sed etiam omnem aduersus ferri vulnera vincit medicinam. itaque solent Græci spicula allio medicata in hostes traijcere, volentes eos ferire, sed occidere. Nec doli patiens videtur allium. Nam qui non ingenuus, sed adulterinus est in muliere color, allio in ore colloquentis manso, obscuratus statim euanescit. Quid? si nemo falli in eo potest, quod bene didicit, qui in bello vincitur, non tā propter virium, quàm artis inopiam, videtur amittere victoriam. id significare cùm vellet Homerus, nemini coronas in bello, nisi artis præsidi Deo tribuit: qui Imperatorem erudit: armatus corroborat Exercitus. Nam Mars à mare iccircò dictus est, quòd maris sit Martem ex bello ancipiti, ad victoriam compellere: non fœminæ.

Quòd Principis nomen, omnem vincat virtutis gloriam.
Elog. LXIIII.

SI Principis est potius consulere, quàm pugnare: in Principe magis probatur ingenij, doctrinæq; lumē: quàm potentiæ vis, & virium robur. Sed Princeps animata est virtus, & doctrina, quæ neq; irasci scit, neque mori, itaque olim, & virtus Papa, quasi pater patrum: & doctrina Mamma, tanquam mater matrum eò est nominata, quòd Princeps communis omnium pares ex vtraque oriatur.

itaque

itaque Scipio Africanus aliquando interrogatus, cur in conflictu nunquam cum hoste manus consereret, quia respondit mater me mea non militem: sed militum, & ductorem, & doctorem peperit, hoc est Principem. Hic autem, quia virtutis nulla vnquam est vicissitudo, semper idem est. Quare in eorum successione, qui ad Principatum ascendunt, nimia, aut lætitia, aut tristitia dissimulanda est, ne si faustum quis nimio attollatur, videatur id ob odium anterioris Principis facere: aut si mœrore afflictus sit putetur difficile pati successorem. Potest quippè successio Principis interdum: nunquam potest Princeps, sicuti neque lex, neque virtus mutari. idipsum, vt doceret, & Homerus apud Græcos, & Virgilius apud Latinos, alter Herculem ex Deo Ioue patre, & fęmina Alcmena matre: alter Æneam ex matre Dea Venere, & Patre Anchise voluit esse natũ; ex quo fas est odorari Principem non tam ex humana, quàm diuina virtute esse concretum, & conglutinatum: quarum ex altera optimus, & altera sapientissimus nomen est sortitus. Nemo enim alijs debet imperare, qui non ijs sit melior, quibus imperat. Sententiæ huius pigmenta suo sale aspersa in regijs tabulis spectantur expressa per *Palmam oneri non cedentem*. Cum dicto. PONDERE VIRESCIT. Hæc imago, quia nullum florem non parit doctrinæ, & ingenij, nemo ex ea potest non odorari, quam vberes fructus sint regiæ virtutis. Hæc enim, vt ab Hercule: Theseo: & ab aliorum infinitate recedam, Alexandrum Magnum sic corroborauit, vt viginti annos natus Thebas euerterit: Darium Persarum Regem cæsis viginti Persarum millibus, cum vxore, & filiabus captiuum duxerit: isq; demum talis, tantusq; inter mortales euaserit, vt mortalitatem immortali superarit gloria.

Quòd tantum intersit inter Principem, & Tyrannum, quantum inter spem, & metum. *Elog.* LXIV.

VEtus Iamblichi sententia hæc est: perinde periculosum esse improbo viro magistratum, atque furioso gladium committere. Quid regnum? committi nõ potest improbo. Nã Regni, & Tyrannidis hoc est discriminis, q illud à viro bono, hæc administretur ab improbo: quare nemo Rex potest esse: nisi qui sit vir bonus: nemo non scelere pastus Tyrannus. Itaq; illius custodia, in ciuium amore: huius, in satellitum mercede consistit. Alter. n. volentibus, alter inuitis cùm imperat, hoc inter vtrunq; interest, q illũ spes attollat: hunc metus deprimat. id qui non intelligit, hospes est in rerũ cognitione, & tyro. Verũ qui prudens est Princeps, nullius custodiã non habet suspectã. Auiditas. n. imperandi in magnis viris audaciam accendit cuiusuis nefarij, & conscelerati facinoris. figuræ pigmentis nec flos, nec color deest argumenti: quæ effingitur per *Elephantem, qui succisæ, ita adhæreat arbori, vt vnà ruat cum arbore.* cũ inscriptione. FIDES INSIDIOSA. Lapsus. n. elephas non resurgit. quia ei nulli sunt poplites: sed tibiæ vna cum cruribus rigidæ. imago hæc in venatorũ insidijs, tanq̃ in herbis significat quantæ fruges futuræ sint industriæ, & virtutis Principi circunspecto. illi. n. arbores, quibus innixi ad somnum capescendum vtuntur Elephantes, clam semisuccisas ad ruinam accommodant, & ita belluis spe quietis venditant ruinam. Quorsum? fides aliena semper in Imperio debet esse suspecta. Nunquam enim ius violari debet, cum hac tamen exceptione, vt, sicuti inquit M. Tullius Cicero, si violandũ est, Imperij caussa violandũ sit. quid? quæ fiunt pro Imperio, solæ probantur insidiæ. Quare quæ fides hosti datur, semper est exitiosa: quæ amico nunquam non formidolosa. alterum docuit

aliquando ipse Cyrus. Nam Messagetis in se irruentibus non solum cessit, vt timidus, sed etiam quasi victus castra reliquit diripienda. mox ea spe illusos cibo, potuq; graues, atq; somno oppressos illos inuasit, atq; ad vnum trucidauit. alterum Ptolemæi Iudæi testimonio elucescit. Hic enim Gener Simonem Iudæorum Principem socerum cõuiuio exceptum, cum duobus filijs, regnandi cupiditate interfecit. Quid igitur? in Imperio semper inimicorum odium: nunquam amicorum non timenda est inuidia. plus enim sæpè officiunt amici insidiosi, quàm hostes aperti.

Quòd ius ex arte imperandi: ex iure omnia Princeps hauriat bona. Elog. L X V.

QVoniam lex spirans est Princeps optimus mortalium sit oportet. quid ita? quia non est virtutis alumnus, sed architectus: non sapiens, sed sapientum omnium Coryphæus habet enim artem imperandi, quæ artium, scientiarumque omniũ, quibus humani generis tenetur societas, magistra est, & domina. Possunt itaq; habenæ quædam imperandi contrahi, & remitti nullæ possunt omitti. Nam facilius potest Mundus Solis, quàm populus iuris carere beneficio. Etenim multa viribus: non pauca consilio: iure omnia communis vitæ parantur præsidia. Est per *Cancrum branchenna lapillum oscitanti Ostreo inijcientem, sententiæ color eruditione diffusus, non fuco illitus*. cum dicto. NON VI: SED ARTE. Ars enim Principis ius est, cui cedunt vniuersa. itaq; omnia, vt docet imago, ex difficillimis reddit facillima. Nam cùm Ostreum testa durissima tegatur, illud Cancer, vsq; eo obseruat, dum modicum recluso calculum ingerat, vt è testa demum absorbeat reuulsum. Habet autem Cancer in capite neutriculum pro cerebro, ex quo admo-

nere nos videtur figuræ imago, ex Principis intelligentia petẽda esse vitæ omnia præsidia. Nam quid est ars, sine iustitia Principis? virtus cuiq; reddens quod debet. at quid debet? cuique quod suum est, musicis musicam: periclitantibus opem: victũ omnibus: ac deniq; rerum difficultates vniuersas artis facilitate corrigere. vt trito patet sermone prouerbio. Cancer leporem capit. non enim cursu tantum, sed etiã laqueo capitur lepus: quorum alterum, & pernicitatis: alterum ingenij. Hoc argumenti testimonio apertè, palamq; elucescit mundi Imperium, quo nihil est difficilius non posse Principe carere. Nam quare apud Poetam Æneæ Comes Achates? cur primus excitat ignem? non falsò ignis dictus est à gignendo, quòd ex igne bona ea gignantur omnia, quæ latent in vtilitatis nomine. Nihil igne est, neque conditius, quia sine eo insulsa redduntur omnia: neq; syncerius, quia nescit contaminari. quid dicere vtilius? hic metallorum omnium auctor est, & dominus. At cur excitatur ab Achate? quia Princeps nescit vlla re egere. dictus enim est Achates ab ἀ particula priuãdi, & χατεω indigeo, quòd quasi alter Deus, nullius rei sit indigens, qui habet artem imperandi: quæ si adest, omnia statim ex Imperio, communis vitæ exulant incommoda.

Quòd latè patens sibi imperantis sit Imperium.
Elog. L X V I.

Nihil est in bonis, quod Principis temperantia nõ suæ quasi mercedis facit prædam. Itaque non ingens, & admirabile est Imperium, quod vel Aphricæ, vel Asiæ, vel Europæ finibus terminatur: sed quod vsq; eo protenditur, quousq; ipsa voluptas, quæ longius, quàm Sol ipse manat, potest peragrare. Hoc Imperium solus is possidet, qui

qui eſt temperans, quiq́; nunquam in alia fortuna, eſt alius: ſed ſemper idem. Eſt igitur Principis voluptatem contemnentis Imperium tale, tantumq́;, vt vix quicquam poſſit timere. uenuſta id exprimitur imagine, per *Muſtellam rutæ ramuſculũ ore geſtantem.* Cum titulo. EX AMARIS VICTORIA. Ruta enim etſi eſt amariſſima, aduerſus tamen venenata omnia, veluti lorica quædam eſt firmiſſima. itaq; ſolent Muſtellæ ea ſe, contra Serpentes armare. quid? virtus cuius radices ſunt amare, facilè veſana omnia intemperantię, vt loquitur inſigne, vĩncit lenocinia. Adeò quippe, & Ruta, & vir bonus malis gaudet, vt illa furtiua ſicuti refert Plinius, melius ſuccreſcat: hic verò omnia mala lucro habeat. dicta autem eſt Ruta à ruendo, eò quòd eius ope ruunt morborum genera propè omnia. Nec magnum ſolum, ſed etiam validum eſt temperantis Imperium. Nam potuit Cyrus Aſiæ: potuit Annibal Africæ: potuit deniq; C. Cæſar Europæ imperare: non potuit non voluptati ſuccumbere: atq; virtutis ſplendorem, libidinis macula non contaminare. Turpe quippè eſt voluptatis nomen: res inſidioſa. dicta enim eſt voluptas, vt quibuſdam placet, à volupe ſine volupia Veneris ſerua, quò docerent voluptuoſos etiam ex Regibus fieri ſeruos. Nec turpis ſolum eſt voluptas, ſed etiam exitioſa. Etenim voluptatis inſidiæ longè magis obfuerunt Annibali, quàm auiæ illæ Alpes, & omnes armatorum hoſtium impreſſiones.

Quòd nihil lateat in nomine vtilitatis, quod à virtute non ſit expectandum Principis. Elog. LXVII.

QVÆ Ciuitas vacat virtute, non politia, ſi Platonem conſulimus, ſed Eremus vocatur. Nã homo expers virtutis, vt lucerna docet Diogenis, non ſolũ naturam, ſed etiã

nomen amittit hominis. At qui vulgo damnatur mulieris in amore libido: maris in odio, atrocitas. Mulier enim, vt consueuit Candudis Regis vxor dicere, pudorem exuit simul cum tunica, & pudicitiam: Mas verò tum bellum confectum putat, cùm belli incendium mortalium restinguit sanguine. Quare, vt Grægis sine Pastore: ita Populi sine Principe nulla est vtilitas. Nam solus Princeps omnes vrbis, & orbis, vno virtutis vinculo, complectitur vtilitates. Argumenti dignitas, artis colore exprimitur, *per Arborem Amyram odores tantum: fructus nullos ferentem*. Cum inscriptione. NON ITEM EGO. Est enim Arbor hæc odore suauis: sterilis tamen, & infrugifera. At contra nulla plãcta, in amœnissimo bonorum omnium campo, est feratior virtute Principis. ex ea enim ij fructus leguntur, qui nõ solum egestatis: sed etiam cupiditatis habent remediũ. Quare nõ satis est Principi dignitatis gloria, cuius odore magis, quàm fumo recreantur homines nasuti: nisi fructus etiam vberrimi adsint virtutis. Testis est non obscurus Homerus, qui Principes omnes semideos facit, quasi iuris, & scripti, & non scripti hæredes, id est bonorum omnium villicos. Gloriosum igitur est nomen Principis: persona ad Humanæ societatis felicitaté, ex ijs cõcreta virtutibus, vt Principis vmbra, qui modò sit Princeps, mortalibus omnibus fausta sit, & augusta.

Quòd Princeps quasi vim quandam obtineat Numinis.
Elog. *LXVIII.*

Nihil est Princeps in terris, nisi obses Dei immortalis: nihil Principis industria, nisi Mineruæ ars, & scientia, qua detracta vniuersi morales calamitate contabescerent, & ęrumna. Nam cur, si Antiquitati fidem habemus, Minerua, & olei, & vestis inuentrix fuit? quia sine doctrinę adminiculis, ratio omnis perit victus, & cultus. Nam vt

in

in victu, elegantia, nisi adsit modus, officit cum apparatu: ita in cultu corporis, si desit modestia, nitor vestium, animi effœminati concipit dedecus. Quid? iacet, & in pace iuris ratio, & in bello, armorum vis sine doctrina, quæ vexillum est in principatu publicæ felicitatis. Etenim quid est, quòd Minerua olim Athenienses Clypeo: fræno Bellerophontem donauit? plenum ingenij est mysterium: vt enim parum refert vndisne, an arena quis in mari obruatur: ita in moribus duæ eminēt vitiorū Syrtes ignorātia, & improbitas, quarum vtra pereas, parum interest. Sphingem igitur ignorantiam Oedipus Clypeo Mineruæ: Chimæram improbitatem Bellerophon frœno adiutus debellauit. Cùm itaq; vtriusq; monstri simul domitor sit Princeps, nihil est in hoc elementari globo, Deo magis simile, quàm qui humanæ societati imperat. Etenim qui obit Imperiū, Dei partes sibi asciscit. Nec enim Deus, si hominis personam indueret, aliud, quàm quid ius exigit, imperaret hominibus. Quare cùm Princeps vim obtineat numinis, nulla est fortunæ vis, quæ non superatur à Principe. Rei eius color, & species effingitur per *Lilium vnà cū Serpente exanimato.* inscriptione addita. CADVNT ADVERSA. Ea enim est Lilij natura, vt vim restinguat veneni, venenatisq; bestijs sit mortifera, & exitialis: næuos è facie abstergat: dolores læniat corporis, ac deniq; teterrima quæque sanet vlcera. in imaginis igitur huius lineamentis, & inuolucris summa latitant regiæ potentiæ monimenta, qua vniuersa superantur malorum genera. Fidem facit Imperator Caligula. Hic enim, vt solitus est prædicare, nullius facinoris adeò ardebat desiderio, quàm eius, quod vulgò negaretur fieri posse. Nec certè quidem qui rector est communis vitæ, & procurator publicæ, salutis satis est eum esse bonum virum. Nam sapiēs sit oportet, vt nihil sit tam operosum, & difficile, quod ante eius non corrigatur, & sedulitate.

Quòd ex legibus, malorum omnia accersantur remedia.
Elog. LXIX.

LEges omnes, sine Principe, ex Platonis sentẽtia, sunt inutiles. quid inutiles? imò nullæ. Siquidem neq; homo sine societate: neq; societas sine lege: neque lex sine Principe potest consistere. Nã vbi Principis deest auctoritas, ibi, vt ait Ennius summum ius, summa est iniuria. Etenim nihil est lex, nisi vox Principis, quæ non solum auribus, sed etiam animo haurienda est. Nam legem non intelligere est ignorantiæ: non sequi improbitatis: violare sceleris. quid ita? quia lex non solum Regina est, vt ait Plato, mortalium, & immortalium: sed etiam animi, & corporis medicina, id est malorum omnium remedium. Lex enim naturalis, agendi: diuina, contemplandi, vitam ab omni malo tuetur, & defendit. Argumenti imago quædam est, & similitudo per *Telas ab Araneo deductas*. Cum verbis. MORBO CVRA FINITIMA. Magna verò legis ex imagine commendatio, quam nemo potest non sentire, si scintilla modo sit ingenij. Nã vt ex Araneo funditur venenum: ita ex Aranei telis singulare veneni est remedium. Itaq; Anacharsis totius Gręcię sapientissimus leges Aranearum telis non falsò fecit simillimas. Nam, vt leges omnes manarunt ex peccato: ita ex legibus medicina omnis trahitur peccati. Quare nihil est lege, vt hoc naturæ patet monimento, aduersus mala omnia vtile magis, & necessarium. Solent itaque Agathynsi, ne legis, aut desertæ, aut neglectæ vllus esset excusationi locus, suas leges, vt refert Aristoteles, passim canere. Quocirca ad hæc vsque nostra tempora leges vulgo Cantilenæ sunt nominatæ. Nec enim vllus est, quàm legis iucundior sonus, quæ faces malorum omnium restinguit iucunditate suæ vocis.

Quòd

Quòd virtus Principis non bonum ſit aliquod ſingulare, ſed publicum. Elog. LXX.



Vemadmodum Sarculus, qui arbori inſeritur, alimẽtum omne ſumit ab arbore, nec tamen arboris, ſed ſua fert poma: ita Princeps quanquam quas vires, & neruos habet, capit à populo, nõ tamen mentem ſequi debet populi, ſed populus Principis. Nã qui ſequitur Principem, nõ poteſt non ſequi publicum bonum, quando in eius fide, & tutela, quæ diuina ſunt ſimul, & humana poſita ſunt omnia. illius autem magni intereſt populũ animi virtute abũdare: corporis præſidio non egere. Nam populi felicitas, gloria eſt Principis. illa ex priuata hæc ex publica, quia conſiſtit virtute, nihil eſt in corporis bonis laudabile, quod fas non ſit animo acceptum referre. Res, *Bouis Aratro accincti adumbratur imagine*. Cum dicto. ARTE, ET VIRIBVS. Eſt enim bos hominis, in ruſtico opere, ſocius, & Cereris miniſter. in pigmenti huius adumbratione, ius omne deliteſcit, & Imperij, & obſequij. Nam cur olim cautum fuit legibus, ne quis Bouem occideret? vt hoc certè monimento omnes intelligerent rem eſſe capitalem, Imperium ſuo deſtitui obſequio. obſequij enim ius qui deſerit, capitale facinus admittit. quid qui tollit, & violat? omne euertit Imperium. Nullo enim alio pabulo, quàm obſequio depaſcendum eſt Imperium: ſine quo quaſi famæ comminutum, & debilitatum iuris vires, & neruos amittit. Nam cur Romulus Remum fratre neglectæ obedientiæ cauſſa occidit? quia malebat Imperium ſine fratre: quàm fratrem ſine Imperio. eò enim qui bonus Princeps eſt, contendit ingenij neruos, & induſtriæ vires, vt obſequium fide: Imperium arte plurimum valeat. id Perſæ, vt ſignis omni oratione docerent clarioribus, volebant Regem Cyrum à Cane eſſe edu-

ſe educatum. Nam in Cane non minor eſt fides ad mala oppugnanda: quàm ſagacitas ad bona inueſtiganda: quarum ab altera, quia fortis: ab altera, quia prudens, ab vtraque nunquàm Cyrus recedebat, quia guarus erat imperandi.

Quòd Oris figura in Principe vera præ ſe ferat morum teſtimonia.
Elog. L X X I.


Voniam qui inſignes viri ſunt futuri, ſtatim ex indole illuſtres ingenij ſcintillæ apparent, non obſcuræ probitatis: nihil magis decet Principem, quàm vt in eius ore, vultu, & oculis videatur & lacus, & lucus virtutum omnium habitare. Principi itaq; non ſolum eſt occultanda animi, ſed etiam corporis deformitas. illa enim laudem comminuit: hæc auget contumeliam. Nullum autem vel laudationis inſigne, vel monimentum vituperationis eſt euidentius, quàm oris figura. Bellè autem formę dignitas *per Coronam adumbratur lauream*. Cum dicto. EX PVLCHRO PVLCHRIORA. Creditur enim laurus, vt viroris pulchritudine: ita recũdita quadam virtute cęteras arbores anteire. Siquidem neq; in terris à venenatis beſtijs offunditur veneno: neq; tangitur de Cęlo. olet igitur eius figura, & pulchritudo veluti quandam felicitatem. Hinc veteri prouerbio laureum baculum geſtare dicitur, qui in periculis eſt ab omni offenſione tutus. Quare non exigua eſt coloris: magna verò ingenij commendatio. Nam ex purgato ingenio purgatur voluntas, quæ morum omnium habet approbationem, id eſt, vt vulgò nominant probitatem. Nam ex ingenij, & voluntatis pulchritudine, fit virtutũ omnium fluxus, & refluxus, hoc eſt ſapientiæ circuitus, qui laurea figutatur corona. Itaq; non humilis, & abiecta eſt in Principe, formæ gloria: dedecus verò plus nimio deformitatis. vetus

tus non deest exempli testimonium. Nam Periclis imaginem, cuius pręclara gesta omnis Græcia admirata est, sculptores Cassidevelabant, ne deformitas appareret, quia oblongo erat capite. Natura quippè sic comparatum est, vt omnes ferè cum stomacho pareant deformibus. Cæci autem est, & amentis quærere cur si amentur, quæ pulchra sunt, gratus, & iucundus sit is, in Imperio, cuius forma existat grauis, & elegans. Ratione supersedendum duco. Nam Barbari ferè omnes nullos putabant magnorum operum esse opifices, nisi illos, quos ipsa corporis species ad opinionem laudis publicæ euexerat. Itaq; olim Macrobij Principem, cui parerent, à formæ pulchritudine eligebant, nec vnquàm deformi viro obedire dignabantur. Accedit id ad Africani maioris laudem non paruus gloriæ cumulus. Nam ea is fuit formæ dignitate, vt inter quoscunque viros esset, solus præter cæteros, videretur dignus Imperio. est enim non solum frons: sed etiam vniuersa totius corporis figura, ingenij interpres, & tacita animi oratio.

Quòd non formæ: sed virtutis dignitas spectanda sit in Principe. Elog. LXXII.


Ræclara ea est in Principe deformitas, quam nō fucus reddit gloriosum, sed animi decus. Etenim vt in curanda valetudine Medicus nō lautus, sed peritus: sic Princeps in tractandis Imperij habenis, nō robustus requiritur, sed fortis: non elegans, sed sapiens. Etsi enim inter Medicos Hippocrates Strabo erat, imbecillis, paruus, & deformis: quia tamen neminem curauit, quem pristinæ sanitati non restituerit: nihilq; alteri prædixit, quòd ei non contigerit, ea animi gloria, corporis vicit deformitatem, vt non tam videatur Coriphæus medicorū, quàm faber, & architectus. Quid

Age-

Agesilaus Rex? an non breui corporis statura, & altero pede claudus firmissimos quosque armorum vicit gloria? Non corporis, sed animi pulchritudo maximè laudatur in Principe. Educata naturæ monimentis effingitur ratio. per *Lupi imaginē terra se ingurgitantem.* Cum titulo. GLORIOSA DEFORMITAS. In honore enim apud Ro. habitus est Lupus: atq; ob id Romulus in maxima admiratione collocatus, quòd Lupæ esset alumnus. Nam ea bestia corporis, & deformitatem, & imbecillitatem recondita quadam corrigit virtute, & ita, vt eam sacram, & religiosam fecerint Deo rei bellicæ Marti. Non est igitur in Principe ea corporis deformitas, quæ animi virtute honesta, & laudabilis redditur, à bonorum laudatione nuda. Etenim corporis imbecillitas paruo Vlyssi eò magis gloriosa fuit: quò robustior vastus ille fuit Polyphemus. quid? vincit, vt loquitur imago, sapiens sine viribus. Etenim Lupi vestigia si Equa genens in vtero presserit, statim abortum facit: atque si quem ille prius viderit, illi è vestigio vocem adimit: inde omnium aures vulgato resonant prouerbio, Lupus est in fabula. quo artis colore, in imagine, terra se ingurgitans? est terra elementorum omnium non solum constantissima, sed etiam maximè amica: quippè quæ & nascentes excipit, & exceptos alit, ac demum tegit mortuos. Quorsum? ibi omnis corporis abest deformitas, aut imbecillitas: vbi amor adest. Graue est, & memoriæ æternitate dignum Luculli testimonium: qui in bello, quod contra Mithridatem gessit, maluit Cottam ab obsidione liberare, quàm vniuersum hostium Exercitum euertere.

Quòd

Quòd magni Reip. interſit, quo quis ex genere ſit in lucem editus. Elog. LXXIII.

DEmoſthenes ſemper ante Speculum, quaſi ante magiſtrum cauſſas meditabatur, ne orationis concinnitas ex ore prodiret deformato. ortum in humano genere, non ſolum ſpectabat ſobolis: ſed etiam ingenij, & virtutis. in hoc tamen Ægyptij, & Græci differunt, quòd hi primordia cuiusque, aut laudationis, aut vituperationis, ex eius ſumebant genere: illi verò mores nullos attingebant generis, eò quòd ſua quiſque virtute: nemo debeat commendari aliena. idque ſeuerius fortè, quàm par eſt. Nam apud eos lege permittebatur, in ius vocare mortuos, qui ſi conuincebantur malè vixiſſe: iudices ſententiam ferebant, qua cadauer proijciebatur, vt reſtincta bellua, quaſi ijs non debeatur ſepultura, à quibus procul exulauit hominis vita. omnes igitur ad bonos mores metu infamiæ, incendebantur virtutis ſtudio, quod omni iure erat potius. Nam leges in Rep. quanquàm piæ ſunt, & ſanctæ, omnes tamen ſine ciuium bonis moribus redduntur inutiles. Facit tamen ad rem bene naſci. itaque interrogatus aliquãdo Lycurgus cur cauiſſet legibus, vt nemo, niſi pręclaro aliquo facinore patrato vxorem duceret, ne ante quis fiat pater, reſpondit, quam vir bonus. Nam è Squilla, veteri prouerbio, non naſcitur Roſa. Quare ſtirps, & ſemen generis magna eſt Principi, vel ad virtutem, vel ad vitium acceſſio. eluceſcit argumenti ratio per *Scitis propaginem*. Cum dicto. NESCIT MORI. His inſignibus, atque inſulis intelligimus, nihil eſſe nobilitatem, niſi antiquam generis virtutem, quæ longa ſtirpis propagine reuiuiſcit continenter, in ſobole. itaque nihil eſt liberorum, aut virtus, niſi parentum gloria: aut vitium, niſi eorum infamia. alterum docuit Hercu-

les Iouis filius: alterum Aſcalaphus: Alecto: Thiſiphone. Megera, & omnis Acherontis ſoboles. Quare, ſi rectè attendimus, ita omnes, liberis relictis, de vita diſcedunt, vt quaſi non mortui videantur, ſed per liberos iuniores facti. ea quippè eſt generis propagatio, vt maiorum vita non cenſeatur reſtincta, ſed in poſteris renouata. Nec in fabulis detrahi oportet Poętis. Nam vt fabulæ lampades ſunt Muſarum, ita Muſæ lumen fundunt ſcientiarum omnium.

Quòd Res ſit difficilis, & operoſa, gubernacula tractare Imperij.
Elog. LXXIV.



QVare ex antiqua imagine, Cæcus claudi oculis: Claudus Cæci ingreſſu ſic vtitur, vt vnus quaſi fiat ex duobus? quia, vt vetus docet imago, nemo mortalium ſibi ſufficit. quid ſufficit? miſera eſt etiam hominum ſine Principe ſocietas. Solus autem Princeps gaudet ſolitudine, quia vnus inſtar eſt omnium. Nec alia de cauſſa olim Gryphes ſimulacrum conſtituebatur Principis: niſi quia ſola inter omnes animantes, corpus quadrupedis: caput habet alitis omniũque quaſi animalium ſimul vitam agit. Nec id inconſideratè. Nam Principi multo negotij plus eſt cum populo, quàm olim fuit Herculi cum Tauro. rei eius pictura non minus tenentur oculi: quàm aures voce doctrinæq; eius geſtiunt ſonitu. effingitur autem id omne per *Elephantem ſuis grunnitu fugatum*. Cum inſcriptione. FACILIVS MORI. Neſcit enim ſapientis virtus ſordes vitiorum, quibus fex gaudet mortalium, pati. ſentiunt id ex imagine oculi. Etſi enim Elephantes acies proſternunt, & armatos hoſtes proterunt: minimò tamen ſuis ſtridore territi ſolent terga hoſti dare. Quid? tam difficile eſt, vt quam difficillimum, & bonum ſe virum præſtare; & alienum ſimul

tole-

tolerare perperam factum, vt tolerandum est. Quare nescit imperare, qui non nouit secum colluctari, quique ad acerbissima quæque non obduruit patientia[8]. Nā populus, vt aliquando docuit Diocletianus Cæsar, bellua est non multorum, vt Hydra: sed omnium simul Capitum. Res est igitur non tam præclara, quàm operosa, & difficilis, populum vno rationis freno arcere, atque in officij Gyro retinere. interrogatus igitur ille Imperator cur in tanta operum difficultate, tam pauci existerent Achilles: quia respondit, nulli hac tempestate reperiuntur Chirones. Chiron enim Centaurus Achillis magister, icircò ex altera sui parte Equus: altera homo effingebatur, vt vtriusque iuris, & armati, & togati opifex censeretur esse, & Dominus. Non enim est Princeps, nisi qui nouit, & in prosperis fortunæ ventis, legibus arcere populum, ne labatur in luxuriam, & in aduersis casibus inclinatum erigere, atque perditum propè restituere Imperium. Nam illud acrioris est ingenij, & doctrinæ: hoc maioris virtutis, & industriæ.

Quòd in Principe prudentiæ decus publica sit vtilitas. Elog. L X X V.

QVò occultius est peccatum, eò magis ad nocendum est facile, & expeditum. Quare aliorum est, in fronte. Principis verò à tergo etiam oculos habere, quò possit reconditis malis occurrere. Fallit autem, qui, aut falsa tegit probabilitate: aut vera falsis sic opprimit, vt cùm non desinat mentiri, tum maximè quod res est videatur profiteri. Quocirca difficilè est dictu fœcundane, an facunda magis Principis sit prudentia. Nam eius dicto omnia auscultant: eiusque arte populi omnis fugatur inopia. Sententiæ huius vis, & natura suis insignibus, & pigmentis exprimitur per *Gry-*

phem thesauri custodem. Cum dicto. PLVSQVAM PARTA TVETVR. Multa enim sunt in virtutis: omnia in Imperij custodia. Res pro se loquitur. Nam in hoc pigmento, & simulacro, non solum forma, sed etiam veluti quædam facies est veritatis. Ales enim hæc in India nascens, atque apud Bactrianos aurum fodiens, & custodiens personam olet publicam, quæ sui immemor publicæ consulit vtilitati. Etsi enim ex auro sibi nidos contexit, propèq; accedentes inuadit, atque numerosas hominum turmas prosternit: auiditatem tamen magis videtur castigare hominum, quàm vtilitatem prohibere. Nam ea demum auri vis omnis, vltrò ab ea Alite relinquitur hominibus præda. Quid? ne temporum vetustas, in ea re commendanda habeatur hebetior, quàm præclarissimorum ingeniorum acies: quorsum quod Midas Rex Phrygiæ, quicquid attingebat, in aurum, vt est in fabulis, vertebatur? Nihil est Principis sapientia, nisi planè hebescimus, nisi Reip. quæ aurum, tanquam robur virium affectat, opulentia. Hæc enim Principis summa est gloria, vt alij omnes affluant bonis: ipse semper remaneat inanis. Mauult enim qui benè regit, Imperium ditare, quàm ipse ditescere. Etenim pecuniam cùm ministrat Imperio, vires, & neruos ministrat rerum agendarum. Nam ideò pecuniæ nunc opes dictæ sunt alio nomine, quòd labenti opem ferant Imperio: nunc facultates à facilitate, quòd omnia ex difficillimis reddant facillima: nunc demum diuitiæ, quasi à diuinitate sunt vocatæ, quòd beatum pareant Imperium.

Quòd beneficium hilariter datum ex minimo fiat maximum.
Elog. L X X V I.

QVoniam nemo vir bonus ab improbo vult ſe donari, plus eſt in acceptione largienti, quàm in donatione, accipienti honoris. Itaque olim, vt omnes ad virtutem excitarentur, nemini, apud Parthos, licebat Regem adire ſine munere. Nam acceptum munus, largienti teſtificationem virtutis: recuſatum notam afferebat criminis. At quia iam plura auferuntur, quàm afferuntur munera, quodnam beneficiorum omnium à Principe alijs fit gratiſſimum? quod certè apud viros bonos collocatur non petitum. pingitur id coloribus naturę, & artis penicillo per *Quercum Apros ſuis recreantem glandibus.* Cum inſcriptione. SVFFRAGIA NON EBLANDITA. Nam ſola arborum ſine manu, & opera mortalium, omnibus ferè prodeſt animantibus. quid? gratum eſt prodeſſe: gratius humaniter: vltrò verò gratiſſimum. dictitat id ratio. illud enim eſt vtile tantum: hoc etiam iucundum: vtrunque verò ſimul præſtat, qui alijs prodeſt non rogatus. Nam quò quis impenſius mortalibus benefacit, eò magis vim, & naturam attingit Dei immortalis.

Quòd Principis ſit omnia bona hoſtibus optare præter mentem: Ciuibus tantum Virtutem. *Elog.* *LXXVII.*

FAlsò in ærumna mortalium damnatur fortuna. cędit enim in rebus aduerſis fortuna virtuti; non virtus fortunæ. Hæc igitur non eſt calamitatis opifex: ſed animi vitium. Nam viris improbis ſecunda ēt fortuna redditur aduerſa. quid dicerem ignaris? rudes, & ignari oēs

ſunt inſani. vt enim ſcientia ſanitas: ita ignorantia mentis eſt inſania: nec magis quis ex corporis morbo ægrotus: quàm ex animi vitio vocatur inſanus. Quare nullus eſt homini capitalior hoſtis, quàm ipſe ſibi eſt homo ignarus. Nam cur in eo ſolum mala mens, malus animus? quia vt difficilè quis in eo errat, quod benè didicit: ita ſemper mali eſt appetens, qui bardus eſt, & ſtolidus. Quocirca non poteſt, neque domi, neque foris non à ſe lædi. Nam ei parum eſt decipi. grauius enim in armis ſemper punitur ignorantia, quàm ſceleris culpa. quid ita? quia errata in bello nulla inſtauratione: nulla corrigi poſſunt pœnitentia. Quantum contra proſit domi militiæque intelligentia: quantaq́ue in ea ſit vis ſuadendi, teſtimonij loco eſt Hegeſias, qui de morte ita diſſerebat, vt à Rege Ptolemæo ſit prohibitus de ea vlterius verba facere, quia multi ſibi mortem conſcirent. At cuius ſcientiæ laus eſt maxima? eius certè, quæ longiſſimè ab imperitorum intelligentia, ſenſuq́ue eſt diſiuncta. Nam hæc ſola, vt ſemper vſus comprobauit, arctiori, quàm Gordio, nodo veritati tenetur conſtricta. Qui igitur Princeps ciues admittit imperitos, Ciuitatem nanciſcitur non ciuibus: ſed hoſtibus refertam. Etenim qui minimè ſapit, ſuæ ſalutis eſt proditor: alienæ inſidiator. *Vidi id in Stragulo textili pictum, in quo Tygris iuxtà tympanum furore percitus ſe diſcerpit*. Cum inſcriptione. SVVM CVIQVE VITIVM. Ferunt enim Tygridem audito Tympani ſonitu ad tantam rapi inſaniam, vt ſeipſum laniet, & laceret. id autē eſt eiuſmodi, vt ad perditos, & diſſolutos homines poſſit transferri. Siquidem omnes ferè ſuo pereunt vitio. trita, & vulgata ſunt antiquitatis teſtimonia. Cur enim Annibalem facilè nuda vicit mulier, quem antè armatus vincere non potuerat Romanorū Exercitus? quia ſua quemq́ue magis, quàm vis aliena euertit culpa.

itaque potuit Iupiter, vt est in fabulis, Danaes pudicitiam oppugnare: auri expugnauit tantum cupiditas. Princeps igitur, qui apud Hostes, ignorantiæ spargit semina, vincit sedendo, quia illi suo se iugulant gladio.

Quòd vt homo Pisces, sic capiantur beneficio homines.
Elog. LXXVIII.

ARs quædam est munera, & largiendi, & capiendi. dare.n. improbo vnquam est non pestiferum. quia cùm ipse sibi hostis sit capitalis, quicquid habet in bonis, id omne in suã perniciem conuertit. Capere verò ab hoste semper turpe est, & exitiale. Nam in muneribus inimicorũ, morsus latet Aspidis, qui interimit sine dolore. Itaq; Cyneas cum ingentibus donis à Pyrrho Romam missus, ciuem nullum inuenit, cuius domus, illius muneribus pateret. Nihil autem auaris, & cupidis hominibus est aurũ, nisi lętale mulsum. interrogatus igitur Pyrrhus, quomodo contra hostes superiores esset pugnandum, non ferro respondit, sed auro. Siquidem non solum vincuntur, sed etiam vinciuntur beneficio homines: nec vlla re magis, quàm capiendo capitur hostis. elucescit id ex *Leonis imagine Lupum vorantis.* Cum inscriptione. NON AMPLIVS MEI IVRIS. Nam & Vulpes Gallo gallinaceo, & Vulpe Lupus, & Lupo Leo sic in pabulis delectatur, vt porrigentibus, feritate deposita, familiaris reddatur, & propè domesticus. Est hæc figura non obscuris liberalitatis lineamentis expressa. qua intelligimus, tum etiam multa dare Principem, cum exigua capit ab amicis. Hoc enim lucri largiendo facit largiens, vt qui capiat, iuris eius fiat, qui largitur. Testis est Philippus Macedonum Rex, qui hostiũ vrbes dando expilauit magis, quàm rapiendo. itaq; Græcorum sermone percrebuit, non à Philippo, à Philippi auro direptam

fuiſſe Græciam. Nihil quippè eſt non modo apud Amicos, ſed etiam apud inimicos omnes, auro ad perſuadendum valẽtius, quo loquente, & ius, & facultas dicendi omnis ranceſcit. Quare Alexander Magnus beneficentia magis, quàm ferro, & flamma, omnes propè orbis terrarum regiones ſibi ſubiecit. Quemadmodum enim ſi duæ hæ voces meum, & tuum ex ſocietate tolluntur hominum omne propè reſtinguatur diſcordiarũ incendium: ita ad omnium beneuolentiam nihil eſt Principis liberalitate accommodatius, quæ vix probatur, niſi careat fundo. Multi enim ſunt pauperes: non pauci opulenti: omnes verò auari, qui expleri, & ſatiari minimè poſſunt, qui ſic? quia ſolus mortalium hydropicus eſt animus, qui pecuniam cùm ſitit, eius ſitis, qua exardeſcit, non expletur, ſed irritatur pecunia.

Quòd quæ vera ſit pulchritudo, à nullis, niſi à pulchris poſsit recognoſci. Elog. LXXIX.

VVlgò valent veriſimilia plus, quàm vera. Nam qui rudis eſt, eius animus ijs offunditur tenebris, vt minimè poſſit cernere verum. Res eſt igitur homini miſera inſcitia, qua neque auribus poteſt fidem habere, neq; oculis. illis, quia tantum, aiunt, diſtat mendacium à veritate, quantum aurium ſenſus à iudicio oculorum: his, quoniã ſenſum non habet pulchritudinis, cùm illa potiſſimum amet, quæ ſunt turpia. Sapiens igitur ſit oportet, qui elegans eſt ſpectator formarum. Nam imperitiſſimus quiſque, neq; doctrinę odorem, neq; virtutis guſtum vllum ſentit, quia beſtiæ naturã maximè attingit: quæ nunquam odorum gaudet ſuauitate: ſemper à palati abhorret condimento. Argumenti effigies, ſimulacrumq; conſtituitur, per *Aſinum Lilijs, & Roſis circonuolutus.*

Cum

Cum dicto. NON HEBES SENSVS, SED NVLLVS. Asinus.n.nec odoris,ad suauitatem: nec pulchritudinis ad amorem, vllum habet sensum. Non est genus doctrinæ in hac imagine, tortuosum, aut mancum,vel imperfectum. Nā sicuti neque intelligens,nisi ab intelligente: neq; vir probus, nisi à viro probo potest recognosci:ita nemo de aliena pulchritudine potest iudicare,qui expers est pulchritudinis:Quæ autem vera est pulchritudo, cernitur non luce Solis:sed Lucerna Diogenis.altera.n.pulcher videtur diues:altera cōtinens. ılle multa, in egestate:hic in rerum copia,nihil habet.alter est in opulentia,pauper:alter in paupertate diues.Itaque inuidere Alexander potuit Diogeni:nō potuit Diogenes Alexandro. Nam alter ab opibus nudus, rebus vniuersis abundabat, quia nihil appetebat: alter abundans,semper inops extitit,quia viro cupido nimium sæpè esse potest: nunquam,nisi cupiditate sublata, satis.

Quòd Principis sit non solum iustè, sed etiam humaniter regere.
Elog. L X X X.

LOngo sibi inter se interuallo dissident dominatio,& Principatus. illa enim seruis: hic liberis tantum imperat: illa priuata: hic publica vtilitate definit Imperium: illa iustè,hic etiam humaniter tractari debet. Quare nihil Principi maiorem gratiam conciliat, quàm ipsa popularitas: quam Cæsar Augustus, vt aucuparetur, ludos nō solum populo edebat publicos, sed etiam ludis ipsis intererat, auram captans populi. Nemo enim periculum imperandi euadit, nisi qui vias omnes nouit humanitatis. Nec satis est,vt Principis iustitia sit ab omni offensione disiuncta, nisi etiam plurimo industriæ, & facilitatis comitatu teneatur stipata. Id in pictis, fictis, cælatisque formis per *Hirundinem*

exprimitur ab Accipitre appetitum. Cum dicto. SINE PRAEDA. Muta nobis in virtute blandimenta natura genuit. quid dicerem documenta? est etiam in bestijs, veluti quædam adhortatio solertiæ, & sedulitatis. Hirundo enim sola alitum, quia in gyrum torquet, sinuososq; suos facit volatus, Carniuoras omnes fallit aues, nec earum rapinis fit obnoxia. quid? quadrat id in eos maximè ad gubernacula Imperij admoti, homines sunt omnium horarum. Nam qui omnes vias doctrinæ nouit, is in periculi flammam detrusus, facilè euolat. quid euolat? imò periculi incendia omnia, ipso hostium restinguit sanguine. Nec obscura sunt de Principum comitate, in augendo Imperio, testimonia: quorum ab infinitate, vt recedam, nulla res magis, vel Alexandrum Magnum: vel Scipionem Africanum, aut Dictatorem Cæsarem, aut Pompeum Magnum ad summa honorum fastigia euexit, quàm ingenium, morumq; facilitas. Quẽadmodum enim stomachosus, & efferuescens facilè ex amicis inimicos: ita qui facilis est, & mansuetus, ex inimicis conciliat amicos. Nam alter inhonesta crepans, ea foras eructat, & proijcit, quæ abhorrent ab aurium, & oculorum comprobatione: alter eam fundit orationem, vt nihil sit tam suaue, quod in humanitatis eius, veluti quodam diuersorio, non sit fas regustare. iure igitur laudatur C. Cæsar, qui ne in prauos animaduerteret, gloriari solet nullius rei se magis obliuisci, quàm iniuriæ sibi illatæ. Atqui cùm iustitia æquè contineatur præmio, & pœna, cur magis laudatur clemens, & munificus Princeps, quàm acerbus, & seuerus? quia virtutes magis sunt remunerandæ, quàm vitia punienda. Sola enim misericordia virtus est Principis, simulq; Dei immortalis. Quare Alexander Magnus, sicuti in primo belli ingressu erat terribilis, sic parta victoria, extitit semper clementissimus. itaque cùm vidisset Darium à proprijs famulis interentum grauiter ingemuit, & Bessum illius percussorem

crudeli ſupplicio affecit: Darij quoque corpus dempta ſibi regia Chlamyde, qua tunc indutus erat, ornauit, atq; ad illius matrem perferri iuſſit.

Quòd Cardo Imperij ipſa ſit Religio. Elog. LXXXI.

QVoniam Deus regit omnia, non poteſt antè Princeps regere, quàm videatur Dei partes ſibi aſciſcere: quod ſi religiosè facit, nihil eſt, quòd populus poſſit timere mali, aut potius non ſperare boni. Nam religio in Principe ars eſt non ſolum orandi, ſed etiam exorandi, quod vult à Deo. Genium Poëtæ omnes dicunt Deum illum, in cuius tutela, vt quiſq; natus eſt, viuit: Heroem verò, quem Principem nunc appellamus, terrenum Numen, cuius conſilium diuinæ, humanæque virtutis eſt ſacrarium. Agamemnon igitur apud Homerum, interroganti, qua in re ſummum conſiſteret Imperij monimentum: in religione reſpondit, Principis. Nam qui cadit à religione, ruit non ſolum ab Imperio: ſed etiam ab omni dignitatis gradu: qui contra incolumem retinet religionem, incolumitatem cenſetur parere: partam augere, ac denique auctam defendere Imperij. Inſignia igitur, & lumina Religionis figurantur per *Pauonem aduerſo Sole ſuos colores in gyrũ expandentem*, Cum verbis. NON CORVSCAT IN TENEBRIS. Quæ virtutes ſunt imperandi, illæ omnes illuſtrandæ ſunt veluti quodam religionis Sole, qui ſi tollatur, nullus color apparet, in Imperio, virtutis. Qui geſtit reconditam Symbolorum diſciplinam tenere, neque hiſtorias animalium debet negligere: neque poteſt exemplorum teſtimonia in memoria nõ habere. Quid? gloriæ ſuæ anſam rapit de Cœlo Pauo: Princeps religioſus omnem Imperij felicitatem. Non exangue, & aridũ eſt Homeri teſtimonium. Nam cur apud eum Ciuitas in qua

erat Palladium, nulla vi hostium expugnari poterat? nihil est Palladium, si superstitioni veterum credimus, nisi religio: quacum semper crescit, & decrescit Imperium. Meritò igitur Cyro Regi Religionem commendauit maximè pater. Siquidem nihil, nisi Deo auspice; à quo rerum, & fundamenta, & firmamenta sunt petenda, vt res, tempusque postulat, procedit.

Quòd cum rerum difficultate crescat Principis gloria.
Elog. L X X X I I.

HOnor non est dignitatis præmium, sed virtutis. Dignitas enim sine virtute, sæpè redditur ignominiosa, nunquàm virtus sine dignitate, non est gloriosa. Quare palatum magis, quàm ingenium habet eruditum, qui in otio gustum maiorem voluptatis haurit ex muneris dignitate, quàm ex dignitatis onere, & virtute. Nam cur Principi debetur honor? non quia sceptrum gestat: sed quoniam onus sustinet Atlanticum. Nam laboris, & studij virtus, virtutis, & doctrinæ honor est patrimonium. Qui igitur Principi publicæ salutis parenti non habet honorem, facit impiè, remque quasi fur retinet alienam. Etenim non paucos doctrina: multos virtus, omnes honores in Principe sibi vendicat disciplina militaris, Aspersa pigmenta virtutis bellicæ laudibus, in regijs tabulis efferuntur, in quibus cernitur *Statera, cuius altera pars districti mucronis deprimitur onere: altera attollitur Codicis leuitate.* Cum titulo. PONDEROSIVS IVS SPARTANVM. ius enim scriptum corrigitur iure non scripto. alteri igitur imperat: alterius imperata facit Princeps. Nam si æquitati non paret, è Principe fit Tyrannus. Hùc accedit, quòd belli ius non orationis sale: sed quasi quodam

exem-

exemplorum Solè est condiendum. Itaque Alexander Macedonum Rex cùm animaduerteret milites aliquando itineris asperitatem iniquo animo ferre: is eos nullis excitauit verborum aculeis: sed rei difficultatem dissimulando primus Equo desilijt, atque quò eos ad iter Niue horridum superandum animaret, pedes per niuem, & concretam glaciem ingrediens viam aperire cæpit: erubuerunt eum non sequi primum amici: deinde copiarum duces, ac demum vniuersi milites. Sic vltrò omnes humanitate victi Alexandro paruerunt, cuius antè grauiter, & acerbè ferebant Imperium. Est igitur Principi decorum in omni fortuna seruandum, vt neque in secunda effœminati: neque in aduersa fracti, & remissi videatur esse animi: sed in vtraque modum eum tenere, vt semper iustè imperet, nunquam non humaniter.

Quòd Principis dignitas clementia maximè sit depascenda.

Elog. LXXXIII.

NVlla re Princeps Imperium pluribus cumulabit beneficijs, quàm si se præstabit Principem, hoc est Dei vices gerentem. Est autem mitis Deus, mitem igitur decet esse Principem, & clementem. Neque enim ex Imperio delinquentes, sed delicta sunt auferenda. Nam cur Principi est gloriosius virum vnum bonum seruare, quàm Exercitum perdere hostium? quoniam neque creatus est Princeps, vt lædat, sed vt iuuet: neque virtus par est vindictæ cum clementia, quando facilius sit destruere, quàm instruere. Persæ igitur cùm supplicium de viro nobili erant sumpturi, vestes ei detrahebant, easque suspensas pro reo, verberabant.

Lau-

Laudabant enim vindictam eam, quæ improborum mores corrigeret, corpus non læderet: eosq; instrueret, non perderet. Nã illud semper est clementiæ: hoc sæpè crudelitatis, quam Principis est non minus cauere, quàm illam appetere. in pigmentis, nec flos, nec color deest argumenti, per *Simiam in radicibus arboris ocreis indutam*. Cum dicto. NON SINE VENIA. Nam cum Venatores Vrsos, Lupos, Tigresq; interimant: Simijs tamen, quæ bestiarum omniũ sunt flagitiosissimæ, parcunt: quia solum humanas imitatur operationes. Habet enim, vel vmbra virtutis, ad veniam ponderis plus, quàm graue interdũ ad vindictam, scelus. Cauet imago ne inhumanius quiddam aduersus humanos concipiatur. Simiæ quippè, quia imitari conantur quicquid vident fieri ab homine, solent Venatores, Simijs de Arborum sublimi spectantibus, ocreis se, & calligis induere, eoque ibi calceamenti genere relicto recessum simulare. Nam dum idem facere moliuntur, eo impeditæ magis, quàm indutę, cùm nequeant in arbores se proripere, nullo negotio capiuntur: quæ mox feritatis oblitæ, non sine festiuitate humana machinantur attrectare. iure igitur ex hoc monimento laudatur Principis clementia. Nam si culpa omnis esset expiãda, ne Principes quidem ipsi essent ferendi. Siquidem nemo adhuc post homines natos est inuentus, cui nihil deesset, habereturq; omni ex parte perfectus. Etenim notatur C. Cæsar ambitionis: Alexander temulentiæ: Pyrrhus iracundiæ: Annibal perfidiæ: Fabius tarditatis: Marcellus mentis inconsideratæ. Quid multa? neminem adhuc vlla habuit ætas, qui omnibus horis saperet. huc accedit, quod qui Princeps clemens est, neque lædere, neque lædi nouit. cur nescit lædere? quia est iniuriæ: parcere verò lædentibus, virtutis. Etenim iccircò Pręces ex Iouis semine, vt est apud Orpheum, censentur esse natæ: vt non habeatur Iouis amicus, qui miserorum non succumbat pręcibus. At cur neque

que lædi nouitur; quoniam, ſi iniuria non fit niſi inuito, mitis cùm ſit, & manſuetus, crimen iniuriæ tollit ferendo iniuriam. itaque C. Cæſar nullo belli diſcrimine, adeò vlciſci viſus eſt, à Pompeio illata: quàm omni pietate remittere acceptam, cùm Pompei ſtatuas iuſſit reparare diſiectas.

Quòd triplici virtute maximè ſuſtentandum ſit Imperium.
Elog. LXXXIV.

ETſi in Platonis Rep. vita contemplandi: in Ariſtotelis, agendi: in illiusque finis Deus: in huius, terminus conſtituitur homo: in vtraque tamen, quia Princeps vim obtinet numinis, ſemper trium virtutum oportet ſe coloret, & corroboret aliqua: aut potentia, aut clementia, aut ſapientia. nulla enim clude ſtirps, & ſemen magis exareſcit Imperij, quàm earum virtutum deſiderio, & ſiccitate. Argumenti huius color venuſtate diffuſus, non fuco illitus cernitur per *Delphinum in litore morientem*. Cum verbo. IN ALTO VITA. Nam ſolus Piſcium ſtatim terra tacta moritur. Quid? ſublimes illæ regiæ, & diuinæ virtutes, niſi attingant ſapientiæ Apicem, ſtare non poſſunt. Non eſt tortuoſum doctrinæ genus. Imago enim fidem fluxam minimè gerit: ſed apertã oſtendit, & perſpicuam. Natura enim Delphis hominẽ amat: Muſica mulcetur: nullumq; in Mari eſt animal, quod non vincat nandi celeritate. in primo Clementiæ: in altero ſapientiæ: in vltimo potentiæ veluti quædam eſt adumbratio, quarũ omnium virtutum adminiculis in Cœlum effertur Imperium. Nõ mollis, & lubrica eſt veterum ratio. Nam cur inter Antiquos legumlatores alij ab alijs Dijs fingebãt ſe ſuas leges accepiſſe? q̃a alius alia, in tractandis Imperij habenis, magis oblectatus eſt virtute. Itaq; Minos à Ioue, cui tribuitur Clementia: Zuleucus à Mi-

à Minerua, cui desponsa est Sapiētia: Lycurgus ab Apolline, qui in terris est potentissimus, iccircò fassus est leges suas accepisse, vt intelligerent mortales nullas leges ratas esse oportere, nisi q̄ vim, & naturam obtinent iuris, & iustitiæ, vel potius Numinis.

Quòd Principis studio difficillima vincantur omnia.
Elog. LXXXV.

QVemadmodum Brasidas vir magnanimus eadem hasta, q̃ ex accepto vulnere eduxerat, hostem interemit: ita nemo Princeps fortis est, qui hostium vim, & impetum non retorqueat in hostes. quid hostium vim? imò temporum. Nam solertia Principis non solum difficultatis in Imperio, sed etiam deficientis temporis est medicina. qua de re iam raucus antiquitatis rumor omninò Orphei Lyra est suauior; Etenim non solum satietatem aurium vincit quadam iucunditate, sed etiam sitim quandam, & auiditatem irritat sæpius auditus. Hoc vno erudita est Principis industria, quæ omnes absorbet rerum asperitates. Imago effingitur per *Gruem altero pede stantem: altero Lapillum gestantem*. Cum titulo. VIRTVTI CEDVNT. Nulla enim est animantibus, aut in labore, defatigationis, aut in defatigatione somni necessitas, quā Ales ea non superat singulari quadam naturæ præstantia. Contemnit.n.omnes in volatu labores, quia sensum nullum habet defatigationis. Itaq; difficillima quæq; paruis, & abiectis exæquat viribus, vel potius superat. Phalangem præterea per longinquas, & desertas regiones ducens, noctes diesque trahit insomnes quietem in terris captat. Lapillum altero pede tenens, quo ex eius lapsu somni occurrat necessitati. Quorsum? veram is salutis publicæ insistet viam, qui eam virtutis calcat vestigijs, quæ nescit, nisi cum solertia quiescere. Sic Iulius Cæsar, consumptis in re bellica diebus, noctes ad tripertita diuidebat officia: quorum vnum quieti,

ti, alterum consilij capiendi deliberationi: vltimum rei literariæ tribuebat lucubrationi. Nam amans virtutis, vt trito fertur sermone prouerbio, vix quantum Luscina dormit.

Quòd Princeps auctor, & opifex sit publicæ felicitatis.
Elog. LXXXVI.

NIhil est Personam Principis sustinere, nisi felicitatis se antistitem præbere, atq; orbæ virtutis superstitẽ, quod qui facit, eum se Ducem præstat, quem qui sequuntur vbicunq; pedem imponunt, expressa vestigia relinquũt suæ probitatis. Neq; si quæ datur, in hoc vitæ curriculo felicitas, ea est, quæ vulgo videtur, vt pauperi pecunia: ægroto sanitas: sed hoĩs perfectio, quæ est iustè operari, & doctè sentire. Perfectio autẽ cupiditatis est temperantia: voluntatis iustitia: prudentia mentis: fortitudo partis irascendi: atq; vt vno verbo dicam, sola absolutio hominis est sapientia, vt summa calamitas ignorantia. Duplex igitur est officium Principis, vnũ ne viri boni de via deflectant, alterum, vt improbi in viam redeant. Doctrinæ dignitas festiuo colore pingitur imaginis, quæ hæc est *Gryphes pedem vnum humi tenens, alterum erectũ alasque geminas in Cœlum attollens*. Cum titulo. EX VTROQVE IMPERIVM. Magna quippè, vt ipsa etiam in silentio loquitur figura, est imperantis felicitas, qui dum in Cœlum tendit, terram non negligit. fuit olim apud Romanos Gryphes monimentum Imperij. Constat enim ex ceruice Aquilæ, quæ ales, & Iouis, & corpore Leonis, qui gloriam adumbrat Herculis: quorum alteri diuina, alteri humana virtus tribuitur. Est igitur in hac imagine verus, non adulterinus regiæ virtutis color, naturæ pigmentis collustratus. Hac enim admonemur esse Principis, neque terram dum Cœlo incumbit: neque

Cœlum,

Cœlum, dum terræ inuigilat, deserere. Nihil igitur populo à rectoribus præter virtutem est affectandum. Nam eorum est, vt ait Socrates apud Platonem, ciues suos ad felicitatem perducere, ad quã nullus patet, nisi qui virtute aperitur aditus. Siquidem haud quicquam aliud est virtus, quàm Clypeus Achillis, qui à Vulcano fabricatus, nec ferro penetrari: nec dolo eripi potuerat. Nec enim multa possidere: sed non capere felicitas est. Nam locuples potest esse miser: non potest temperans rebus etiam destitutus non esse beatus.

Quòd vera Principis figura, eius sit oratio. Elog. LXXXVII.


Rtem is habet suadendi, qui moribus potius, quàm verbis fidem facit. Nam qui benè loquitur, nec rectè viuit similis est, vt inquit Diogenes, Citharæ, quæ consonat audientibus: ipsa verò nec sentiat quicquam, nec audiat. argumentum igitur in Principe ingenij, & doctrinæ, est verbis rebus proximis vti. Nam remota verba officiunt audientibus, quia rebus tenebras offundunt: dicentibus non prosunt, quoniam inscitam, ingenijque stuporem declarant. Magna igitur est Principis, si apposité dicat, commendatio. Nam oratio mentis est pictura: ingenij color, & animi imago. itaque quantum sit salis in Principe, non ex eo, quod cogitat, sed ex eo, quod dicit, penditur. elegans id præ se fert hæc imago. *Psytacus rostro ex Roboris ramo pendulus.* Cum verbis. NE DE SVBLIMI CADAM. Dum enim volant Psytaci, rostro se in arbores excipiunt, cui tantisper dum se colligunt, innituntur. Admonet imago Imperij incolumitatem ex ore, & sermone potissimum pendere Principis. Etenim faustum, felixque iuris propugnaculum in eius eloquentia est fundatum. Testis est Iulianus Cæsar. Nam Delphidius Orator cùm aliquando Numerium Nar-

bonensis Prouinciæ paulò antè Præsidem repetundarum accusaret, isque documentorum inopia, in ipso cursu orationis deficeret, exclamauit, optime Cæsar, ecquis nocens esse poterit vspiam, si negare satis fuerit? tùm scitè Iulianus inquit, Ecquis innocens fuerit, si accusasse tantum satis erit? hoc vno dicto, & innocentem virum seruauit, & petulantem simul nabulum repressit. Quare ne verbum quidem à Principe exire debet non graue, & plenum ponderis. Nam cum iubere sit parentis: præcipere Magistri: imperare Domini, quorum omnium personã sustinet Princeps, eius ea debet esse oratio, quæ, & suauitate delectet, & eruditione instruat, ac denique grauitate moueat. Nã Dei cùm sit discipulus, eius quasi quadam diuinitate instructa debet esse oratio: meliusque ipse loqui debet, quàm in Scholis perpolitus homo.

Quòd Armato, & Togato iure tanquam sacris duabus Anchoris teneatur Imperium. Elog. LXXXVIII.

NIhil doctrinæ aura de Principe afflatum est, quod non fas sit consilio eius acceptum referre. Nam cur Socrates semper in Dialogis Platonis, cùm omnium sit sapientissimus, studet quærere: nunquam docere? vt certè intelligamus consilium iudicij esse domicilium, quod qui nouit tenere, non potest altero carere. Duæ quippè sunt in Principe potissimum facultates: vis, & consilium. altero enim suadet: altera cogit: vtroque si floret feliciter Imperium exercet. Nam quod ius non potest amicè impetrare: id cogitur Princeps populis hostiliter extorquere. elegans ad rem facit hoc insigne. *Currus ab Apro, & Leone, eodem iugo actus.* Cum titulo. FIDE, ET ROBORE. Fidem enim adumbrat Aper: Leo vim, & robur. Siquidem neque ille scit in periculis, socium desere-

re: neque hic hoſti cedere impetum facienti. Quemadmodum enim maluæ ſucco aſperſus, neque Apum, neque Scorpionum aculeis, nec Aranearum morſibus lædi poteſt: ita Princeps ab omni offenſione eſt immunis, qui perſonam modo teneat Principis. Nam iccircò fortis à ferendo dictus eſt, quòd mala ferens fortiter, ex malis referat, quæ ſunt optima. itaque Romani, vt exploratam ſpem in armato Principe docerent eſſe victoriæ, eum Imperatorem vocabant, tanquam impiorum perditorem. Quanquam tamen fortem, & prudentem ſimul aliquem reperire eſt difficile, quia vtriuſque cauſſæ ſunt contrariæ. At quoniam virtus Principis non ſingularis eſt aliqua, ſed omnis virtus, ei neque in prudentia deerat robur fortitudinis: neque in fortitudine lumen prudentiæ.

Quòd nulla Securis capitalior infligi poſſit Imperio, quàm neglecto Obſequio. Elog. LXXXIX.

IVſtitiæ nomine æque Obſequium continetur, atque Imperium. Quoniam igitur Princeps eſt iuſtitia ſpirans, qui non paret Principi, euertit Principem. quæ res in Imperio maximè nefaria eſt, & conſcelerata. Nam vbi eſt Princeps, ibi, vt ait Euripides, Deus eſt in humano corpore hoſpes. Quoniam verò nemo ſcit obedire, niſi vir bonus, Principis eſt Virtutem ſerere, quam qui habet, non ſolum obtemperans redditur rationi, ſed etiam, & diues, & liber. quare diues? quia neſcit egere, qui nihil cupit, vel potius, quia ſolus diues eſt, qui vt volunt Stoici, nouit Cœlo, & terra vti. Cur liber? quia in peccato nullus eſt libertati, in quo conſiſtat locus. nihil enim eſt peccare, niſi improbiſſimæ Dominæ cupiditati ſeruire: quod qui facit, neque velle, neq; nolle videtur habere, quia voluntas appetitus eſt rationis. Seruus

ne igitur? certè quidem. quia nihil eſt libertas, niſi faciendi id, quod velis, poteſtas. Quis igitur eſt Princeps? non rex, non parens, non rector: ſed numen bonorum omnium. id olim cùm ſentirent Perſæ, Reges omnes ſuos pro Deo adorabant. quia nefas eſt non parere Principi. Adumbrata naturæ: illuſtrata doctrinæ penicillo exprimitur imago. per *Aquilæ Pullos Solem aduerſum ſuſtinentes*. Cum dicto. NVLLA IMPERII VIS SINE OBSEQVIO. Nam Pulli, ſi reſpuant oculis ſuſtinere ſplendorem Solis, negligantq́ue parentis Imperium, tanquam degeneres exterminantur à parente, & adulterini. Quid ita? quia nihil eſt obedientiæ ignorantia, niſi malorum omnium ars, & doctrina. Quare obediendi negligentiam, tanquam Peſtem capitalem, vt caueret Antiquitas, omnes ferè ſuos Principes fecit ex Ioue natos. ex quorum ſententia nemo non ſentit, eos, qui Principi non obtemperant, non tam iura deſerere, & humana, & diuina; quàm omnia ſimul vulnerare. Septem enim perſonæ, Ariſtotele teſte, natura alijs imperant, quæ hæ ſunt, Pater liberis: Nobilis ſordido: Senex Iuueni: Dominus ſeruo: Potens imbecilli: Prudens ignaro: ac denique vir bonus improbo, quorum ſimul omnium ius in vno ſolum reſidet Principe. Habet enim Princeps amorem erga Populum parentis: Splendorem nobilitatis: Senis experientiam: Domini auctoritatem: Superioris potentiam: Prudentis conſilium: ac denique ad Imperij ius, probitatis teſtificationem. Hæ res omnes erga Principem neglectæ, non negligentiæ culpam: ſed crimen concipiunt iniqui, & nefarij ſceleris.

Quòd impurus, & Auarus Princeps alijs sit grauis sibi verò perniciososus. Elog. XC.

NEque munus est gratius, quàm quod datur non petitum: neque iniuria acerbior, quàm quæ pro beneficio, redditur. Alterum auertit auaritia: alteram accersit libido: quæ duæ Pestes magna euertunt Imperia. Auaritiæ enim crimen multitudinis odium in Principem excitat: Libidinis turpitudo subitam etiam vltionem inuitat. Nullum insigne flagitij: nullum monimentum cupiditatis magis elucescit, quàm quod per *Currucam aliena Oua fouentem effingitur*. Cum titulo. FLAGITIO TVRPIOR MINISTER. Libidinosus, & impurus Princeps cùm ex hominibus Currucas affectet facere, æqua lance studet eum homines infra mortuos amandare. quid inquam homines? imò virtus ipsa, & ratio. Nam Aiax Oilei filius, qui sic exarsit Cassandræ amore, vt eam, in templo Palladis, atque in ore, & oculis Priami patris, oppresserit, ictus est in mari, de Cœlo, Dea iuiuriam vlciscente. Neque auaritiæ crimen cedit libidini. Testis est Achæus Lydiæ: Meoniæque Rex, qui propter cupiditatis sitim, & auaritiæ crimen nefarium, à populo regia incensa est trucidatus, eiusque cadauer magno cum infamiæ dedecore in flumen Pactolum, sepulchri loco, præcipitatum. Nihil enim magis flagitiosum est Principi, quàm multos pecuniarum aceruos cogere. Nam cùm ei nihil potest desse, eius est liberaliter pecunias erogare: non turpiter, & sordidè hinc indè exigere. Populus enim Principis auaritia oppressus, in quouis Statu Reip. non tantum ignominiam, sed etiam exitium Reipubl. accersit. Nec Principi auaritiæ solum cauenda est suspicio: sed etiam aura quædam gloriæ affectanda est ex liberalirate. in qua, si antiquos consulimus, non tam munus laudatur, quàm genus muneris. Etenim

cur

cur apud Reges Persarum, in more erat positum, vt obuijs mulieribus aurum dono darent: viris autem sagittas, & iacula? vt certè accipientes magis erudirent suo munere, quàm locupletarent: docerentq; fœminis frugalitatem: viris rem militarem curæ esse debere.

Quòd Auiditas Principis, non sit egestas pecuniæ, sed mentis.
Elog. X C I.

NOn amat pecuniam auarus, cùm amor sit desideriũ boni: pecunia autem auaro non sit bona. aliud est amare, aliud insanire semper insanus, nunquàm non egens est auarus. cur insanus? quia nec se, nec sua, sed aliena curat. quare nunquam non egens? quia ei fortuna nimium potest dare, satis non potest: nulliq; est bonus, sibi autem pessimus. Quoniam hic animi morbus non solum nascitur ex consilij inopia, sed etiam iniuriam parit iudicij, nihil est Principi, qui de rebus futuris deliberat, & de præteritis iudicat eo periculosius: nihil continentia ad felicitatem accommodatius. indicium, & insigne constituitur per *Piscem Cœphalum suo mucore vescentem*. Cũ dicto. SIBI SVFFICIT. Qui enim est continens, vt patet hoc naturæ testimonio citra rerum omnium copiam, sibi satis est. Itaq; Alexander Magnus regiàs opes non pecunia definiebat, sed beneficentia, sine qua inutiles omnes redduntur Gazæ regiæ. Nec vllus ex Isocratis sententia, præclarior est thesaurus, quàm beneficium apud bonos viros collocatum. ita Fabius ille, qui cunctando, Romanis restituit rem, laudatur. Hic enim captiuos ab Annibale milites, cum Senatus negaret se redempturum, fundum vendidit, vt id solus præstaret, quod tota Ciuitas præstare refugeret.

Quòd Princeps iracundus, nec regere nouit, nec regi.

Elog. XCII.



Nihil minus est Principis, quàm irasci. Nam ira percitus non solum ab Imperio cadit rationis: sed etiam à ratione, & oratione. aliud enim est loqui, aliud inhonesta crepare. Quia autem doctrina omnis artiũ habenis est moderanda, effingitur id suis insignibus per *Bubalum, in cuius Naribus annulus ferreus sit iniectus, atrocia fumantem.* Cum titulo. INTRACTABILIOR. Iram figurat, qua nihil est indomitum magis, & intractabile. Hæc enim bestia ea fertur, duciturq; immanitate, vt iugum non recipiat, nisi naribus eius circulus inijciatur, cuius adminiculo quaqua versus circumagitur. cur fumans naribus? quia fumus incendio est finitimus. Qui autem iracundia exardescit, ad nullam rem aliam est idoneus, quàm ad violandum ius. Quoniam igitur Princeps legis vim, & naturã obtinet, quæ nescit irasci, Principis est ira minimè commoueri. quid commoueri? imò ne mutari quidẽ. Constans enim est lex, & firma, omninoq; immutabilis, quòd si mutatur, est, vt inquit Plato in Minoe, institutio, non lex. Quid? vt Medicus ex veneno medicinam capit veneni: ita qui prudẽs est, ex aliena iracundia ansam capit mansuetudinis. Itaque Socrates Alcibiadi miranti, quòd Xantippen ad res omnes acrẽ, & acerbam, quæ nunquam in virum dentes non exacueret, pateretur, id domi fero dixit, vt foris ad iniuriam ferendam, callum meo obducam stomacho. Præclara sunt antiquitatis documenta. Etsi enim nihil est ingrati animi crimine, neque infamius, neque nocentius ex eo tamen, vt scribit Polybius, veteres legumlatores initium traxerunt iuris scripti, quo nihil est, neque gloriosius, neque vtilius. Atque vt ad rem redeam, cur

Prin-

Principis eſt minimè iraſci ? quia iracũdus Princeps, neq; alios ferre: neque ab alijs ferri poteſt. Nam quæ in alijs eſt iracundia, in Principe damnatur pro ſuperbia, qua qui effertur cùm non pareat ſuperioribus: contemnat inferiores: nec ferat pares, nullo modo tolerari poteſt.

Quòd duo ſint grauiſſimi Imperij conſules, Spes, & Metus.

Elog. X C I I I.

PArum, fateor, apud Principem, & Spes, & Metus habet ponderis. alterum, quia eſt viri boni non ſpem, ſed officiũ ſequi. Nam cùm nulla virtus eſſe poteſt, niſi gratuita, quæ cupiditate quaſi mercede aliqua ad officium impellitur, ea non naturam, ſed fucum habet virtutis. alterum quoniam nihil eſt in malis, quod timeat vir bonus: quando virtus ſit omne bonum. id qui non ſentit, neſcit quantas vires virtus habeat, nomenq; tantum vſurpat virtutis, quid ipſa virtus valeat, minimè intelligit. Quoniam tamen ſtolidi eſt hominis, aut ne hominis quidem nullum, aut laudis, aut vituperationis ſenſum habere, eſt boni Principis populum ad honeſta, ſpe impellere: à contrarijs metu reuocare. Etenim virtuti gloria: peccato infamia iure, & legibus deſponſa eſt, & deſtinata. effingitur id *Per ferrum geminum, hinc inde aduerſus ſe diſtrictum*. Cum dicto. INTER SPEM, ET METVM. Ferrum enim terrorem ignauis: Spem fortibus parit. Hæret in vado, nec guſtum habet doctrinæ, qui vel artis, vel naturæ commenta non intelligit, vt ferrum dictum eſt à ferendo, quòd in periculis feratur ad præſidium ſalutis, & vitæ: ita duo potiſſimum ſunt affectus, quibus feruntur, ducunturque mortales, Spes, & Metus. At altera boni viri:

altero improbi magis excitantur. vbi enim ſpecimen quoddã eſt virtutis, ibi ſpes gloriæ habet ponderis plus, quàm metus periculi. Sic Cleanthes Philoſophus cognita animarum immortalitate, vitam ſpontè reliquit, voluntariamq́; mortem oppetijt. Acres igitur ſunt ad ſubeunda aduerſa omnia, honoris, & gloriæ ſtimuli. Itaq, Themiſtocles iacentẽ hoſtem armis præſtantiſſimis indutum non exuit: ſed exuendum ſequenti militi reliquit. Non verbis: ſed re ipſa ſignificans virtutẽ ſpe eſſe depaſcendam: non adulterina tamen, ſed ingenua. Nam cur multos ſpes fallit? quia pauci norunt ſperare, cùm ars ſperandi non ſit in opinione, ſed in rerum cognitione poſita. Nam in illa, temeritas in hac ſpes tantum habitat.

Quòd non alieno Princeps: ſed alij, Principis niti debeant conſilio.
Elog. X C I V.

QVia fallere eſt peruerſi: falli ſtupidi hominis, vtrique occurrendum eſt conſilio. Nam vt ſcientia errores, ſic fraudes omnes tollit conſilium. illa res eſt non ſolum difficilis, ſed etiam rara. vetus eſt Pythagoreolum ratio, qui dicebant malum infinitum eſſe: bonum verò finitum: in altero errare eſſe facile, & expeditũ: in altero arduũ, & difficilè metam attingere. Conſilium verò non tantum ignorantiæ tenebras, ſed etiam occultas fraudis ſuo ſplendore vincit inſidias. Nã cur Vulpes Æſopica cùm vniuerſas decipit animantes, à ſolo Gallo gallinaceo decipitur? vt certè vir ingenio limatus, & perpolitus hoc in ſuis doceat Apologis, viri docti conſilium poſſe plus, quàm callidi, & perfidi dolum. Quocircà malè res cedit in Imperio, cùm Princeps aliorum: non alij Principis egent conſilio. præclaris inſignibus armatur hæc ſententia. per *Bubonem in turris faſtigio expreſſum*. Cũ inſcriptione.

IN-

INFAVSTVS NVNCIVS. Nam vbi populus consilio non ducitur Principis: sed Princeps, populi: ibi vterq; non minus ius peruertit naturæ, quàm Serpens ille Æsopicus, cuius caudã ceruix: non Ceruicem cauda sequebatur. doctè id æque, atq; festiuè imago. Nam Bubo visus in vrbibus apud Antiquos, infausti censebatur esse ominis. Etenim non Cantum habet vocalem, sed genitum noctu volat solus: deserta, & inaccessa loca incolit, eiq; plumæ sunt instar aurium. Quid? est non solum lugubre, sed etiam luce, & frequenti loco indignum imperitorum consilium. Cretensium est, & doctrina, & doctrinæ ars ad rem accommodata, cur omnes Principis: Princeps aliorum non debeat duci consilio. Nam quare apud eos, vt docet Plutarchus, in Isidis, & Osiridis Libro, simulacrum cernebatur Iouis sine auribus? quia, qui non eget consilio, nihil ei accidit opus esse sensu aurium. omnia enim qui sapit, audit in silentio. Cùm igitur Princeps, in terris obses sit Iouis, atq; omnium sapientissimus contra ius, fasq; est, vt is ex aliorum: non alij ex animi eius pendeant deliberatione. Nam Cretensium auctoritate viuum Iouis simulacrum est Princeps. Nec inconsideratè fortè. Nam quid est Principis consilium? non Musarum Senatus: sed Apollinis oraculum, ex quo humani generis societas salutem, tranquillitatem, atq; optima quæque petere consueuit Quoniam igitur ex consilij errore, Imperij vis ruit vniuersa, soleo consilium firmamentum Reip. nominare.

Quòd sola ex Virtute, fausta ex infaustis reddantur omnia.
Elog. XCV.

QVæ mortalibus sæpè terrorem incutiunt: contumeliæ ambitiosis: paupertas auaris, & infirmitas voluptuosis: illa semper à bono viro Virtutis ergò contemnuntur, nũ-

quam

quam refugiuntur. quid ita? quia in virtute firmissima cùm sit omnium perturbationum cautio, qui virtutem habet, potest in periculis timeri, non potest timere. facit igitur Principis virtus duplici ratione ad felicitatis quandam æternitatẽ. primùm, quia rerum omnium est vicissitudo, nulla virtutis: deinde quoniam qui vir bonus est, non adeò gloriosum ducit alijs se præesse, quàm prodesse: neq; tam præclarum virtutis gloria, quàm ipsa virtute florere. Nã sui non solum præmium: sed etiã honorum omnium decus est Virtus. pingitur id coloribus naturæ, & artis penicillo per *Caprimulgum Capræ vbera sugentem*. Cum titulo: CONTRARIA VIRTVS. Nam quod vber sugit, emoritur, & Capra cęcitatem contrahit. Caprimulgi sunt Aues paulo maiores Merulis, quæ interdiu, nec vident, nec videntur. Quid? Virtus semper luce gaudet aperta: nec illuminat solũ occæcatos, sed etiã animat infra mortuos amãdatos. Amo insigne. Nã sine naturæ pigmentis ingeniũ hebetatur stupore, & doctrina, nisi noui semper aliquid ex arte, tanquam lumini oleum instilles, obscuratur caligine. Nihil autem est, si benè attendimus, virtute, neque vberius, neque gloriosius. Hac vna contentus Cato, ob ingentem rerum à se gestarum gloriam, non est passus vllam sibi poni Statuam, inquiens, malle se, vt posteti percontarentur cur Catoni erecta non esset Statua, quàm erecta. Sapienter quidem ille, vt solet omnia. Nam in virtute, nec paruus ad honorem accedit cumulus, contemptio honoris: nec quicquam vnquam potest bono viro accidere mali. quid ita? quoniam malo benè vti bonum est: Sicuti bono malè vti tam malum, vt quàm pessimum.

Quòd

Quòd scelerum fons, & caput in Imperio sit Ciuium cupiditas.
Elog. X C V I.

QVia populus venter est Principis, nisi frugi reddit populum, non vacat Princeps intemperantiæ macula. quiaq; difficilè est virtuti simul, & opibus operam dare, eius est eam tundere incudem, vt populus pluris faciat virtutem sine opibus, quàm opes sine virtute. Nã qui cupiditatem ex vrbe explodit, is vrbem omnibus simul vitiorum sordibus abstergit. est enim cupiditas maximorum vitiorum procreatrix: plurimorum magistrá: omnium denique nutrix. Accedit hùc, quòd etiam in rerum affluentia, nemo dominante cupiditate, potest euadere plenior. Nam auaro tam desunt quæ habet, quàm quę non habet. id insigne eruditè magis loquitur, quàm tacitè. per *Vitim Lunæ radijs botros habens expositos.* Cum verbis. INANIS CONATVS. Lunæ enim radijs minimè maturescunt Vuæ. quid? homini auido nox offunditur vitiorum omnium: nec voti vnquam habet maturitatẽ, quia semper aliquid superest, quod optet. Nec quicquam est, vt volunt Pythagorici, quod ius magis violat: quodq; maiora dissidia excitat, quàm duæ voces hæ meum, & tuum. Etenim finis belli, est Iustitia: Pacis, Amicitia: vtriusque demum rerum communio, & concordia: quam nescit auaritia pati, quia omnem soluit societatem, bellaq; ciuilia, vt refert Thucydides, & nefario accendit scelere, & accensa bonorum restinguit sanguine.

Quòd Virtus Principis nutrix sit humani generis.
Elog. X C V I I.

EA demum Ciuitas rerum omnium abundat copia, quæ nulla laborat virtutis inopia. Siquidem Resp. propter vir-

virtutis honestatem, nō magis dicitur benè morata, quàm propter vtilitatem fœlix, & beata. Principis igitur virtus nihil est, nisi veluti quoddam Plutonis prædium. rei eius imago effingitur *Ex Sole per Agros plurimis arboribus obsitos coruscante*. Cum titulo. OMNIBVS SVFFICIT. Nam vt Sol, ita sola Principis virtus bona omnia secum vehit. vetus est Homeri testimoniū. Nam quorsum apud eum, Cornu Amaltheæ? significationem habet virtutis, omni tempore dona ferentis: quam qui habet, nihil frustra cupit, quia nihil vult, nisi quod ipse facit rerū Imperator Deus: solusq; ad benè, beatèq; viuendum sibi sufficit. Atque si Euripidi credimus, non numisma splendens, argentū solum est, & aurum: sed etiam virtus hominibus moneta est recondita omnibus, quam qui habet, non tantum fit diues, sed etiam diuinus.

Quòd maxima pars Imperij sit Obsequium. Elog. XCVIII.

VT corpus sine anima: ita Imperium contabescit sine Obsequio, quo detracto, nec Ars, nec Virtus stare potest: quoniā nihil est Ars, nisi regulis: nihil Virtus, nisi legibus parere. Qui igitur Princeps amat Imperium, vnam maximè artem obtemperandi in populo inserat oportet. Nam si adest obsequium, viuit lex: Sin abest, certus legis est interitus. quid legis? imò humanæ societatis. Etenim obsequium natura non victus diuersorium: sed vitæ domiciliū dedit hominibus. Quare sine obsequio homini, & victus, & vitæ explorata est desperatio. exprimitur id non insulsè per *Auē Caladrium, qui potionem medicam euertat*. Cum dicto. NON OPVS EST. Hac imagine, quę doctrinæ sale est aspersa, virtus adumbratur obedientiæ, sine qua certus est Reip. interitus. Hęc enim Auis Persica ęgrotis allata eos statim, aut restituit in-

tegros ſi conſpexerit, aut deſperatos relinquit, ſi oculos auertit. hoc imaginis monimẽto admoneri videmur homines facilius Sole, quàm obedientia poſſe carere. Nam Virtus omnis, ſine qua vita non poteſt agi hominum, obſequio eſt depaſcenda: quod Epicteti Philoſophi patet edicto, Suſtine, & Abſtine. Plato verò omnia pariter ad obedientiam propè referẽs, vix quicquam inter ius, & Principem facit diſcriminis: eò quòd hic iuris vim habeat loquentis: illud Principis, qui expers ſit mortalitatis. Cùm igitur in dubium veniſſet, vter alteri in adminiſtratione Reip. deberet obtemperare, dixit par eſſe ſuperiorem imperare inferiori: legem diuinam præſtare Principi: Principem ciuili: ideò virum ab illius virtute: hanc autem virtutem à viro eſſe nominatam. Quare, vt lex ſcripta paret Principi, corrigiturq; eius æquitate: ita Princeps ſubijcitur rationi, hoc eſt legi non ſcriptæ, cui niſi obtemperet nomen exuit Principis: induit Tyranni.

Quòd ars imperandi omnes vincat difficultates.
Elog. XCIX.

ITa natura comparatum eſt, vt imperiti omnes morẽ gerant peritioribus. graue eſt antiquitatis teſtimonium. cur enim ab ea, Phœbo Cithara, & plectrum traditur? quia certè quidẽ eſt viri docti abſona omnia in Imperio ſic in ordinem, & concordiam redigere, vt omnia rationi conſonent, & legibus. Quò autem latius patet in Rep. errandi campus, eò plus in Imperij cuſtodia, res Principi faceſſit negotij. Nec enim vna ad inferos: ſed varia, & multiplex eſt via. vt igitur Reſp. ab offenſione tuta nuſquam incurrat, ſemper Principi eſt inuigilandum, nunquam obdormiendum tempori. Rei huius effigies, & ſimulacrum conſtituitur.

per

per *Picum iuxtà Notulas musicales garrientem.* Cum titulo. NON SINE LABORE. Hæc enim Ales, vt sonos, vocesque reddat humanas, tam patiens est laboris, vt aut vincat difficillima quęque ferendo: aut victa difficultate verbi moriatur. Figura hęc non tenebris est offusa, sed lumen in ea elucescit tolerantię, qua Princeps maximè, quæ humana sunt, commutat cum diuinis. quid enim cęleste est magis, & diuinum, quàm hominem, ita erudire, vt satius putet seipsum, quàm hostem cauere: noritq; ex errorum flexionibus, & diuerticulis, quibus tenetur obsessus, sine labe, & macula euadere? Solet Bion, propter ingentem rei difficultatem, hominis deflere conditionem, inquiens tam apertam, & spatiosam homini ad inferos patere viam, vt clausis etiam oculis, ei difficile sit de via aberrare.

Quòd Imperij felicitas, veluti quodam Virtutis pabulo omnis sit sustentanda. Elog. C.

VT virtute ad felicitatem: ita labore ad virtutem iter aperiendum est. Non est obscura ratio: auctoritas etiam Antiquitatis aperta. Nam cur Prometheus ex Limo primum lachrymis macerato finxit hominē: deinde igne cęlesti absoluit? quoniam absolutio, perfectioque hominis est virtus, quæ sine angore non paratur, & molestia. Nihil enim est homo exterior, nisi sordium omnium diuersorium, quod non potest non acerbè cęlesti igne purgari. Nec adeò tamen Virtutum radices sunt amaræ, quàm fructus suaues. Nam qui in Rep. iacit Virtutum fundamenta, is felicitatis simul erigit firmamenta. Argumenti veluti quædam facies, & simulacrum effingitur, per *Aquilam Oua in nido fouentem, quæ Rostro Lapillum Echitem teneat.* Cum inscriptione. SOLVS VOTI COMPOS. Nihil enim qui prudens est, frustra

moli-

molitur. Nam quod ars, quod natura, quod Deus ipſe præſcribit, ſolus id omne poteſt, qui vir bonus eſt. Quid imperandi guarus? Faber eſt Virtutis, quæ procreatrix eſt felicitatis. patet ex ipſa figura, & imagine Aquilæ, quæ Ales cùm ſit Iouis, paſſim in figuris pro Ioue vſurpatur. Hæc in excubatione ne Oua concoquat, præ nimio matris calore, cauet Echite lapide. Sola alitum, neque viua fulmine tangitur, neque mortua dignitatem quandam deponit Imperij. Nam eius pennę mixtas auium pennas, quaſi Imperium non ſit patiens conſortij, deuorant. Magna igitur in virtute, Principis: ſumma in Principe, commendatio eſt virtutis, quam vincit ingenij quadam diuinitate, tque ſapientiæ lumine, & numine.

Finis Libri Primi.






Ad

Optimum Religione, & Pietate Iuuenem

SEBASTIANVM
SALAZAR,

Qui nomen suum PHILIPPO III. Auspice,

Sacræ dedit Militiæ,



HENRICVS FARNESIVS EBVRO S. P.



Nter hominem, & feram animantem, Iuuenis spectatissime, hoc potissimum est discriminis, quòd hæc nullum: ille acerrimum sensum habet laudis, & gloriæ. Nam cùm honor, & fundamentum, & firmamentum sit virtutis, qui amat virtutem, non potest non gustum habere honoris. Neque enim olim, aut apud Athenienses tot Philosophi: aut apud Romanos tot Imperatores exti tissent, nisi illi rem literariam. hi virtutem militarem in maximo honore habuissent. Quocirca honor non solum alit artes, sed etiam parit. Nam Campus omnis virtutis, ex siccitate exarescit honoris. Itaq; Alexander Magnus Achillem non di-

xit esse felicem, propter res ab eo gestas, sed quia Homerum sui nactus erat Præconem. omnia enim obruit ætas, nec quicquam ad posteros peruenit, nisi quod proditum est literis. Quoniam igitur exempla ad benè, beatèque viuendum, monent, docent, & delectant: illi in primis Posteritati consulunt, qui præstantissimorum virorum virtutes commendant literarum monimentis Monet, fateor, ad virtutem viua oratio, sed non durat: Durant statuæ, & Imagines, sed in vno tantum loco spectantur, & quidem angusto, quas etiam nullo negotio, aut temporum iniuria, aut ætas demolitur: soli autem libri Sempiterni virtutum opifices, & magistri: soli Illustrium virorum obsides, per vniuersum orbem terrarum peragrantes: soli denique, nec vi, nec ætate pereunt. Nam ijs fides cum alieno crescit seculo: ex ijsq; omnis posteritatis manat disciplina. Nihil enim ex antiquitate scimus, nisi quod proditum est literis. Quare quam de Antiquissima tua familia tundo incudem, illam antiquissimis acceptam refero literarum monimentis. Vnus instar omnium testis est grauissimus *Petrus Rosetus, qui anno sesquimillesimo Panegyricum ad Tristandum Salazar Archiepiscopum Senonensium*, quem totius Galliæ non temerè Numam appellat Pompilium. Nam adeò iustitia, & Pietate fuit insignis, vt pacatis finitimorum populorum odijs, truces, efferatosq; longa militia animos, ad concordiam: Religionem: obseruantiamque Regi Christianissimo traduxerit. Nec recens hæc, in tuo genere, erat virtus. Nam quàm antiqua, quàmque incredibili virtutum omnium comitatu stipata semper fuerit Salazariorum familia, ex eo liquet, quòd illa originem traxit, vt P. Rosetus asserit ex Gothiæ Regiæ Principibus, qui olim Italiam armis subegerunt: Romamq; destruxerunt, atque totum propè orbem terrarum prædam fecerunt suæ virtutis. Nec Principi generis, Soboles Salazariorũ dispari fuit virtute, aut dissi-

dissimili fortuna. Nam, vt Badius Ascentius scribit, sola ingentem Caroli Magni exercitum sub Pyreneis montibus deleuit. virtus autem militaris, longa serie sic ad posteros in Salazariorum stirpe est propagata, vt nulla vis, nullus armorum impetus, eorum reniti posset virtuti. Testes in ea sunt duo strenuissimorum Imperatorum Coryphæi, Ioannes, & Galesus. Ille enim Ducem Sequanorum multis prælijs fractum ex Gallia fugauit: hic Ligurum vires solus debellauit. Nec in Salazariorum genere, maior est armorum, quàm Religionis, & sanctimoniæ triumphus. Nam Margarita mater viuens in terris continenter in Cœlo cum Deo habitabat: Tristandus filius Matris sanctimoniam cęlesti superabat pietate. Illa Trimoli Ducis cùm esset filia, nemini nolebat præesse, sed prodesse omnibus: hic Domum suam Asylum fecit miserorum omnium, opesq́ue omnes suas ad beatorum delubra, & Pauperum Xenodochia edificanda, atque locupletanda erogauit. Quod minimè soleo admirari. Nam cùm Diuus Laurentius, vt P. Rosetus asseuerat, ex Salazariorum genere originem traxit, quid in virtutis nomine delitescit, quod Salazarij de Cœlo non magis debent Diuo Laurentio auspice, capere, quàm sperare? Amo Salazarios, quorum vita, multorum est instructio, & disciplina. Poęta vero Salazar sic ab omnibus cum admiratione suspicitur, vt quemadmodum D. Laurentius Cœlum: ita hic vniuersum orbem terrarum sua virtute complerit, & gloria. Tanta enim est in eo artis Poęticæ dignitas, vt vniuersa morum Philosophia in eius Poemate teneatur inclusa. Horum vterque in tuo genere, ad ingenij, & sanctimoniæ gloriā magnus tibi accedit cumulus. Sed quid altè in tua familia virtutum testimonia repeto, quibus domi non eges, vel abundas potius? Patrem habes Didacum supremum apud Insubres, Cancellarium, qui in re dubia prudens: in periculosa fortis: in quæstuosa iustus;

in voluptuosa ita temperans semper existit, vt nomen boni viri, veluti quodam superare videatur numine. Atque ad eximias, regiasque suas virtutes addit etiam eloquentiam, copiãque dicendi, & bonarum artium disciplinam, quarum dotibus semper vtrunque ius locupletauit. Itaque in supremo hoc dignitatis gradu, talem se præstat publicæ vtilitatis propugnatorem, vt vnicum sit virtutis specimen: eximium sapientiæ decus: iudiciorum ornamentum, atque exemplar verę, germanęque iustitiæ, & æquitatis. Tu igitur viua Patris cùm sis imago, facilè priscam familiæ tuæ sustinebis gloriam: faustaque consequeris omnia, si quo cępisti cursu procedes. Vale.



DIPHTERA IOVIS

Siue

DE SAPIENTIA PRINCIPIS

HENRICI FARNESII EBVRONIS I. C. & Artis Oratoriæ interpretis Regij

Liber Secundus: Centum abſolutis Elogijs,

In quibus

Senatus præſtantia, quæ mens eſt Principis ſua quaſi facie cernitur expreſſa.

Atque Poætarum Commentis de Imperio

Retruſa veterum ſic eluceſcunt dogmata, vt veræ Muſarum lampades videantur ipſæ Fabulæ.

Ad Ampliſs. Senatus Mediol. PRAESIDEM

IACOBVM MAINOLDVM.



MEDIOLANI,

Apud Hieronymum Bordonum, & Petrum Martyrem Locarnum.

M. DC VII.

AD
SAPIENTISS. AMPLISS.
SENATVS MEDIOL. PRÆSIDEM
IACOBVM MAINOLDVM.

Imperio

SENII REMEDIVM, ET MORTALITATIS MEDICINA EST SAPIENTIA.

NVNQVAM ENIM DVM SAPIENS SCEPTRVM GESTAT IMPERII, AVT FLAVESCIT, AVT RVIT IMPERIVM.

SAPIENTIÆ QVIPPE' PATRIMONIVM EST OMNE BONVM: DISCIPLINA VERO' ARS IMPERANDI.

NEC TAMEN SAPIS, QVIA NOSTI ALIIS IMPERARE: SED QVIA NESCIS NON PARERE TEMPORI.

QVOD CVM NESCIS, SCIS REBVS ET FVTVRIS CONSILIO, ET PRAETERITIS IVDICIO, ET EXISTENTIBVS OCCVRRERE INTELLIGENTIA:

ATQVE EORVM, QVÆ SVNT, QVÆ FVERVNT, ET FVTVRA SVNT, MOMENTA, ET MONIMENTA.

EX INFAVSTIS, FAVSTA REDDERE OMNIA, HOC EST EX DAMNO.

LVCRVM CAPERE DELIBERANDO: EX INIVRIA IVSTITIAM ARCESSERE IVDICANDO AC DENIQVE

EX IGNORANTIÆ TENEBRIS, LVMEN RATIOCINANDO ACCENDERE INGENII, ET DOCTRINÆ.

QVARE
TVO NOMINI SAPIENTIAE LAVS OMNIS CVM DESPONSA SIT, ET DESTINATA.

HENRICVS FARNESIVS TIBI LIBRVM HVNC IVRE, ET MERITO NVNCVPO, DICOQVE



PRAEFATIO.
HENRICI FARNESII EBVRONIS I. C.
Et artis Oratoriæ interpretis Regij.



VONIAM Pręses Amplifs. ex doctrina Imperantis, tanquàm ex cella, & horreo virtutũ omnium, non vulgare penu, in dies depromitur communis vitæ, & publicę salutis: iure Senatus, cui desponsa est, & destinata Imperij sapientia, semper apud Romanos, pacis, & otij fuit domicilium, atque officina Imperatoriæ felicitatis. Quam autem vrgens Imperio, doctrinæ incumbat necessitas, id duobus ferè integris libris Strabo, & Polybius Megalopolitanus sole clarius docuerunt: probarunt magis re, & euentu Thebani, quorum Imperiun est & natum, & restinctum simul cum Epaminundæ Philosophi armati doctrina. Nam in bello non vincit qui robore, sed qui consilio plus potest. Etenim qui lumen, aut numen potius consilij habet sapientiam: is, vt placet Diodoro, non solum nouit ex aliorum erratis, quod rectum est sequi, sed etiam ex periculis, quod tutum est amplecti, atque ex aliorum infamia ad gloriam erudiri. Quid? cur Pythagoras Rerum Imperatorem Deum, quo nihil est neque opulentius, neque validius non opulentum: non validum: sed σοφον tantum, hoc est sapientem nominauit? quia certè quidem neque ope, neque opibus: sed sapientia gubernacula tra-

tractantur Imperij. Id ſignis fortè, quàm verbis, apud Homerum, liquidius. Nã quòd in primo libro Iliados, ſceptrum aureum Appollini tribuitur, id nihil præter Regiam, ſiue Senatus ſapientiam figurat, qua tantum vniuerſa feliciter reguntur Imperia. Quid dicerem parantur? nihil eſt imperium, niſi planè hebeſcimus, niſi ſapientiæ patrimonium: nihil ſapientia niſi ars, & ſcientia Imperandi. Quare Imperator Seuerus, quando de iure, & legibus controuerſia erat, ex literatorum conſilio pellebat armatos milites: vbi verò de re militari quæſtio anceps oriebatur, & dubia, inter armatorum turmas, viros, ad deliberandum, interſerebat togatos. Nam ferro committitur pugna: arte magis paratur victoria. Itaque ſi velimus memoriam refricare temporum, reperimus illas Reſp. diutiſſimè ſemper floruiſſe, in quibus artes ingenuæ fuerunt in honore: illas contra non tam cito, quàm turpiter cecidiſſe, in quibus Literati iacuerunt ſine re, & nomine. Nec adeò tamen vnquam Imperio res glorioſa fuit, & ſalutaris ſapientia, quam infauſta, & exitialis ignorantia. Nam qui fit vt Iupiter, ſicuti eſt in Fabulis, Phaethontem aurigandi imperitum ex curru Solis, quo orbis terræ vehitur Imperium, fulmine ictum præcipitat in Padum: ignorantiæque crimen, non ſolum Imperantis, ſed etiam orbis terræ expiat incendio? Qui in Poẹtico hoc commento, commentarium non ſentit iuris, & iuſtitiæ: nulla vti poteſt excuſatione, niſi ſtuporis, & inſcitiæ. Ea quippè eſt, ſi benè attendimus, iuris ratio, & exemplorum vis, quæ non modo non fert imperitos præeſſe Reip. ſed ne ipſam quidem Remp. ab imperitis adminiſtratam. Sicuti enim Abies, quæ arborum omnium eſt eminentiſſima, ramis omnibus reſciſſis, vix relangueſcit: extremo autem faſtigio tantum amputato, radicitus moritur: ita Imperium multa ſæpè ex parte mancum, & comminatum adhuc viget: ſola

autem

autem doctrina sublata, quæ Imperij est anima, funditus intereat necesse est. Aperta est ratio: non obscurum exempli testimonium. Etenim cur olim apud Ægyptios, qui populorum omnium fuerunt vetustissimi, ex Principis sapientia, felicitas pendebatur Imperij? quia certè quidem si Princeps semper saperet: eius nunquam non perenne, & beatum esset Imperiũ. Nam in Imperio, summa semper fortunæ: nulla vnquam virtutis est vicissitudo. Quare Ægyptij, iure, & legibus sanciuerunt, vt neque Sacerdotes, nisi ex Philosophis, neque Reges fierent, nisi ex Sacerdotibus. Cùm enim duplex sit hominis vita, vna agendi, quæ in virtute: altera contemplandi, quæ in doctrina est fundata: vtraq; à Principe, in rationis gyro, sapientiæ habenis est arcenda. Quid inquam arcenda? imò formanda. Ea enim est Principis sapientia, qua tanquàm face Promethei de cœlo accensa, censentur mortales omnes, ex cœno vitiorum concreti animari. Itaq; Senatores regiæ sapientię ob sides à Romulo patres, à Numa Pompilio patres cõscripti sunt nominati. cur patres? quia cùm fiant magis, quàm nascantur homines, in eorum tutella spes omnis consistit communis vitæ, & publicæ salutis. Cur conscripti? quia eorum est scribere leges: conscribere milites: nefariorum hominum bona proscribere: atq; hostium Vrbes, & Prouincias ascribere Imperio. Est igitur Senatorum nomen admirabile: officium domi, militiæq; Reip. propugnaculum, in cuius claustris regia omnis sita est gloria. Nam vt Pallas, Iouis: sic Principis mens est ipse Senatus. Quem igitur dicam esse Senatorem, qui Senator sit modo? Principem certè, cuius, Cynea magistro, virtus magis illustrat Principatum, quam Principatus eius gloriam, & virtutem. Nam ille Pyrrhi apud Romanos Legatus, postquàm à Senatu responsa retulit, Pyrrho sciscitanti, qualis ei videretur Romanorum Senatus, multorum respondit, Regum cõsessus. At-

que ſi Imperij,& virtus,& victus eſt in iure, ius autem omne in Senatu : quid eſt Senatus,niſi auctor,& opifex communis vitæ, & ſalutis ? niſi publicæ felicitatis apparatus : regiæque gloriæ decus,& ornamentum,atque ſimul bonorum omnium Imperator, & magiſter ? Eſt igitur quòd Regi Regum PHILIPPO III.cùm de vniuerſo Mediolanenſi Senatu, tum de te, IACOBE MAINOLDE, ſummo eius Præſide, in primis gratuler. Nihil enim eſt ſumma tua ſapientia, ſi veteres conſulimus, niſi illa, apud Euripidem, Dei lampas; qua non ſolum nox obſcuriſſima ex conſilij capiendi deliberatione, fugatur ignorantię: atq; omnes dubiorum pelluntur tenebræ: ſed etiam benè, beatèq; viuendi artes vniuerſæ illuminantur; & ſcientiæ. Quare nunquam Phœbum ab Antiquitate cum cithara,& plectro expreſſum fuiſſe, memoria repeto, quin mihi ſtatim veniat in mentem ſingularis tuæ virtutis, & doctrinæ: cui omnia in conſilij templo coguntur conſonare, quaque abſona vniuerſa cernuntur in ordinem,& concordiam redire. Amo igitur tuo nomine veteros illos Poętas,quorum commenta,veluti quædam reconditæ tuæ doctrinæ ſunt commentarij. Nam quorſum quòd, apud Homerum, Vlyſſes ventos in vtre ab Æolo habet acceptos, quibus, vt res tempusq; poſtulat, poſſit tempeſtates in alto, & excitare, & ſedare ? Nemo nouit, ſi benè attendimus, ſedere in puppi, clauumque Imperij tenere, niſi qui ſit alter Vlyſſes: hoc eſt qui,vt facis,rerum procellas nouit, in ſæuo diſcordiarum Oceano, arte temperare, atq; ingenio,& induſtria difficultates omnes imperandi abſorbere. Nec eſt, quòd quiſquam hoc loco damnet fabulas. Nam Lampades Muſarum,vt Strabo, Græcique ferè omnes aſſerunt, ad virtutes illuminandas, ſunt fabulæ: quibus reſtinctis lumen omne obſcuratur ingenij,& doctrinę. Quia ex fabularum diſciplina,tanquam ex aliqua ſpecula, ſpectantur partim, quæ latent

in arte

in arte imperandi: partim quæ procul ab ea ſunt remota: earum rudibus, & imperitis, nullus eſt, vt ait Plato, ex antiquitatis ſtudio, ad inſcitiam præcipitationis finis. quid inquam ad inſcitiam? imò ad improbitatem. Nam, vt facilè quis ruit in tenebris: ita in cæcis ignorantiæ nubibus, qui lumen amittit rationis, non difficilè in ſordes omnes vitiorum cadit. Quid dicerem calamitatum? Dux & Imperator expers Doctrinæ, quaſi caſſus lumine, non tam cæcus cęcos ducit, quàm ſeducit: Eſt enim inſcitię præmium, error: erroris, calamitas, & ærumna. Quocirca pluris eſt Principi, vt Philippus Macedonum Rex aliquando dixit Alexandro filio, benè educari, quàm glorioſè naſci. Nam vt arbores, non ſua, ſed ſurculi ferunt poma: ita Principes non generis: ſed virtutis vigent gloria. Iccircò autem vix vnquam perperam agunt, qui Muſarum ſunt alumni, quòd tam arcta eſt cum probitate ſocietas doctrinæ; vt nunquàm qui doctus ſit poſſit in eo, quod benè intelligit, errare; ſemper verò peſſimè appetat, qui malè intelligit. Quoniam autem habet error in Principe, non crimen culpę: ſed atrocitatis: nihil eſt, quod Princeps magis quàm inſcitiam debet cauere. Nam cur Troia, apud Homerum, propter Paridis libidinem eſt euerſa? quia cùm neſciat Dei pietas crimen imperantis pati: nullum eſt tam firmum imperium, quòd non facilius Principis ruat vitio, quàm hoſtili ferro. Itaque non solũ ſtabile, ſed ingens etiam eſt ſibi Imperantis Imperiũ: ingens, quia nullis præſcriptis locorum finibus terminatur: ſed vſq; eò protenditur, quouſq; ſol ipſe poteſt ſuo lumine peragrare: Stabile quoniam qui ſapit, nunquã alius eſt in alia fortuna: ſolusq́; ſibi ſufficit, qui virtute eſt contentus. Potuit Cyrus Aſię: potuit Annibal Aphricæ: potuit C. Cæſar Europę imperare: nõ potuit non turpiſſimæ dominæ cupiditati parere. Nulla igitur ars, & arx imperij eſt firmior, quàm prudentia, quæ rerũ agendarum

atque

atque intelligendarum magiſtra eſt, & domina; Quæque ad iuſtitiæ trutinam examinandam, omnis aut in conſilij capiendi deliberatione: aut in iure dicendo; aut in eo, quod res eſt, ſuo momento ponderando conſiſtit. Nam cur, ſi reconditæ modò doctrinæ ſenſum, guſtumque non amiſſimus, Apollo nunquam conſueuit, niſi ex Tripode reſponſa dare? vt intelligerent mortales, Principis eſſe partim ex præteritorum memoria, iudicium afferre: partim ex rerum futurarum proſpicientia, conſilium illuminare: partim denique ex rerum exiſtentiũ intelligentia de præſentibus decernere: hoc eſt ex prudentia, tanquam ex Apollinis Tripode, ſumma quæque examinare. Apollo igitur, qui prudentiam fecit virtutem Principis, artem ſimul conſtituit Imperandi. Quid? prudentia ne itaque ſemper eſt in Principe? imò nunquam is eſt niſi prudens, hoc eſt procul omnia videns. quid ita? quia abſens videt quæ ſunt: & præſens, quæ non ſunt. quales igitur eius ſunt oculi? ſi Poętis credimus partim Cæſij, vt Mineruæ, vel potius Cæci, eò quòd non videntes omnia vident: partim Cærulei, vt Neptuni, quia ſplendore non occæcantur, ſed illuminantur cæleſti: partim, vt Lamiarum emiſſitij, quorum lucem nihil aut foris, aut in recondito poteſt ſubterfugere. Magna verò Principis ex prudentiæ nomine commendatio: Summa, ex virtute. Apertè id multi: ſubtiliter magis Perſę. Nam cur Regem Cyrum finxerunt à Cane fuiſſe nutritum? quia vt Canis non habet audaciæ plus, ad mala oppugnanda, quàm ſagacitatis ad prædam inueſtigandã: ita qui fertur, duciturq; prudentia, Princeps, nunquam minus habet animi in propulſandis Reip. periculis, quàm conſilij in accerſendis commodis. Quid igitur? nemo Princeps & togę, & militiæ eſt prudens, niſi qui, vt Achilles, Chirone vſus eſt pręceptore, hoc eſt, qui ſummam doctrinam cum pari virtute tenet coniunctam. Chiron, enim iccirco apud Antiquos, à ter-

go Equi : à fronte, hominis figuram præ ſe ferebat, & faciem, vt intelligerent mortales, qualis conſtitueretur Imperij diſcipli na. Nam imperanti ęque glorioſum eſt Remp. in proſperis fortunæ ventis, legibus arcere, ne labatur in luxuriam : atque ferro, in aduerſis caſibus inclinatam erigere, & reſtituere perditā. Qui autem in vtroque prudens eſt Princeps, dicitur fortunatus, hoc eſt vtriuſque fortunæ, aduerſæ ſcilicet, & ſecundæ magiſter, atque dominus. Qui igitur conſilij lumen, aut numen potius habet prudentiam, is omnia ex difficillimis reddit facillima. Quocirca ex Præſtantiſſimo hoc Mediol. Senatu magnus Regi Philippo III. ad Imperij felicitatē accedit cumulus. Quot enim in eo ſapientiæ ſacrario ſunt Senatores: tot hac noſtra ætate videntur reuiuiſcere vel Neſtores, vel Ariſtides. Neſtores; quia ſemper in bello, horribilior eſt haſta Palladis, quàm framea Martis: Ariſtides, quoniam nihil eſt eorum ſapientia, niſi veluti quædam, quæ minimè expugnari poteſt, iuſtitiæ fabrica: ſine qua mortales ſpirant mortui. Nam ars viuendi, ſola eſt iuſtitia : qua detracta mortales ſpirare tantum videntur: non etiam viuere : niſi fortè vitam hominis etiam agant, qui viua ſunt cadauera. Ea arte Principes Imperium non ſolum tranquillum reddunt, & pacatum : ſed etiam maximè diuturnum. Eſt enim iuſtitia felicitatis in Imperio, officina, atque iuris, iudicij, & conſilij ſedes auguſtiſſima, ex cuius terminis, & finibus ius omne exulat, & iniuria. Sed quid hæc, inquiet fortè aliquis, ad doctrinam? qui Princeps ſapit, iuſtus eſt: qui verò ius non violat, is in armis ſæpe hoſtes eos ſui amore vincit, quos ferro nequit vincere, vt aliquando apud Phalarios fecit Camillus Dictator Romanus. Nam remiſſo Pedagogo virgis à pueris cæſo, quos ſecum transfuga in caſtra hoſtium, ſeducendo duxerat: Phalariorum mentem ea æquitatis opinione imbuit, & iuſtitiæ, vt, quos vi expugnare non potuerat, eos non victos, ſed

deuin-

deuinctos ſibi amore, nullo deinceps negotio in ſuam ditionẽ traxerit. Quoniam enim bellum ad propugnandam, non ad expugnandam iuſtitiam, committitur: nulla re magis belli flã- ma reſtinguitur, quàm iuſtitiæ nomine, & fama. ſed quid ego hæc? ſuccus & ſanguis Imperij eſt iuſtitia, ſine qua neque ſtare, neque non ruere cum ea poteſt Reſp. id cum Solon ſentiret, cõ- ſueuit dicere, duo eſſe in iuſtitiæ ſinu, numina, quibus regeren- tur vniuerſa, præmium, & pœnam: quibusq́ue detractis, ruat oportet Imperium. Teſtes ſunt inclitæ illæ Lycurgi leges, qui- bus quandiu obtemperarunt Spartani: maximi omnium Græ- corum extiterunt; vbi verò eas abrogari permiſerunt, ſtatim eo rum præceps ijt Imperium: omniq́ue libertate enudati ijs pa- rere ſunt coacti, quibus antè conſueuerant imperare. Nihil eſt igitur Principis iuſtitia, niſi & in pace felicitatis, & in bello, vi- ctoriæ ſchola. Quare non falsò ſenſerunt Ægyptiorum Reges, qui, vt teſtatur Diodorus Siculus, nunquàm benè ſe gubernare putabant, niſi parendo legibus, Populum excitarent potius ſua virtute, quàm legum auctoritate. Siquidem populus ad virtu- tis diſciplinam, acrem habet ſenſum oculorum: aurium hebe- tem. Nihil igitur eſt Principis iuſtitia, ſi Antiquitati credi- mus, niſi Æoli ars, & ſcientia; qua non ſolum in aduerſa tempe ſtate nouit nauigare, ſed etiam enauigare. Etenim qui Princeps eſt iuſtus, vt Æolus Ventis, ſic in tractando Imperij clauo nouit omnibus frœnum imponere tempeſtatum procellis. Nec enim adeò morbi, incolumitas: quàm iniuriæ, & diſſidij remedium eſt Iuſtitia. Quare Antiſthenes iuſtitiam Principis, ſummam fe cit Dei immortalis diſciplinam. Hæc enim Regibus dignitatẽ: affluentibus & beatis liberalitatem: cæteris gratiam: miſeris nõ tantum anſam orandi: ſed etiam neceſſitatem porrigit exoran- di. Atque id eſt, puto, cur Soli Ædes olim apud Romanos ro- tunda erigebatur. Nam iuſtitia cùm Sol ſit virtutum omnium,

nulla

nulla figura alia, quàm gyro ingennarum artium commodius, atq; ſcientiarum vniuerſarum corona poteſt adumbrari. Magnum verò apud Antiquos iuſtitiæ, etiam in ſilentio eſt Encomium. Nec enim alia de cauſſa, iuſtitia, vt in Theogonia, ait Heſiodus, Themis Dea Iouis coniunx conſtituitur, atq; ab Orpheo ὀυρανόπαις eſt cognominata, quàm quòd ea, & homines à ſuperis, & res ab hominibus iudicantur omnes humanæ. Qui autem malè iudicat, cauſſam, vt aiunt I.C. facit ſuam. Teſtes ſunt Aſininæ Mediæ Regis aures, qnæ ſtolidos, vt eſt in fabulis, arguunt iudices. cum enim Phœbus, & Pan carmine certarent. Midas ille inter vtrunque arbiter conſtitutus, ius dixit ex inſcitiæ arbitrio: ſententiamq́, contra ius fasq; tulit, qua Phœbus cauſſa cecidit. Nec mirum. Nam qui malè intelligit, non poteſt in iure dicendo, non labi iudicio. Itaque quòd Midas, vt veteri fertur prouerbio, aſininas aures habet, ideſt eiuſmodi, vt ad ſtolidos omnes poſſit transferri iudices. Solus autem iuſtus nouit, ius dicere. Nam ſola iuſtitia, eſt iuris: veritatis: ingenijq́; virtus: hoc eſt lumen, & numen Iudicij. Etenim ſi veteres conſulimus, cur Nemeſis iuſtitiæ Dea conſtituebatur, cuius expreſſa imago ſpectatur, altera manuum, Equi frœnum: altera cubitalem menſuram tenens? quia Iuſtitia, in bello frœnum hoſti inijcit: in otio, & pace, Reip. menſuram porrigit voluptatis, rationi conſentaneam. Nihil eſt igitur Iuſtitia Principis, niſi illa Dianæ lampas, qua omnes, vt teſtantur veteres, illuminantur ad agendum, & intelligendum. Hæc enim ſola docet & iuſta agere, & vera intelligere, eiq́; ſummi æquè, atq; infimi omnes coguntur parere. Nam quorſum quòd Gorgones tres vnum tantum habebant oculum, quo per vices vtebantur ſingulæ? Ciuitatis tres non tantum olenr, ſed etiam ſapiunt ordines, qui omnes vna iuſtitia per viciſſitudinem, tanquam vno communis vitæ Sole vtuntur: Senatus: Plebs, & ordo

eque-

equeſtris. iuſtitiam enim virtutum reginam ipſe de Cœlo fundit Principi Deus: mutuatur à Principe Senatus: à Senatu Magiſtratus, ac denique a magiſtratu populus à Deo igitur, qui fons, & origo eſt ſapientiæ, ius proficiſcitur. Magna verò ſapientiæ gloria, quæ non ſolum in foro, iuſtitiæ: ſed etiam in bello, fortunæ magiſtra eſt, & domina. Etenim, ne ab antiquorum iudicio recedam, non aliam ob rem Gryphus, apud Ægyptios, Hieroglyphicum conſtituebatur Apollinis, quàm vt oſtenderent doctrinam æquè militiæ, atque domi Principi eſſe neceſſariam. Conſtat enim hæc animans partim ex Ceruice, & alis Aquilæ, quæ auis eſt Iouis, & nuncia Iuſtitiæ: partim ex Leonis corpore, qui Herculi ſacer eſt, & virtuti bellicæ. Nec id meo quidem iudicio inconſideratè. Nam vincit in bello, non qui poteſt plus: ſed qui plus ſapit. Teſtis eſt ipſa, quæ mentiri neſcit, natura. Nam cur Rhombus, & Squatina: cur Rhaia, & Paſtinaca, cùm tardiſſimi ſint Piſcium, Mugilem vincunt Piſcium omnium velociſſimum, ſæpeque Mugil, in eorum inteſtinis, reperitur deuoratus? quia hic viribus: illi arte magis pugnant. Nam in prælio, arti vires: non ars cedit viribus. Vbi igitur, non deeſt doctrina: ibi ſemper explorata eſt victoria. Duo id etiam bellè, apud Græcos docent Mineruæ nomina, Nam cùm antè Tritonia appellaretur, qui fit, vt deinceps ἀθηνη & Pallas ſit nominata? iccirco ἀθηνη eſt dicta, hoc eſt immortalis, quia non ſolum contendit, cum tempore de æternitate: ſed etiam tempus ipſum vincit quadam immortalitate, & ita vt ſola doctrina, inter mortales ſenij ſit remedium, & medicina. Pallas autem ob opima ſpolia, quæ ex Pallante Gigãte trucidato retulit nomen eſt ſortita: quo admoneri videmur nullam acutiorem Principi ad victoriam eſſe haſtam, quàm ſcientiam. Magna verò ſcientiæ laus, quæ virium robur: quæ naturæ vim ſuperat: quamque

qui habet, nihil eſt, aut in bonis, quod non ſperet, aut in malis, quod timeat. Quid autem aut non ſperet, qui nlhil fruſtra cupit, aut timeat, qui vt virtus, non relangueſcit: ſed vireſcit vulnere? qui virum ſapientem videt, verum exemplar videt Admeti, hoc eſt hominis inuicti. Nam quòd ille nunquam Alceſten, vt eſt in fabulis, in vxorem accepiſſet, niſi duas diſpari genere feras, Aprum & Leonem eodem iugo ad currum trahendum Apollinis præſidio, conſociaſſet, id eò pertinet, vt intelligamus viro ſapienti omnia ex difficillimis reddi facillima. Sed quid ego hæc? quot ſunt Mediolanenſes Senatores: tot numerantur Admeti, qui diuina cum humanis: fluxa, & caduca cum æternis: atque Principis Imperium, cum populi obſequio ad vitæ huius curriculum ſic connectunt, vt ſoli videantur ad felicitatem aurigandi periti. Hi ſunt qui norunt timeri, non timere. Etenim ſicuti Antæus, quò magis ab Hercule ad terram erat depreſſus, eò in Cœlum attollebatur eminentius: ita eorum nemo eſt, qui ex incommodis, non norit incrementa capere commodi. Ex Senatus igitur ſapientia, tanquam ex cella virtutis, & horreo eorum omnium bonorum, quæ in vtilitatis deliteſcunt nomine: tam admirabile penu in dies depromitur, vt nihil in bonis ſit Mediolano affluentius. Nam cum homo animantium omnium ſit egentiſſimus, nullaque turba mortalium humanæ egeſtati, ſine virtute, & doctrina ſufficiat: is eſt Mediolanenſis Senatus, vt nihil ſit eius virtus, & doctrina, niſi eorum, quæ in Imperio neceſſaria ſunt, remedium, & medicina. Quæ res ad Regiæ maieſtatis gloriam non exiguus accedit cumulus: Nam cur olim, in Acrocorintho, vt prodit Pauſanias, extabat neceſſitatis ſacellum, in quod turpe, & putidum erat populo ingredi? quoniam certè quidem æque ignominioſum eſt Principi populum

pulum rebus indigere neceſſarijs, atque glorioſum Patrifamilias domum rerum abundare copia. Quare arte Principis, & doctrina procul arcenda eſt à populo neceſſitas, nec cominus, ſed eminus obſeruanda. Eſt autem veluti quoddam in imperio, neceſſitatis templum, Senatus conſilium, quod ideò nomen traxit à conſulendo, quia rebus antè conſulit neceſſarijs, quàm imperium iaceat in neceſſitate. Nam vt conſilij lumen eſt rerum ſcientia: ita conſilium eſt & exilium, & exitium in tractando imperij clauo, malorum omnium. Quoniam igitur nihil eſt Principis ſcientia, niſi & tempore pacis, procreatrix conſilij; & tempore belli, victoriæ præda: adeò & Alexander Magnus, & Scipio Africanus, vt ab aliorum infinitate recedam, exarſit ſcientiarum amore, vt alter Illiada Homeri non ſolum rei bellicæ viaticum, ſed etiam munimentum appellarit, ſemperque dormiens ſub puluino cum Achillis pugione ſeruarit: alter verò vix vnquam Prædiam Cyri de manibus poſuerit. Nam cùm imperare opus ſit ſapientiæ, qui Princeps non ſapit, facilè imperium amittit, retinet difficilè: ſi tamen id eſt Imperium retinere, Imperij dignitatem, errorum, vitiorumque ſordibus contaminare. Quare ab inſcitia Principes, tanquam ab exitiali peſte, vt cauerent, ſpectabatur olim Athenis, pro foribus Curiæ, magnificè ex ære, expreſſum Vulcani cum Pallade, matrimonium. eo quippè tacitè admonebantur vrbis Rectores, & publicæ ſalutis procuratores tam arctum eſſe doctrinæ cum virtute, & virtutis cum doctrina vinculum, vt vna, in regendo, manca, & imperfecta ſit ſine altera, ſine vtraque nullum omnino ſit Imperium. Etenim cùm Vulcanus virtutis: Pallas doctrinæ habeat interpretationem: ille claudus fingebatur, quia rectè virtus nequit conſiſtere, ſine baculo

doctrinæ. Hæc lusciola exprimebatur, eò quòd doctrina malè cernat sine virtutis luce. Itaque Athenienses cùm viderent commune vtriusque esse auxilium, vno, eodemque fano, vtrunque coluerunt. vt enim iacet, sine cœlesti igne, ingenium: ita virtutis vis omnis relanguescit sine ingenio. Nec ea de re culpandi sunt Romani, qui vtriusque domicilium fecerunt Senatum. Nihil enim est Senatus, nisi sapientiæ, religionis, pietatis, & publicæ salutis domus. Quare Senatus non à senectute, vt grex autumat imperitorum; sed à virtutis præstantia, quæ senij est remedium, & medicina nomen est sortitus. Nam sola virtus, quæ veluti quidam æternitatis est cibus, expers, in terris, est senij, & interitus. Apex autem virtutis in dignitate sita est Senatoria. Senatus enim non virum, vt Magistratus: sed numen ostendit. Siquidem is plus, quàm vir sapiat oportet, qui virorum opifex est, & architectus: qui pacis, & otij est non minister, sed magister: qui denique mentis publicæ auctor est, & dominus. Magna verò ex Senatu Principis felicitas, & gloria. quid magna? imò sola. Nam si, in Imperio, ignorantia summum est, vt Socrates solitus est dicere, vel potius solum malum: non potest Senatus scientia, non esse vexillum bonorum omnium. Atque nulla securis, fateor, capitalior infligi potest Imperio, quàm ignorantia. Nam cùm lumen, obscurissima inscitiæ caligine, restinguatur rationis, nullus, in inscitia, locus relinquitur videndi quid sit constituendum; nedum, quod res, tempusque postulat, agendi. Quid igitur est homo rudis, nisi spirans mortuus, si homo tamen est dicendus, qui vitam deserit hominis? Nam cùm ad agendum, & intelligendum sit in lucem editus, qui ignorans est, exulat ab vtroque; quasi nunquàm editus: vel vtrunque potius contaminat;

tanquam

tanquam viuum cadauer. Remiſsè id, & molliter magis, quàm rationi par eſt Plato. Nam interrogatus quid inter doctum, & indoctum hominem intereſſet: quod intereſt, reſpondit, inter dormientem, & vigilantem. longè enim magis inane eſt vigilantis, quàm dormientis ſomnium. illud quippè ſemper cũ falſitate: hoc ſæpè cum veritate tenetur conſtrictum. alterum ipſa loquitur ratio. Nam qui rudis eſt, ſemper vigilans ſomniat, quoniam nunquam quod eſt cogitat, alterum cõprobatur Cornelij Rufi teſtimonio, qui dormiens excæcatus eſt, cùm id ſibi accidere ſomniaret. Qui Princeps igitur errores omnes vitare vult in Imperij clauo tractando, Senatus potius, quàm ſuo vti ſolet iudicio. Nihil enim eſt Senatus ars, & ſcientia, niſi vt volunt Poętæ, lampas Dianæ, quę Pegaſo inſidens per cœlum circunuecta cenſetur obſcuriſſimas ignorantiæ tenebras depellere: mortaliumq; mentes illuminare. Quare haud quicquam eſt Principi laudabilius, aut ſalutare magis, quàm quò vocat Senatus, qui virtutum gradibus in cęlum tendit iter, ſequi. Vetus eſt Æneæ apud Virgilium teſtimonium. Nam cur ab Heleno admonitus eſt, vt vitaret Charybdim, & Scyllam? dictus eſt Senatus modo Helenus ab ἑλκω verbo Græco, traho, eò quòd Principẽ quò ius, quò ratio ducit, extrema & vitando, & vetando trahat ſuo conſilio. Qui enim Princeps exceſſum cauet, & defectum, is demum fruitur virtute, quæ omnis conſiſtit in mediocritate: quæque ſola, ex Pythagoreorum ſententia, poteſt mortales animare. Quare qui virtutem populo miniſtrat, non adeò artem viuendi, quàm vitam ipſam cenſetur miniſtrare. Acris eſt apud Euripidem auctoritatis acies: nõ hebes Romuli. ille enim cùm ad imperitos animum intenderet, vitam hanc mortem ſolet nominare: Hic apud Romanos Senatores, quia lumen, in Imperio, accendunt doctrinæ, patres voluit nominare. Quid? Senatores ne igitur patres? imò à ſcribendo, ex Numæ Pompi-

lij ſententia, patres conſcripti, eò quòd norunt & ſcribere leges, & conſcribere milites, & proſcribere hoſtes, atq; hoſtium vrbes, & prouincias, armis hoſtilia omnia debellando, aſcribere Imperio. Quare non filius plus patri, quàm populus debet Senatori, qui Remp. parit, alit, & defendit, atq; ſimul omnibus auget, & cumulat bonis. Quoniam igitur non natura, vt lucerna loquitur Diogenis, ſed virtus viros parit, nō poteſt Senator, qui auctor, & opifex eſt publicæ virtutis, non obtinere vim, & naturam veri parentis. quid dicerem nutricis? nihil eſt Reſp. niſi alumna virtutis, quam Senatus cum ſuggerit populo, prædium pariter ad benè beateq; viuendum ſuggerit Plutonis. Qui enim auro poteſt egere, qui aurum habentibus imperat? atq; ſicuti longè infelicior eſt animi, quàm pecuniæ egeſtas: ita multò beatior eſt virtutis, quàm auri theſaurus. Itaque Alexander Magnus interdum Diogeni: nunquàm Diogenes viſus eſt ſubinuidere Alexandro. Longè enim melius eſt virum eſſe bonum, quàm bona poſſidere. Nam qui bonis affluit externis, poteſt eſſe miſer, & infelix: qui autem vir eſt bonus, non poteſt non eſſe felix, & beatus. Itaq; nemo ferè eſt, in quo mica modo aliqua ſit Salis, qui non malit inter bonos viros, quàm inter diuites numerari. quid inter doctos? multò pluris eſt vir doctus, quàm bonus. ille enim imperat: hic imperata facit: ille Reip. hic priuatæ egeſtati magis conſulit. Quia autem errori nullus eſt, niſi in ignorantia locus: non poteſt, qui ignorans eſt, ab æquo, & bono non ſeduci errore: atq; in omnes ærumnas proſterni ſcelere. Quod igitur Imperium firmum eſt, & validum? non quod opibus: non quod virium robore: non quod armatis ſtipatum tenetur militibus: ſed quod rerum reconditarum ſcientia, boniſq; viris eſt refertum. Itaq; Artanaſdes Armenorum Rex celeberrimus, vt inſuperabile regnū ſuum redderet, malebāt doctiſſimum quemq; ex remotis, & lōginquis regionibus,

nibus, prece, & pretio Regni sui socios ascire, quàm lōginquas, & remotas regiones Regno suo adijcere. Norat enim Imperiū facile posse eripi, & surripi. quod armatis viris magis, quàm doctis septum stipatumq; teneretur: illud verò reddi inexpugnabile, in quo consilium, tanquam in Arce Troiana Palladium, seruaretur sapientum. Sensit hoc ipsum aliquando Macedonū Rex Philippus, cui vnus Demosthenes maiori terrori erat Togatus: quàm vniuersus Græcorum exercitus armatus. Quid inquam sensit Macedonum Rex Philippus? imò tota Græcia iudicauit. Nam cur, in ea, Musarum, & Herculis ara fuit communis? vt certè testatum mortalibus relinquerent, Imperij, & fundamenta, & firmamenta ex doctrinæ præsidio esse capescēda. Itaq; neq; Scipio Africanus ab Ennij: neq; Pyrrhus Epirotarum Rex vnquam à Cynea Thessalo recessit voluntate. dixi quasi societate. Siquidem nulla in arce, & arte imperandi, firmior est, quàm doctrinæ cum robore societas. Nam vt ignorantia morbus, in Imperio, est virium: ita doctrina infirmæ, & ægrotæ medicina est Reip. Est autem ignorantia omni doloris acerbitate deterior. Dolore enim deferuescit libido: restinguntur faces arrogantiæ: atq; flāma sedatur intemperantiæ: ex ignorantia cōtra, quia mens ęgrotat, & ratio, omnia hæc vitia manāt tanquam ex turpitudinum omnium sentina. Quid? non par est doloris, & ignorantiæ ratio. Nā vt dolor languentibus caussam præbet patientiæ: ita inscitia ansam ignaris porrigit temeritatis. Nam cur Democritus ex oculorum cruciatu, quos sibi eruit, non interijt Homerus, ex inscitiæ morsu, quòd Ænigma nauticum nescijt soluere? quia res est plena infamiæ inscitia, quam nemo vir bonus potest pati. Non enim mortem timet, aut dolorem: sed dedecus. At quorsum hęc? quoniam si Lerna malorum omnium est inscitia, nihil est rationi tàm consequēs, quā vt doctrinæ numine inuocato, vel potius aduocato, secun-

da ſtatim ex Imperij aduerſis, reddantur omnia. Id autem vt teſtaretur Antiquitas muſas ex Ioue fecit, & memoria natas. Nihil enim eſt Iouis cnm memoria vinculum, niſi veluti quoddā doctrinæ cum diuinitate coniugium. Etenim vt à Deo bonorum præſidia, ſic ex doctrina, malorum omnia accerſuntur remedia. Itaq; ſapienti ex terra, quæ calamitatum omnium eſt prouincia, neq; infelix eſt exitus: neq; ſtatus non felix, & beatus. Etenim nihil eſt, apud veteres ſcientia, niſi Atlantis Clypeus, quo qui armabatur, nec videri, nec inuideri, nedum lædi, poterat ab hominibus. Nam qui in adytis Muſarum, & penetralibus deliteſcit, omnia cernit abſens: à nemine præſens cernitur: nec lędi poteſt, quia malis nouit benè vti. Nihil enim eſt tàm renitens rationi, quàm vt qui vir bonus ſit, malè ſe habeat, aut perperam agat, qui benè intelligat. Quòd ſi qui ſunt, qui multi ſunt, qui ad doctrinam benè induti vitam agũt turpem, & inhoneſtam, eos ego non Philoſophos: ſed Philologos eſſe duco. Illi enim norunt etiam benè agere: hi tantum benè dicere: illi dormientes vigilare, hi vigilantes ſomniare. Quare doctè veterum ſchola, eum, qui ſapit, per Ianum, duplici fronte figurat, alia quippè facies eſt intelligendi vera: alia, quæ iuſta ſunt agendi. duplex enim eſt hominis vita, vna, quæ in contemplatione: altera, quæ in actione conſiſtit. Quare ſolus ſapiens bis viuit. vitam enim agit ſimul & Aiacis, & Vlyſſis. Siquidem in tractando Imperij clauo, modo obſcuriſſima quæq; conſilij luce illuminat: modo laborioſa arte corrigit: nunc leges, ingenio: nunc virtutes nutrit obſequio, ac deniq; ex difficillibus, facilia, & ex infeſta grata reddit omnia. Nam ſapientiæ comes eſt ſolers, & vigilans induſtria, in quo docendo, ne ab Antiquitatis teſtimonio recedam, cur arbor populus Herculi eſt ſacra? quia, cùm tempus omnia habeat, qui tempori paret, nullum vitæ ſuæ tempus videt ſtudio, & labore vacuum. Non obſcura

eſt, per

eſt, per eam arborem Herculi ſacram, ſolertiæ, & ſtudij imago. Nam cum eius frondes ex vna ſuboſcuro, ex altera parte, candido colore ſint ſuffuſę: ille noctem, ad veri ſtudium: hic diem, ad laborem virtutis figurat: quorum alteram ſapiens vix vnquã conſilio habet inanem: alterum trahit ſemper plurima conſpiratione refertum. Laborioſè, fateor, fit vtrunque, ſed laborem omnẽ abſorbet magnitudo gloriæ. Etenim ſi nihil ſit turpius, quàm quod fruſtra fit, quid fieri poteſt glorioſius, quàm quod fit à ſapiente, cuius præmium eſt virtus, virtutis ipſe Deus? fons igitur, & caput publicę felicitatis, vna eſt, in Imperio Principis ſapientia. Etſi enim in eo multi ſapiunt, omnes tamen Principe inſipiente, ex ſapientibus ſtolidi redduntur, & fatui. quid dicerem ex fortibus, & ſtrenuis, imbelles, & ignaui? Chabrias Imperator Athenienſis non dubitabat aſſerere longè horribiliorem eſſe Pecudum exercitum Duce Leone, quàm Leonum, Pecude imperante. Nam ſine duce, qui armati ſunt, aduerſus ſe, arma gerunt. Si igitur ignauiæ comes inſcitia, in Principe, totius Imperij eſt calamitas, & ærumna, res eſt Imperio ominoſa, vbi Princeps aliorum, non alij egent Principis conſilio. Nam in imperantis inſcitia lues omnis deliteſcit Imperij, & contagio: ſi tamen Imperium poteſt conſiſtere in obſcuro inſcitiæ erebo. Quid enim eſt in malis, cuius acerbitatis virus ſit inſcitiæ plaga deterius? non paupertas, quia virtutis eſt amica: non dolor, quia fortitudinis obſes eſt, & tolerantiæ: non deniq; exilium, quoniam longè miſerius eſt mente, quàm patria carere. Quare felicitatis primordia ſunt ab animi virtute petenda: ſumma verò mala ab eius vitio timenda. Vt enim ex ægrotatione infirmi, ſic ex ægritudine homines redduntur inſani: qui quoniam à ratione ſunt abalienati, neſciunt corpore vti. Quamobrem ſemper artes, & ſcientiæ, in Imperij tutela, plurimi ſunt habitæ. His enim inſtructi milites redduntur actione

agiles:

agiles: celeritate strenui, viribus robusti: ingenio ad insidias acuti, ac deniq; animo ad toleranda pericula omnia, fortes. Nemo quippè scit in eo, aut timere, quod benè didicit, aut animũ tollere, quod malè intelligit. Est enim inscitia, in omni rerum administratione, pauoris consors: scientia contra audaciæ comes, & socia. Nam qui in bello, imbecillis, intelligens tamẽ existit Imperator, facilè robustiore superior euadit. Ita quippè rebus alludit hostium, vt hostes facile illudat: ab ijsq; illusis imprudentiæ simul, & inimicitiæ pœnas sæpè atrocissimas repetat. Atq; vt crescit Imperium cum imperantis eruditione, ita eruditio incrementum capit cum viri eruditi ingenio. Nã quare Hercules dicitur Linum occidisse Magistrum? non vt parricidij vapulet crimine: sed vt censeatur magistrum ea doctrina, & ingenio superasse, vt magistri visus sit occasus, & interitus. Quot igitur sunt apud Insubres, Regij Senatores, tot reuiuiscere videtur Hercules, qui quam ab alijs acceperunt doctrinam, tot ingenij dotibus locupletarunt, vt luminis plus addere videantur doctrinæ, quàm ex doctrina accipere. Ex quo fit vt eorum Senatus; non solum verus sit Musarum Chorus: sed etiam fidus Imperij custos, obses Iustitiæ: Concordiæ minister: opifex iuris: publicæ vtilitatis parens: religionis propugnator: atque regiæ gloriæ decus, & ornamentum. quid multa? nulla tanta, ad externa bona, est fortunæ vis, quæ, ob vtilitatis magnitudinem, non cogatur eorum sapientiæ cedere. Etsi enim olim Græcia Timotheum Atheniensem Ducem adeò fortunatum fecit, vt dormiens in bello, nunquam expergisceretur, nisi potitus victoria: idcircoq; a Pictoribus dormientis exprimebatur figura, cuius in nassam omnia se insinuarent imperia: multò tamen eo felicior est hic Senatus, cuius gloria Cedro, veteri prouerbio, est digna, id est æternitate, non tempore definita. Nam is fortuna commutata, & vitam, & animam simul egit miserã:
Hic

Hic verò ille est Senatus, cuius virtutis nulla existit vicissitudo, cuiusq; constans ad felicitatem, & perpetua est gloria: si tamen cõstans id esse potest, quòd finem nullum facit ad gloriam crescendi. Nullus enim eius gloriæ est exitus: cuius virtus nũquàm deficit. Nec alia de caussa aut Creta Iouem: aut Athenæ Theseum, aut Osyrim Ægyptus in Cœlum laudibus sustulit, quàm quòd cœlum summæ virtutis est patrimonium. Summa autem virtus est, qua habenæ tractantur Imperij. Itaq; à Persis Cyrus: à Thebanis Epaminundas: ac deniq; a Romanis Quirinus inter diuos sunt relati. Magna verò sapientissimi huius Senatus gloria, qui cum in iure, & legibus firmamenta fixit Imperij, fecit vt in terris gloria par suæ virtuti minimè possit reperiri. Sed quid ego iam Senatum cum Principibus armatis comparo? multò vtilior est Reip. vir inermis sapiens armato Imperatore. Nam hic fortunæ: illi fortuna subijcitur. Ita; Regna olim, vt docet Diodorus, non ad Principum liberos: sed ad eos, qui virtute, & doctrina cæteris præstarent, deferebantur. Etenim si benè attendimus, Regni munimenta, nõ generis dignitate, sed animi virtute non virium robore, sed doctrinæ præsidio firma redduntur, & inconcussa. Nam sicuti ex ignorantiæ pedore, nõ solum sordet, sed etiam interit imperij dignitas: ita in prudentiæ campo fundatum, virescit vulnere Imperium. Quare nulla pestis, & eluuio Imperij tanta est, quæ ab inscitia Imperantium non sit metuenda. Quæ enim Regna olim per virtutem, summa arte fuerunt erecta: illa sæpè magis administrantium culpa, quàm crudelitate hostium, restincta sunt, & deleta. Neq; enim aut Mycerarum Rex Agamemnon Troiam euertit: sed Paridis lido: aut Carthaginem Scipio Africanus deleuit: sed Amelcaris, & Annibalis inuidia, qui si parere virtuti didicissent, staret etiamnum fortè cum virtute eorum Imperium. Stirps igitur, & semen non solum peccati: sed etiã exitij in Imperio est ignorantia,

rantia, quæ eò omni morte est deterior, quòd sæpe mors sit glo riosa: nunquam non infamis ignorātiæ macula. At res est mors misera: ignorantia autem rerum omnium miserrima. Nam qui moritur, sensus tantum corporis amittit, qui perniciosissimi libidinis sunt satellites: qui verò ignorantiæ laborat vitio, sensus etiam deserit rationis, qui virtutum omnium architecti sunt, & opifices. Quare si Zenonem, & Empedoclem consulimus, qui ignorantiæ dedecus refugerunt, mortem vultrò appetiuerunt, longè deterior est, in Imperio Imperantis ignorantia, q̃ mors, & interitus. Sed quid ego priuato magis, quàm publico, ad hanc rem, vtor iudicio? Athenienses ignorantię pęnam, vt Persæ, olim fecerunt capitalem: nec tantum ignaros dānabant legibus, sed etiam qui ignorantiæ caussam dedissent. Quorsum hæc? non vt damnem ignorantiam, sed vt tanquam summum, aut solum potius bonum probem esse doctrinam: sine qua neque domi, neque militię est, quod possit in bonis haberi. Qui enim aut in pace, cadit ab intelligentia, ruit in omnibus: aut in bello, congreditur, cum peritiore, suo se iugulat gladio. Itaque robustior est homuntio sine viribus, doctus tamen, quàm qui vastissimo sit corpore, sine eruditione. Hic enim non potest: ille potest Atlanticum onus sustinere. Quid ita? duplici certè de caussa. Primum, quia longè, in rebus magnis sustinendis, validiores sunt animi, quàm corporis vires: deinde quoniam cùm virtus crescat cum labore: vix vllo vir bonus relanguescit laboris onere. Nam qui cum virtute nescit otiari, laborē amat, tanquam animi quietem, & veluti quandam felicitatis sedem. Quocirca si fortè roget quis, quæ res omnium sit difficillima: neque, vt Demosthenes, respondebo, omnibus placere: neque, vt Plato, Ciuitatem expugnare: sed sapere, quod qui facit, omnia ex difficillimis reddit facillima. Quid igitur aut potest, aut non potest, qui maximè sapit IACOBVS MAINOLDVS

Am-

Amplissimi Senatus Præses? ei nihil in ttactando Imperij clauo potest videri difficile, qui nouit bonos viros spe ad virtutem, concitare: improbos a vitijs, metu reuocare: neque solum ciuium bona extruere, sed etiam ciues ipsos instruere, neq; aliter de iure dicere, quàm ius ipsum diceret, si loqueretur. Quare quod dicit, non solum auctoritatem habet iuris: sed etiam Dei immortalis. Nihil enim est ius, nisi mentis diuinæ interpres, & nuncius. Itaque neque Trimegistus Ægyptiorum legislator, quas scripsit leges suas fecit, sed Mercurij: neq; Zoroastres, quas Persis rogauit, sibi ascribi voluit, sed Oromasi. Quid cœlestis ille, & diuinus Plato? quia quæ vera sunt, eodem sapientiæ sensu semper resonant, non dubitauit, quos scripsit libros, eos tanquã vel à Socrate, vel ab Alcibiade, vel a sapientissimo quoque totius. Græciæ dictitatos extrudere. Quare ego Platonem, atque veterum simul consuetudinem imitatus, quæ de sapientia Principis scripsi Elogia putidum esse duxi, non quasi IACOBI MAINOLDI FACERE, cuius admirabili virtute, & doctrina maximè recreatur iam ars, & disciplina imperandi. Quod autem opus de ea re scripsi, quia veluti quoddam est simulacrũ Senatorij, apud Insubres, ordinis, quem semper cum admiratione suspexi, placuit ita scribere, vt non solum videatur Sapientissimo Præsidi Senatus MAINOLDO ascriptum, sed etiam ex singulari eius sapientia descriptum. Nam in eo maximè ars residet imperandi, hoc est disciplina Dei immortalis, cui regia debetur dignitas: Imperium summum, atque simul obsequium singulare. Quoniam autem sine sapientiæ præsidio, sua mole ruit Imperium, qui rudis est Princeps, debet magis, & domi, & militiæ seipsum, quàm hostem cauere. Quid enim est Principis inscitia, aut in otio, & pace, nisi virtutum venenum: aut in bello, nisi vexillum malorum omnium? Plures sunt, quàm in Dedalico Labyrintho, vnde detrusis nullus dabatur

batur

batur regreſſus,in ignorantiæ clauſtris errorum flexiones,& di uerticula. quid dicerem,vbi res ardet bello,periculorum? igno rantia ferrum,in bello,aduerſus gerentem exacuit. nec virtus militaris ibi poteſt eſſe, vbi eſt ignorantiæ locus. Quis enim poteſt in periculis eſſe fortis, qui non eſt intelligens? ſola ars anſam homini porrigit ingenij, & virtutis: eoq; ars ab arcendo eſt dicta, quòd mortalium mentes arceat ab omni opinionis errore. Nam ea tantum de cauſſa, mors, vt ait Epictetus, terribilis eſt, quia nos opinio perterret mortis: non quia mors mala eſt: alioquin & Socrati, & Zenoni, qui ſapientes cum eſſent, mortem contempſerunt, fuiſſet terrori. Quid? nihil eſt, in periculis, milite ignorante timidius, atque ſimul inconſtantius. Nam ſicuti virtutis nulla eſt viciſſitudo, viriq́, ſapientis tanta eſt conſtantia, vt nunquã alius ſit in alia fortuna: ita ignarus, qui non conſiſtit in ratione, ſemper inconſtantiæ contami natur crimine. Doctè igitur Plato, qui Herculis clauam, in Imperio defendendo, vocauit doctrinam. Hac enim mactatur ignorantia, quæ bellua eſt, non multorum vt Hydra, ſed omnium ſimul capitum. Nec certè quidem adeò Herculi exuuium glorioſum fuit Leonis: quàm ſapienti in Imperio præclarum eſt ſpolium vitiorum. Qui igitur Dux & Imperator, artium eſt ignarus, is & in periculis comes, & extra pericula, comis vt habeatur, ita aliena curat vitia, vt delinquentibus non pœnam videatur infligere; ſed delicti medicinam afferre. In quo non poſſum Imperantis induſtriam patientia inueteratam, non vehementer probare. Nam is demum non ſolum iuſtè, ſed etiam humaniter nouit imperare, cuius ſtomacho, & callum induſtria obduxit, & callem ars omnem ad beneuolentiam aperuit. Hanc qui habet in populo, populi habet gratiam, & amorem, id eſt poſſeſſionem bonorum omnium. Nam bona non eorum ſunt, qui ea poſſident, ſed eorum, quorum poſſidentes trahantur

tur

tur amore. Nullusnè igitur indigens ſapiens? certè. Nam virtus exploratum egeſtatis habet remedium, cùm ſit omne bonum. Nec alia ratione Pallas ab Orpheo mas, & fęmina decantatur, niſi vt inde fas ſit odorari ſolum ſapientem ſibi ſufficere: totumq; ex ſe, non ex alijs pendere. Quid inquam ex alijs pendere? imò ex vno omnes pendent ſapiente. Nam cur Pallas cenſetur ex Ioue eſſe nata, oleamq;, & oleum inueniſſe, niſi, quia ſapiens eſt Iouis, & Hæres, & Miniſter? itaq; ſapiens nulla poteſt rerum neceſſitate laborare: poteſt ſcientiam neceſſitatis medicinam Reip. miniſtrare: quæ eſca eſt publicæ felicitatis, & infirmæ Reip. incolumitas, atque vita. Sed quid Antiquorum arcana altè repeto: quod autem ob oculos verſatur mortaliũ omitto? nihil latet in virtutis nomine, quod non æquè licet in Senatorio hoc ordine, atq; ea, quæ oculis cernuntur, videre. Nam cùm fons, & caput doctrinæ ſit ingenium: doctrina virtutis: virtus benè inſtitutæ Reip. nulla eſt rerum in Rep. commendatio, quæ non videatur patrum eorum ſingularis, & propria Notat enim Antiquitas Alexandrum iracundiæ: C Cæſarem ambitionis: Pompeium ſuperbiæ: Annibalem perfidiæ: Veſpaſianum auaritiæ: Traianum temulentiæ: M. Aurelium libidinis, ac denique alios alio culpat crimine. Nemo autem adhuc inuẽtus eſt, qui potuerit Senatorium eum ordinem, tanquam ſapiẽtiæ officinam non laudare, in qua non ſolum ſunt vitiorum remedia: ſed etiam virtutum omnium firmamenta. Nam quid attinet de Senatoribus, qui iuris, & iuſtitiæ ſunt opifices, atque bonarum omnium artium architecti, dicere? nemo Senator, in eo ordine, eſt ſine ſapientia: nemo ſapiens, qui non maiorẽ affinitatem habeat cum Deo, quàm cùm ipſis hominibus. Trita, & vulgata eſt veterum auctoritas. Nam cur amabo Palladi templa in eminentiſſimis arcinm turribus erigebant, niſi vt ſapientiam docerent in eorum animis tãtum habitare, qui alta, & diuina

uina

uina colunt: exulare contra ex eorum mentibus, qui amant quę depressa in terris, fluxa sunt, & caduca? Atqui solus sapiens nouit regere. Nam ea est sapientiæ vis, quæ, vt testatur Protagoras, non solum mensura est rerum intelligendarum: sed etiam agendarum, & vitandarum, quibus ab Aristotele humani generis vita omnis est definita. Hùc pertinent, in Phædro, apud Platonem Alæ illæ duæ Reip. Etenim neque scientiæ, sine virtute, neque virtutis, sine scientia in tractando Imperij clauo magna est vtilitas: quod si Resp. geminis ijs alis attollitur, facile gloria in cœlum euolat. Nam quod sapientia viget Imperium, in eo nec robur desideratur viriũ: & populi societas arctissimo amoris constricta tenetur vinculo: quod in Theęteto vt doceret Plato, sapientiam figurauit Columbarum Hieroglyphico. Nesciũt enim Columbæ nõ habitare in Curribus, in quibus firmissima aduersus hostes Imperij tenentur propugnacula: à columbis præterea, si veteres audimus, Currus trahitur Veneris, hoc est amoris, cuius arctissimus est ad populi concordiam, nodus. At quid dudum circonrodere videor, quòd statim est deuorandum? non adeò contra hostes ferro teguntur ciues: męnibusq; muniuntur Ciuitates, quàm vnius sæpè viri sapientis ingenio, & industria. Potuit enim Lycurgus, sine armata manu augere: non potuit armata manus, sine Lycurgo, Imperium seruare Spartanorum. Ea enim est doctrinæ ratio, vt quasi quandam in rebus gerendis, vim obtineat numinis. Itaq; Lycurgus, apud Spartanos, in dubium venit, num in virorum, an Deorum numero esset habendus. Nemo igitur est, qui non malit in periculo vitæ, & rerum discrimine sibi Præsidio comparare ingeniũ parui Vlyssis: quàm vires ingentes vasti Polyphemi. Nihil enim est ingenium, si nominis vim, ad viuum velimus resecare, nisi ingens Genius, hoc est, si veterũ superstitioni credimus, Deus aliquis familiaris, quo duce, tanquam Socratico Demone,

nemo

nemo poteſt in errorem, & periculum incurrere. Quocirca nihil eſt Principis ſapientia, niſi Imperij incolumitas: populi robur: Reip. ornamentum: conſilij decus, atque publicæ felicitatis inexpugnabilis armatura. Sed vt ab Imperij felicitate recedam, an quicquã eſt in bonis, aut vtilius, aut ſuauius doctrina? alterum inficiatur Anaxagoras, qui omne patrimonium ſuis conceſſit, vt liberius vacaret doctrinæ: alterum pariter negat Carneades, qui diſciplinæ ſuauitate, etiam in menſa, & cibi, & potionis ſæpè capiebatur obliuione. Non enim plus in Nectare, & ambroſia, quàm in virtute, & doctrina reſidet ſuauitatis, quibus vniuerſa humani generis felicitas eſt paſcenda. Tanta autem vtriuſque eſt cognatio, vt doctrina virtutis ſit procreatrix: virtus doctrinæ ſoboles. Itaque Athenienſes olim de virtute oraculum conſulentes reſponſum ab Apolline Pythio acceperunt, vt optimum quod eſſet, ſi vellent bonis viris Ciuitatem redundare, puerorum auribus inſererent. Illi aurum Pythij, reſponſo incognito, inſeruerunt: doctrinam ille intelligebat, quæ virtutis magiſtra eſt, & domina. Nam cùm nemo ignorans ſit non malus: qui doctus eſt, vir bonus ſit oportet. Nam in doctrina, niſi planè habeſcimus, nullus eſt errori in quo conſiſtat locus. in quo ne veterum auctoritatem deſeram, cur Phœbus adhuc in Cunis, Pythonem ſerpentem interemit? non obſcura: non anceps eſt ratio. Nam principium, & fundamentum eius, qui alijs imperat, doctrinæ, in eo maximè conſiſtit, vt ſordes omnes ex intimis hominum ſenſibus pellantur vitiorum, quæ tanquam ſerpentes humano generi venenum fundunt communis vitæ, & publicæ ſalutis. Sed quo me mea, vir ſapientiſſime, abducit oratio? quia ſcripſi de Regia ſapientia centum Elogia, hęc quæ partim ex veterum reconditis monimentis

ſunt petita: partim cum ſapientum præceptis recognita, accipies ea libenter, & accipies non vt munus, ſed vt muneris ſummæ tuæ Amplitudini deſtinati pignus. quod vt æquo animo facias cupio auidè: rogo autem vehementer.

Vale.



DIPHTERA IOVIS
Siue
DE SAPIENTIA
PRINCIPIS.
HENRICI FARNESII EBVRONIS I. C. & Artis Oratoriæ Interpretis Regij.

LIBER SECVNDVS.

Quòd veluti quidam concordiæ nodus sit Principis cum Populo Senatus. Elog. I.



VLLVM concordiæ vinculum ad aſtringendam Principis fidem cum populo,& populi cum Principe arctius eſt Senatu. Cauet enim hic ne alter tyrannide: alter fractione iura violet Imperij. Nam vt Princeps iniuſtè imperans nullo negotio redditur tyrannus: ita populus ægrè obtemperans facilè ſeditioſus fit,& turbulentus. Nihil eſt igitur Senatus, niſi veluti quoddam concordiæ templum, ex quo conſenſus omnis petendus eſt, & conſpiratio imperij. Non minus ad eam rem, ſuo erudiuntur emblemate mortalium oculi: quàm aures longa ſapientum oratione. *id quippè effictum, formatumque per Geryonem armatum tricorporeum*, docet imperij trinitatem vno concordiæ fędere, reddi inſuperabilem. Quemadmodum enim Geryoni, vt eſt in fabulis, non pauci ſunt neutres: multæ manus: membra plurima; quæ tamen omnia vno tantum regun-

tur animo: ita ars imperandi, personarum trium adminiculis, vnaque duntaxat rerum concordia, domat vniuersa. id in Platonis Dialogo XI. de legibus non difficile est odorari. Nam cur asserit à tribus Dijs artem omnem imperandi prodire, à Vulcano: à Pallade, & Marte, eorumque trinitatem semper facit Ioui assistentem? quia in Imperio, Mars Principis habet interpretationem; Pallas, Senatus: Valcanus populi: quid ita? quia est Principis posse: Senatus scire: velle populi, quæ omnia in imperio, si adsunt personarum genera: nec Prora nec Puppis deest imperij. facit autem Senatus scientia, vt & in Principe, imperandi crescat potentia, & voluntas obtemperandi, in populo. Quare nisi in scientiæ Senatoriæ campo, salutares illę duæ adolescant imperij stirpes: ambæ magis fiunt nullæ, quàm inutiles. Siquidem ex imperantis, & obtemperantis concordia, magnæ res ex paruis: vt ex discordia, paruæ ex magnis euadunt. Nam concordia imperium dedit populo Romano: extorsit discordia, ex cuius flamma, vt scribit Xenophon, pestis, & eluuio maximè nascitur imperij. Hæc quippè illa est, apud Poętas, furia infernalis, quæ Alecto à verbo græco ἀλυκτω dissoluo dicitur. Nam Regna vniuersa sola euerserit discordia. Quare Concordia, vt Anthistenes solet dicere, quouis muro firmius est imperij munimentum. Amo igitur Mediol. Senatum multis nominibus: primùm, vt concordiæ communis opificem: deinde colo, & obseruo, vt summum publicæ salutis propugnatorem. Nam sicuti Plato leges Minois: Lycurgi: & Solonis sumpsit, atque ex illis ademit, addidit, & mutauit quod expediret suæ Reip. ita Senatus Regius hic, & ducalis, suum, Platone magistro, iudicium constituit non ex opinione hesitantium, sed ex sapientum religione, quæ veluti quoddam iuris, & diuini, & humani, quo vniuersa reguntur, est Sacrarium.

Quòd

Quòd imperium crescat, & decrescat cum iustitia, quæ Senatus est singularis, & propria. Elog. II.

NVlla in Imperij Campo, feracior est planta, quàm Senatus doctrina. Nam imperant docti: imperata faciunt viri boni. quid? nulla, vt vno verbo summa veterum complectar volumina; beatior est Resp. quàm ea, in qua imperent qui animi virtute obediant, qui virium robore plus valent. In vtroque autem & fundamentum, & firmamentum consistit iustitia, quæ rerum omnium magistra est, & domina; quæq; nouit non solum oppugnare, sed etiã expugnare flagitia vniuersa. quid flagitia? imò quæ neruis, & viribus aduersa sunt omnia. *Emblema exprimitur per Bouem in Ara à Sacerdote oblatum.* iccirco enim Antiquitas robustissimã animantem, labori intentam in sacrificijs adhibebat, vt intelligerent mortales non solum virium robur cedere iustitiæ: sed etiam iustitiam religionis sociam studio, opera, & labore esse nutriendam. Quare nulla vnquam benè instituta extitit Resp. quæ non vel omnem, vel maximam imperij auctoritatem cõmiserit iuris, & iustitiæ alumnis. Nihil enim est iustitia, si fidẽ modo habemus Antiquis, nisi vis, & robur Atlantis, quo vniuersi globum suis sustentat humeris. Quocirca ars tractandi gubernacula imperij, vna est rationis consors, & religionis socia, iuris, & iustitiæ disciplina, quã qui habet, prodesse scit omnibus: nemini scit nocere. id cùm sentiret Diogenes, interrogatus aliquando quisnam inter liberos melior esset futurus, qui erudiretur respondit. Non enim in theatro sedebit lapis super lapidem. Omnes itaq; iam scholæ socratico hoc resonant dicto: vnicum bonum esse, scientiam: vnicum malum, inscitiam. Quoniam autem fluxum, & caducum est, sine legibus imperiũ, qui custos est imperij, nihil adeò seruare debet, quàm

leges, quas non modo ſeruat Mediol. Senatus: ſed etiam omnium bonarum artium comitatu exornat, ſiquidem vt olim Cato Cenſolius, apud Romanos, optimus erat orator: optimus imperator, & optimus ſimul Senator: ita in regio hoc apud Inſubres ſapientiæ Sacrario, quot ſunt Senatores, tot videntur reuixiſſe Centorij Catones, quid inquam Senatores. imò Optimates. Nam ſoli norunt, in re aduerſa, ex malis bona, & ex bonis optima reddere omnia.

Quòd in Senatus nomine ſummum ſapientiæ deliteſcat patrimonium. *Elog.* I I I.

NON minus doctè, quàm glorioſè Senatus à ſenio apud Rom. eſt nominatus. Nam vt ſenium ætas eſt ſapientiæ, ita ſapientia, quæ neq; errare ſcit, neq; iacere, medicina eſt ęgrotę Reip. à ſenione igitur ſenatus? certè. ſola enim ſapientum virtus, quæ neq; ægrotare ſcit, neq; mori, mortalitatis remedium eſt, & ſenij. Itaq; apud veteres, quilibet cœtus ſenior, alijs tanquam Rex, cui parent omnes, imperabat. Sapit igitur Senatus ſuo nomine non ſolum imperandi artem, qua vniuerſa reguntur: ſed etiam quaſi quandam imperij æternitatẽ, effingitur ad hanc rem Emblema non tenebris offuſum, ſed rationis luce illuminatum, per Iouem, cuius hæc erat figura. *Iupiter ſedens: ſuperiores corporis partes nudas: inferiores opertas habens læua ſceptrum: dextra Aquilam geſtans.* quo ſimulacro admonebantur mortales imperium ſine ſapientia, non eſſe domicilium pacis, ſed exilium: ſapientiam elatis ingenijs apertam, depreſſis eſſe occultam: ac demum robur omne imperij, neruis, & viribus cedere ſapientiæ. Nam cur ſedens? quia ſola virtus, in imperio, ſedes eſt quietis: quare nudæ ſuperiores corporis tãtum partes: tectæ verò reliquæ? quoniam elatis tantum ingenijs ape-

riuntur diuina: reliquis tenentur occulta, quid denique quòd læua ſceptrum dextra tenent Aquilam? vt cùm illud ſit imperij: hæc ſapientiæ monimentum, intelligamus ſapientiam nunquam cedere imperio: ſemper imperium ſapientiæ. Quid? partes agit Iouis imperans, cui ſi ſceptrum adeſt, ſine Aquila non gerit ſceptrum Iouis, ſed Calamitatis. Haud enim quicquam hæc ales oppugnat, quod non expugnat: habet præterea, & infirmitatis, & ſenij aduerſus mortem explorata remedia. itaque ſola alitum nulli morborum generi redditur obnoxia: ſolaque ætate ingraueſcente, nouit iuuentam, depoſita ſenecta, recuperare. Non difficilè eſt quid res ſibi velit odorari. Nam qui habet ſapientiam in imperij tractando clauo, firmiſſimam habet contra, & egeſtatem, & iniuriam, & mortem, loricam. Cur contra egeſtatem? quoniam ſolus aduerſus omnia mala ſibi ſufficit. Nec eſt quòd aut iniuriam timeat, aut mortem illam, quia ſedendo vincit ſapiens. itaq; vnus Demoſthenes Philippo Macedonum Regi, maiori fuit terrori, quàm vniuerſa Græcia armata. Hanc, quoniam neq; conſeneſcere, neq; mori poteſt virtus ſapiētis. Quare, vt Regibus Apum, in fronte, nubecula quędam, pro diademate eſt candicans: ſic ars, diuturno naturæ exēplo præcepit, vt viri Cani, in ſolio ſedeant imperij. itaq; Lycurgus quos ſenatores conſtituit γερωντις, hoc eſt ſenes nominauit, longè prudentius Rex regum Philippus, qui non, vt ille ſapientiam ętate: ſed ætatem Senatorum definit ſapientia. Nam ſicuti ille verus eſt peregrinus, qui etſi nunquam pedem domo extulit, Geographiæ tamen non eſt rudis: ita is etiam in alieniſſima ætate videtur ſenex, qui in deliberando exemplorum vim tenet, & antiquitatem temporum.

Quòd Senatus æque armatum, atque togatum ius teneat.
Elog. IV.

NIhil Regiæ maiestati neque domi, neque militiæ fingi aut excogitari potest ad Imperij felicitatem, Senatus grauitate expeditius. Nam sicuti viridarij Rosas: Lilia: Violas, & cęteros eius generis flores suauius ibi spirare putãt: vbi Allia plantarint, & Cępas, eò quòd quicquid putridum est, & olidum in ijs floribus, ab alijs absorbetur, & Cępis: ita vbi a populo non lungo seueritatis interstitio abest Senatus, ibi populus non suis modo enudatur vitijs, sed etiam plurimis Senatus collustratur virtutibus. Nec domi solum iustus est Senatus: sed etiam fortis in bello, inter iustitiam autem, & fortitudinem tantum interesse censeo: quantum inter Iouem, & Herculem interest, eò quòd illa Iouis: hæc virtus sit Herculis: vtrãque virtutem, quia possidet Senatus, veram aduersus omnia mala, possessionem habet felicitatis, quod omne non minus festiuo, quàm erudito Emblemate figuratur per *Cadmum Occisi Draconis dentes serentem, ex quibus & lectus, & electus mox armatus ortus est Exercitus*. Nota, & peruagata est fabula, ex cuius commento intelligimus nullam tãtam esse vim: tamq; immanem, & barbaram, quæ non cogatur sapientis virtuti cedere. Quoniam enim qui sapit, nouit, vulgato prouerbio, ex ipso Boue lora sumere, nihil ei est facilius, quàm vt hostes suo se iugulent gladio ansam rapere. Nam quòd Draco Rex est Serpentum omnium: quodq; commune habet, & per mare nare cum Piscibus: & per aera, cum alitibus volare, atque per terram grassari cum quadrupedibus, solusq; inter omnes animantes nũquam somnũ videt; id omne eò pertinet, vt intelligamus eũ esse Senatũ, qui nullas ad victoriam, non nouit vias, qui labores patientia: dignitates omnes vincit virtute: qui denique quasi Cadmus

nouus aliquis poteſt plus, quàm ipſe Draco. Quemadmodum enim animalium aliud eſt ferum, aliud humanum, robuſtiſſimumq; propter conſilij vim, cedit imbecilliori: ita in armis nō ſcientia viribus: ſed vires cedunt ſcientiæ. Amo igitur in bello non robuſti militis ferrum: ſed viri ſapiētis iudicium, quod rerum ad victoriam, & agendarum, & vitādarum veluti quoddam eſt ſpeculum, in altero enim pugnandi: in altero ars magis exiſtit vincendi. Etenim neque Athenienſes ſine Themiſtocle Xerxen ex Græcia: neq; Romani, ſine Camillo, Gallos ex Italia expuliſſent. Non enim in Exercitu numerus vincit, ſed virtus. Nam vt pugna committitur viribus: ſic virtute extorquetur victoria. Hic autem vnus eſt Senatus, in quo Themiſtocles ſunt non pauci: multi etiam Camilli, quorum arte, & ingenio veluti quodam cibo nutritur imperij virtus, & gloria. Longè autem difficilius eſt in pace iuſtè regere, quàm fortiter in bello vrbes expugnare. Nam cùm duplex ſit ius, togatum & armatū, cur Antiquitas illud Phœbo: hoc tribuit Marti? quia & plures, & ferociores hoſtes expugnantur conſilio, q̃ ferro: longèq; vir togatus, in imperio regēdo, armato militi eſt anteponēdus.

Quòd Senatus conſilium, imperij, ad felicitatem ſit vehiculum. Elog. V.

QVemadmodum in dolorum facibus, & morbi periculis, non noua à Medico: ſed ſalutaria geſtit audire infirmus: ita Princeps in curatione ægrotæ Reip. non quæ grata ſunt: ſed quæ publicæ conducunt ſaluti, ex ſapientiæ fundo legere, & colligere debet, Senatus conſilio, vbi enim uiget auctoritas Senatus: ibi non parua, vel ſumma potius ad imperij incōlumitatem fit acceſſio. quid dicerem felicitatem? res grādes non virium fiunt robore: ſed conſilij neruis, & viribus.

Hoc

Hoc in Emblemate præsefert *Persei figura, cum capite Medusæ, qui multa regna sibi subijciat*. Perseus hastes lædere poterat, quia quicunq; in Medusę caput oculos cõijciebat, mox in saxũ obrigebat sensu carentem: lædi ab hostibus non poterat, quoniam Orcigalea obtectus à nemine, vt est in fabulis, cerni poterat. Quare Perseus dictus est à verbo græco περθω destruo, eò quòd terribilia destruantur vniuersa consilio: quo sapienti omnia ex difficillimis reddũtnr facillima. Nam qui potuit aut non vidẽdo Medusam truncare capite: aut videndo in silicem vt cęteri non abdurescere? auersus Medusam, ne videret aggressus est, vt videret: quod speculum habebat spectabat Palladis: eaq; arte fecit, vt non videns, Medusam videret impunè, eamq; falcato Mercurij ferro truncaret capite. quid? non solũ absens adest: sed etiam non videns, omnia videt, qui in deliberando, non Solis luce vtitur, sed prudentię, qua cum & crescit, & decrescit imperium, illa enim corporis: hęc mentis illuminat oculos: illi libidinum, hi virtutum fidissimi sunt satellites: illi temeritatis, hi consilij sunt Architecti, & opifices. Quia igitur nullum nisi ex occasu consilij, ruere potest imperium, Theopompus Spartanorũ Rex Ephoros instituit: & ita vt id cùm faceret, magnam Regni partem illis adiũgeret, summumq; auctoritatem gubernandi. Ab vxore igitur reprehensus, quòd regnum quasi depressum, & comminutum liberis, esset relicturus, imò firmius respondit, & grandius illis paro imperium. Nam vsque eo, & domi patebit, quousq; fines protrahentur rationis, & foris, tanta *eius erit amplitudo, quantum dilatari poterunt*, & iuris, & iustitię termini. Cùm enim virtuti omnia cedant, qui princeps habet virtutis possiessionem, habet pariter ratum in omnes gentes imperium: cuius & flos, & fructus hic est, vt suadeat omnibus quid velit. Nec alia de caussa Cybeles Currus, quæ Deorum habebatur mater, à Leonibus, vt placet Antiquitati trahebatur,

nisi

nisi vt intelligeremus ferocissima queq; domari cõsilio, est igitur consilium imperij baculus, sine quo neq; stare, neq; non iacere potest imperium. Quare olim curauit Populus Romanus, ne foris Exercitus à consilijs dissentiret, quæ domi probarat Senatus. Nam cùm haud quisquàm omnia scire possit, tutius est multorum, quàm vel vnius, vel paucorum sequi consilium. Nemo enim ex omnibus sapientibus adhuc inuentus est, qui se nihil non scire profiteretur.

Quòd obses Regiæ felicitatis sit Senatus. *Elog. VI.*

NEminem ferè fugit, quòd vir vnus sapiens prosit Reip. plus consilio: quàm vniuersa armatorum multitudo ferro. Hæc enim malis solum occurrit imminentibus, ille bona etiam, quæ procul absunt accersit, hæc vt plurimum temeritati se committit fortunæ: ille nunquam vllis se rebus accingit, nisi prudentiam sui consilij habeat sociam. De ea autem re, quia elaboratũ est, apud Antiquos, Emblema, non minus interdum de Emblematis artificio, quàm de recondita rei eruditione laborare soleo, effingitur autem id *per Minotaurum Labyrintho inclusum, atq; à Theseo Superatum*. Nam quòd Minotaurus, cui quotannis Athenienses ex præscripto fęderis, septem ex suis liberis mittebant deuorandos, non potuit a tota Grecia: potuit ab vno Theseo superiori, id eo pertinet, vt cõmenti hoc testimonio, nobis persuasum habeamus, nullum esse in terris tam tetrum, & horridum monstrum, cuius vim, & impetum non facilius vincat vir vnus sapiens, quàm ingens armatorum manus. quid ita? quia dicendo expugnat hominis animum, sine quo nemo nouit corpore vti. Nec mirum id quidem. Nam cùm nihil frustra agat ars, & scientia, sitq; eloquẽtia, non alicuius scientię consors, & socia: sed omnis ars, & sciẽ-

tia,

tia, qui est eloquens non solum nouit, orare, sed etiã quicquid vult exorare. Quare nnllum imperij vallum est firmius, quàm quod in arce eloquentiæ est positum. quid dicerem in consilij delubro? nihil est sapientis consilium, nisi Mercurij diuersorium, cuius Caduceus iccircò à cadendo est dictus, quòd eloquentiæ interuentu omnes statim cadant controuersiarum tẽpestates, & procellę. sed ne à commenti pigmento longè abeã, quid quòd Theseus è Labyrintho Dædalico, ex quo semel detrusis nullus vnquam dabatur regressus, accepto ab Ariadne fili glomere impunè euasit? nouit qui sapiens est, non solum in pericula se immergere: sed etiam è periculis emergere, iacent igitur vires omnes in imperij custodia, nisi adsit sapientis prudentia, quæ sola omnibus occurit incommodis: solaq; ex misero, & iacenti felix, & beatum reddit imperium, præclarè id Scipio, apud Ciceronem. Nam sicuti Gubernatori, inquit, cur sus secundus: medico salus: imperatori victoria: ita moderatori Reip. Senatui beata Ciuium vita proposita est, vt opibus firma, copijs locuples: gloria ampla esse possit. Quare qui Princeps sapit, quoniam ei in imperio propositum est, vt populum reddat felicem, eoq;, sicut est apud xenophontem Cyri sententia, vtatur felici, gloriosius ducit prodesse populo, quàm armatos hostes ferro debellare. Nec certè quidem minus laudabile est imperium prudenter regere, quàm pro imperio fortiter pugnare. Rei huius fidem facit minimè ancipitem, & dubiam Regius Mediol. Senatus, qui splendor est imperij: Italiæ Decus: ornamentum Iudiciorum: atque exemplar veræ germanæque iustitiæ, & æquitatis.

Quòd

Quòd olim ſuccus, & ſanguis regiæ auctoritatis erat ipſe Senatus. Elog. VII.

QVę Summa eſt, inter mortales, auctoritas ſapiẽtiæ, eam Senator apud Regem, ſolet habere: quorum alter Dei, alter Regis vices gerit. Itaq; Senator vnicum eſt virtutis ſpecimen: Simulacrum ingenij, & doctrinæ: lumen iuris, & iuſtitiæ, qua reguntur vniuerſa. cernitur id ſuo colore, & figura expreſſum per *Vlyſſem ab AEolo Venos in vtre incluſos accipientem*. Nulli enim ſunt diſcordiarum venti: nullæ inimicitiarum tempeſtates, & differentiarum procellæ, quas non ſit Senatoris in aduerſis Reip. fluctibus, ſedare, & ad optatos exitus accõmodare. Quare Romę olim tanta pęnès Senatũ, fuit auctoritatis acies, vt neq; Rex, neq; Dictator: nec Conſul, nec imperator, nec ullus deniq; Princeps alius, inconſulto Senatu, de Rep. Se vnquam intermitteret. legimus itaq; Diuum Marcũ, alios quę Cæſares orationẽ ad Senatũ habuiſſe, vt ad id, quod rogabant, more maiorum Senatus auctoritas accederet. Etenim qui vel Reges, vel Dictatores, vel Imperatores aliquid contra Senatus decretum factitabant, Tyranni iudicabãtur, Quotquot autẽ apud inſubres ſunt Senatores, tot ſunt Vlyſſes. quid Vlyſſes? imò Æoli. Nam quicunque fortunæ uenti ſunt, eorum arte ſuperantur, motumq; omnem animi, tanquam uentum, in ratione, quaſi in vtre tenent incluſum. Quàm laxiſſimas enim habent commiſerationis, & indignationis habenas, quas & relaxare, & contrahere poſſunt, vt ius, & ratio poſtulat, ſine aliorum indignatione, & ſtomacho. Itaq; nulla gens eſt a ratione tam diſſidens, quin ab ijs ſtatim quaſi quodam diuino ſpiritus afflatu videatur in viam reduci. Præſtant autem regij hi Senatores virtute, quam olim, aut apud Perſas, Homotimi,

mi: aut apud Lacedæmonios ephori, ſed anctoritate lōgè ſunt inferiores. Nam illi Senatores non ſolum populi magiſtri, ſed etiam Regis conſtituebantur cenſores. Quocirca quiſque, vbi Rex ius dixiſſet, poterat à Rege ad eos Senatores prouocare. Perſas, & Lacedæmonios imitatur, hæc noſtra tempeſtate, Polonorum Senatus. Siquidem apud eos talis hodie Rex conſtituitur, qualis & à Platone, & ab Ariſtotele, & à Xenophonte moribus, atq; legibus effingitur, hoc eſt, ne diu circōrodere videar, quod ſtatim eſt deuorandum, Senatus dicto audiens.

Quòd Senatores olim communi cum Ioue Patres appellati ſunt nomine. Elog. VIII.

AD honorem, tanquam ad ignem accedendum eſt. nocere enim poteſt, niſi adſit modus: prodeſſe non poteſt. Itaq; ad Regnum ſi accedit, qui ambitionis igne, non virtutis exardeſcit, regno finitimum eſt Phaetontis incendium; Id ſentiens olim Romulus non ſolum in regendo Senatores ſibi comparauit auxilio: ſed etiam eos Patres, quaſi Iouis appellauit nomine: vt hac vna tantum voce intelligerent quid eſſet regere. Nam apud veteres Deorum Rex Iuppiter dictus eſt, quaſi iuuans Pater. Nec inconſideratè Romulus, virtutis enim Senatoriæ Simulacrum olim expreſſerunt Lacedæmonij per *Iouem quatuor antes habentem*. Etenim quemadmodum quaternus numerus, vt ſentiunt Pythagorei, ſacer eſt iuſtitiæ, ſine qua nihil Imperio poteſt quadrare: ita auris in Sacris Ægyptiorum literis, hieroglyphicum eſt memoriæ, quæ paterno amori ſic eſt deſponſa, vt patri: nunquam ex animo excidant liberi, ſemperq; abſentes adeſſe videantur. Tanta quippè in patre erga liberos, vis eſt amoris, vt etiam procul magis, quàm ſecum, agat cum liberis. Patres igitur imperij Senatores

res

res à Romulo,& facti, & nominati,tanquam obſides Iouis, & alumni publicæ adminiſtrationis difficultates omnes ſuperarunt magnitudine vtilitatis. Præclarum verò nomen. Nam & Deus,apud veteres vocatus eſt humanæ ſocietatis pater: quos imitata poſteritas,ſuos Principes patris honeſtauit nomine. Nihil enim eſt in virtute præmij,vel ad gratiam, vel ad dignitatem, vel ad vtilitatem,quod pater ſuo non contineat nomine, id autem nomen habent Senatores partim cum ſuperis:partim cum Regibus commune, vt recordetur populus parũ eſſe Senatores ab vniuerſis hominibus honorari, niſi etiam ad honorem accedat veluti quidam Pietatis, & obſeruantiæ cumulus. quæ enim Senatui à populo par haberi poteſt gloria: quo magiſtro, ſic inſtruitur populus, vt norit prudenter cogitare: verè loqui,& patienter operari? ſola vincit mortalium omniũ laudes Senatoria virtus,itaq; olim Democritus Phalereus auditor Theophraſti ab Athenienſibus iccirco trecẽtis Statuis fuit honeſtatus,quòd eorum Remp.ſumma virtute,& ſingulari induſtria per annos decem adminiſtrarat. quid? nihil eſt in honore tam ingens,quod cum ſapientis meritis par ſit,& æquale: nihil in fortunæ bonis, quo ſapiens non præclarius ducat non egere,quàm abundare, alterum enim ſemper eſt viri temperantis: alterum ſæpe auari, iurè igitur qui ſapit contemnit opes. Nam vt virtus,ſic ſapientis animus neque augeri, neque comminui poteſt opibus.

Quòd laudandi ſunt Principes: obſeruantia: colendi Senatores. Elog. IX.

EST Regno periculoſius Senatum domi nõ colere: quàm foris truci bello omnia ardere, illud enim nõ ignauiæ culpam, ſed crimen olet exulcerati iuris & iuſtitiæ: hoc verò ſæpè virtutum odores ſpirat in ſcelerum pedore, ma-

gna

gna hinc, & inde lues: ſed multò maior ex neglecto Senatu, q̃ ex bello cum hoſte ſuſcepto. Concipit enim illa negligentia non deſidiæ notã, ſed atrocitatem læſę maieſtatis. Nã vt Princeps caput eſt Senatorij ordinis: ita ordo Senatorius, vt inquit Theophraſtus, mens eſt Principis. Quare Princeps Senatus vtens conſilio, non alieno vtitur, ſed proprio. quid ſi vtatur alieno? neque regere ſcit, qui regi neſcit: neque alijs præeſſe, qui ſapienti neſcit ſubijci. Nemo enim antè iure alijs imperat, quàm rationi obtemperat, & legibus aliud quippè eſt imperare: aliud imperij ius violare Nam qui imperat, facit imperando, vt tanquam lex animata diſſolutos homines reſtituat, & perditos, ſuo id figuratur Emblemate *per Vlyſſem, qui Circæ virgam extorſit, cuius altera extremitate ſocios in varia monſtra transformatos tangens ad priſtinam formam reuocabat*. Qui enim peccat formam exuit hominis, quæ ſita eſt in ratione: induit beſtiæ, quæ ſita eſt in cupiditate. Quocirca nihil eſt Senatus ſapientia, niſi veluti quædam Vlyſſis virga, quæ non ſolum populi corrigit errata: ſed etiam populum reſtituit perditum, qui bellua eſt non multorum vt Hydra, ſed omniũ ſimul capitum. Magna verò Regni laus: ſumma virtutis Regnum ſuſtinentis, id Romani, vt docerent virtutem Deam: non Regnum Deum fecerunt. Nec id ſine conſilio. Nam virtutem qui violat, Deum cenſetur violare, & qui virtuti paret, Deo parere. Nullus igitur eſt maior, in imperio, quàm virtutis triumphus. Hanc qui Princeps habet, non tam habet artem mortalibus imperandi, quàm iuri, & legibus obtemperandi, ſi quidem Principis eius Imperium redditur irritum: cuius, iuri & iuſtitiæ renitens eſt in imperando obſequium. Quoniam autem ius ſpirans eſt Senatus, Populus Romanus nullum præter Senatum, Regi ad benè, beateq; imperandum, voluit eſſe oraculum: laudandi igitur ſunt Principes, quia imperando, iuris faciunt imperata: ob-

ſeruandi.

ſeruandi verò Senatores, quoniam Principem docent imperare: populum obedire. quid inquàm obſeruandi? imò graui ſupplicio arcendi, qui obſeruare neglexerint, in exemplo occurrit iam Seruilius Iſauricus Conſularis. Nam cùm fortè pedibus iret, eiq; eunti quidam Equo obuiam pręteruectus in angusto loco, non deſilijſſet, notam id habuit non culpæ: ſed nefarij, & conſcelerati criminis. Eum igitnr vbi in iudicio vadimonium habentem fortè recognouiſſet Seruilius, rem iudicibus detulit, qui indignatione commoti, hominē indicta cauſſa, damnarunt capite. Multa hoc loco de Senatu, Populiq; Ro. in Senatum obſeruantia, Conſulto prætereo: Nam incluſa eſt Romani Senatus dignitas omnium memoria: nec viuent ſolum de ea, inter greges literatorum ramuſculi: ſed ne quidem in ſapientiſſimorum virorum choro, vlla vnquam ætas obmuteſcet.

Quòd nihil ſit Senatus, niſi Principis Diadema. *Elog. X.*

ETſi nihil eſt Senatus Conſilium, niſi ſapientię, & lumen, & numen, quod neſcit latere: haud tamen quicquam eſt bono Conſilio Lucepeius. Itaq; Conſo Deo ara, non in aprico loco aliquo: ſed in imo putei erat erecta. Nam paucorum fidei eſt committendum, quod latere debet. Conſtat autē conſilij vis omnis ex iuris Imperio, & hominis obſequio. Pigmentum eſt, ad blandimenta oculorum, expeditum: graue tamen, & vtriuſq; iuris diuini, atq; humani monimentis delibutum. per *Salomonem, Duo Altaria in templo ædificantem, quorum vnum foris ad animalium ſacrificium: Alterum intus aureum, in quo Thymiama afferebatur incenſum*. quid? duplex eſt conſilij ius, ſiue Senatus: vnum ſcriptum, quod foris ſpectatur, atque exteriori homini, qui ſenſus cum Beſtijs habet communis, Sa-

crum: alterum non scriptum, quod in pectore tenetur clausum, interiorique homini ad fidem, & taciturnitatem promptum, & expeditum. in illo imperium: in hoc obsequium: in vtroque maximè laudatur sapientissimi Senatus iudicium. Nihil enim est Senatus, nisi summus virtutum omnium aceruus: quo adiecto, felix, & detracto, infelix redditur Resp. itaq; olim mundi Principes Romanorum Imperatores, gloriosius ducebant Senatui obtemperare, quàm imperare populo. Nam si nihil potest Princeps, quod non potest ius, & ratio: ille demum redditur potentissimus, qui nihil facit, nisi de Senatus voluntate, in cuius tutela, iuris ratio omnis est posita. Testes sunt apud Græcos non obscuri, Pericles, & Dion, qui ne deflecterent in regendo à iure, ea obseruantia sapientes colebant, vt ille Anaxagoram: hic Platonem sibi asciuerit Imperij socium. quid igitur dicam, aut non dicam potius de Senatu? nihil est Senatus sapientia, nisi ipsum Principis Diadema: hoc est, sapientiæ decus, & Imperij gloria. Itaque Senatum olim Romani tanti fecerunt, vt res, apud eos, esset capitalis, Senatui reclamare. sed quid ego hæc de Senatoribus? lex rogata Romæ erat, vt qui Tribunis plebis: Decurionibus: Iudicibus nocuissent, eius caput Ioui Sacrum esset: familia eius ad Ædem Cæreris: filij filięque venum irent. Quare non ingeniosus: sed proteruus oportet sit Princeps qui suo potius, quàm Senatus vult stare iudicio. Nam à se procul aberrat, qui mauult animi sui sensa, quàm in alijs, rationem sequi ducem. Nec vlli mortalium Pythius Apollo senio magis mandauit, vt seipsum cognosceret, quàm ei, cuius sit populum, iuris, & iustitiæ curriculo in Cœlum trahere.

Quòd

Quòd Senatus veluti quoddam Reip. animatum sit simulacrum.
Elog. XI.

VT Princeps anima est Reip. ita Resp. corpus sit oportet Principis, vtriusque autem obses cùm sit Senatus, fit, vt ex Senatu, nefas sit personam non recognoscere Reip. At ille pietatis, & clementiæ: hic vexillum gestat magis iuris, & iustitiæ: ille agit, hic quid agendum sit potius ostendit. pingitur id suo colore per *Aeneum ab Heleno admonitum ut inter nauigandum vitaret Charybdim, & Scyllam si volet enauigare*. Nihil enim est Helenus nisi ἥλιος νοῦς hoc est si nominis vim spectemus, Sol rationis, quo illustratus Senatus non solum rerum, & defectum cernit, & excessum: sed etiam docet vtriusq; in Imperij Oceano, à Principe cauendum esse periculum. Nam illorum crimen, & discrimen falsè per Scyllam, & Charybdim adumbratur: quarum angustijs interceptus, qui erat, semper ferè dum vnius vitabat, in alterius incurrebat periculum. Est enim is virtutis punctus, qui aciem fugit oculorum. quid oculorum? imò sæpè mentis, & ingenij. Itaq́ue semper apud summos Reges, & Imperatores, sceptrum Imperij fuit consilium: consilij autem triumphus Senatus. Quocirca Honorij lex de Crimine lęsæ Maiestatis, Cauet ne quis Senatorem vlla afficiat iniuria. Nec enim minus est piaculum, Patres patriæ, quàm patriam ipsam iniuria lacessere. Apertè id olim etiam in silentio, loqui uisi sunt Romani. Nam cur apud eos Senatoribus toga purpurea erat cum Regibus communis, nisi vt, cùm vestis dicatur à vehendo, quia statum vehit cuiusque personæ, intelligeret populus Senatorum dignitate, auctoritatem vehi regiam? Magna verò purpuræ digni-

tas: Summa dignitatis, Senatoria virtute amplificata commendatio. Etenim ficuti eo colore perterrentur ferè omnes bestiæ, exhilarantur contra homines: ita Senatoria auctoritas impuris omnibus est terrori: bonis autem viris non solum vsui, sed etiam voluptati.

Quòd Senatus sapientia Regiæ gloriæ, apud Romanos, consors fuerit, & socia. Elog. XII.

QVoniam, vt rationi corpus: sic Principi obedire debet populus: faciliusq; mundus Sole, quam Populus Principe potest carere, qui Principem contemplatur, verum sapientiæ exemplar, qua cuncta reguntur, contemplari videtur. Nam Principis mens est Senatus, in quo Musarum chorus omnis tenetur inclusus: cui cum Apolline honoris splendor vniuersus ab antiquitate desponsus est, & destinatus. quid ita? quoniam virtus nullis adminiculis facilius prænsatur, quàm honoris. Nam honores aureæ virtutum sunt compedes, quæ sua specie conciliant absentes: suo verò vinculo, ne abeant, arcent præsentes. atque vt infamiæ dedecus, peccati est supplicium, ita honor non tam præmium est virtutis, quàm patrimonium. Quare qui sapienti honorem non habet, dupliciter peccat, semel, quia vt auarus retinet, quod non debet: iterum quoniam tanquam iniustus, quod debet, non reddit. Quoniam autem summus honor debetur ijs, qui plus prosunt Reip. iure semper Senatores, in supremo fuerunt honoris gradu. Nam fidissima est ea Reip. custodia, quæ in Senatus tutela est posita. simulacrum spectatur dignitatis colore aspersum, *per Palladis imaginem, cuius ex pectore suspensum caput teneatur Medusæ.* hoc commento veteres, tanquam firmissimo argumento, conuincunt eam esse Senatus

sapien-

ſapientiam,quæ in imperij præſidio, nec vi, nec dolo poteſt expugnari. Nam vt Pallas Sapientiam: ita Palladis habitus, malorum omnium præ ſe fert victoriam. Tanta quippè vis erat in Meduſę capite, vt illud qui geſtaret, omnium linguas, & oculos,nedum manus,& impetum, vitaret: quando ex eius aſpectu ſtatim in ſaxa obrigerent mortales. Hanc igitur imaginem qui videt, colorem,& figuram cenſetur videre Senatus, qui & in bello;eo ſplendore coruſcat ſapientiæ,vt hoſtium omnino perſtingantur oculi,& in pace,omnes ea afficit ſui admiratione, vt præ ſtupore etiam cauſidici, & iudices videantur proprios ſenſus amittere. Quare Minerua non ſolum Marte eſt robuſtior: ſed etiam omni Venere amabilior. Robuſtior, quia vincit non pugnando: amabilior, quia virtus ſales omnes habet amoris. Itaque Senatoribus olim ad præmium virtutis eius,qua imperium regitur,accedebant regia etiam ornamenta,quæ hæc ſunt: locus: Auctoritas: Domi ſplendor: apud exteras rationes Nomen,& Gratia: Toga prætexta: Sella Curulis: Inſignia:Faſces: Exercitus:Imperium,& Pecuniæ. Nullus igitur Senator,ſi vetuſtatis auctoritatem ſequimur,in honore,cedit Ampliſſimo armatorum militum Duci:omnis verò præcedit ſi iudicio ducimur,quod rationis iudicium ſit modo, non lenocinium.Nam multò præclarius eſt,vt teſtatur Xenophon, meritorum, quàm trophæorum gloria florere.

Quòd ſuccus,& ſanguis imperij conſiſtat in Senatu. Elog. XIII.

NIhil eſt Senatus,niſi planè hebeſcimus,aliud, quàm regiæ felicitatis domus. Nam vt Senatores virtutum omnium ſunt creatores, & curatores:ita Senatusconſultum omni vallo, & foſſa firmius eſt Regni munimentum.

Poteſt quippè vir vnus ex Senatu, plus in tractando imperij clauo, quàm vniuerſa ſimul imperitorum turba, omnia enim vincit Principatus: ſola Principatum Sapientia. Id nō ſine quadam artis, & ingenij ſuauitate licet ex figuræ commento, & condimento odorari *quæ per Iouem Saturno ſe ſubmittentem exprimitur.* Etenim quid eſt, quòd Saturni regnum, apud Platonem, anteponitur regno Iouis? non obſcura eſt ratio, illud enim vitam figurat contemplandi, cuius finis eſt ſapere: hoc vitam agendi, quæ terminatur vtilitate. itaq; illius ætas aurea: huius argentea à Poętis eſt vocata. Quoniam igitur Senator vera intelligit cum Saturno: iuſtaq; operatur cum Ioue nihil videtur non poſſe, quod in vita, & agendi, & contemplandi conſiſtit. Etenim, ne ab antiquitate recedam, cur ab Orpheo Pallas dicitur mas ſimul, & fęmina? vt certè quidem cenſeatur is, qui eſt ſapiens, nullius eſſe indigens: nihilq; eſſe in bonis tam optabile, quod populo à ſapiente viro non ſit fas expectare, in hanc ſententiam pleno gradu veniunt Scipio, & Cato: quorum alter Panętium ſequi præclarius ſibi duxit, quàm ducere exercitum: alter exercitu etiam relicto, ad Athenodorum, ſapientiæ accenſus amore nauigauit. Eſt enim imperatoria gloria vix in populi viribus, aut opibus inquilina: facilè verò in ſapientia peritorum, habitandi domina. quod cum ſentiret Auguſtus Cæſar nunq̃ aut veniebat in Senatum, quin omnes nominatim ſalutando compellaret Senatores: aut è Senatu recedebat, quin Senatoribus ſedentibus, neq; loco ſe mouentibus expreſſum ore, & oculis beneuolentiam oſtenderet, rogaretque vt diligenter valetudinem curarent.

Quòd

Quòd Virtus virum: ius Virtutem Senatus vtrunque pariat.
Elog. XIV.

QVoniam imperium Principis multa adiumenta doctrinæ desiderat, talisq; eius debet esse disciplina, qualis & in bello, Achilli: & in pace Vlyssi tribuitur ab Homero: animatum Principis simulacrũ ex Achille simul, & Vlysse concretum, & conglutinatum demum est, qui personam induit Senatoris. Nam Senatori in bello animi fortitudo: mortis, dolorisque contemptio: in pace omnes tribuuntur ingenij dotes, consilium, eloquentia, prudentia quidem tanta, vt omnia etiam videat in tenebris, & audiat in silentio. Quanquam tamen tantum inter Principem, & Senatorem in regendo imperio, est discriminis: quantum est inter Clementiam, & Iustitiam. Nam altera Princeps: altera magis commendatur Senator. ille ne igitur clemens potius, quàm iustus? certè. nec enim alia de caussa prçces, apud Orpheum ex Iouis semine sunt natæ, nisi vt admonerentur Principes sæpè apud se debere miserorum prçces habere ponderis plus, quàm iura, & leges. At cur iustus magis Senator? quia ei neque fas est de iure recedere, & parum est virum se iustũ præstare, nisi ex iniustis etiã, & efferatis hominibus, iustos reddat, & humanos, insigne est ibi pigmẽtum: non hebes figura; vbi *AEacus effingitur à Ioue exorans, vt formicas in homines conuertat.* Nam in fabuloso hoc commento, qui, quæ vera facies est, & figura senatoriæ iustitiæ, non sentit, ei nulli potius sunt sensus, quàm stupidi, & inutiles. Etenim cùm nihil sit homini, nisi quod iustum est, agendum, qui non est iustus, non agit vitam hominis. id ex pigmenti condimento, qui non regustat, palatum fortè: ingenium certè non habet eruditum. Aginetæ enim cùm turmatim, vt est in fabu-

lis, formicarum more circa terrena tãtum volitarentur, nihilq; præter pastum quęrerent, ferinam vitam in humana figura agebant: mox verò ab Æaco iure, & iustitia instructi, vitam hominis agentes visi sunt ex Bestijs facti homines. Nec mirum id quidem. Nam vt sentit Plato hoc inter doctum, & indoctum virum est discriminis, quòd est inter hominem, & bestiam. Senatores igitur, qui iuris, & iustitiæ magistri sunt, hoc est humanę vitæ opifices, & architecti, iure Patres sunt nominati. Præclarum est Italiæ: non obscurum Græciæ testimonium. Nam Romæ olim Senatui adeò semper summa totius Reip. innixa est vt ne Reges quidem, aut Consules, aut Dictatores, aut alius quispiam Magistratus, Inconsulto Senatu quicquam moliretur. Sensit id malo suo genio Tarquinius vltimus Romanorum Rex, qui eò primùm superbus cognomen traxit, quòd parum auscultaret Senatus dicto: deinde Roma pulsus est, quia eo multa machinaretur Inconsulto. Magna itaque apud Romanos: Summa verò apud Græcos Senatus gloria. Nam Athenis Senatori regium insigne, ob rem benè gestam, fuit corona, qua & donabatur à ciuibus, & publicè honestabatur, adiecta etiam pecuniæ summa. Etenim vt Corona Imperij: ita Coronę decus est sapientia. Hac enim vt inquit Diodorus, magistra, nouit Senator ex aliorum, & erroribus, quod rectum est sequi, & periculis, quod tutum est, complecti: erudireq; omnes ad gloriam ex aliorum infamia. quid inquam erudire? imò nouare & informare. itaque Antiquitas Senatores, Prometheos alio appellabat nomine, hoc est hominum opifices, & architectos.

Nihil enim est ignis Promethei, vt ait Plato, nisi doctrina, qua remota ex homine fit limus, & addita ex limo redditur homo.

Quòd in honore cedendum ſit Senatoribus. Elog. XV.

STudio, & obſeruantia magis populo, quàm familiaritate colendæ ſunt Senatorum amicitiæ, ne familiaris illis factus, non videatur vti, ſed abuti eorum dignitate. Nam ſi Auguſtus propter ſapientiam, Apollinis: Romulus propter fortitudinem, Martis: Hercules propter iuſtitiam, Iouis olim habebatur filius: quia in regio hoc Senatu, quot exiſtunt Senatores, tot virtute ſunt, & Auguſti, & Romuli, & Hercules, cur non nobis magis videantur de Cœlo Lapſi, quàm mortalium manu, & opera facti? non ſolum ſapientia, ſi rectè attendimus, ſed etiam ſapientes vim quandam habent numinis, & æternitatis. Emblema figuratur ad hanc rem appoſitum, & elegans ex *imagine Aeſculapij cum barba intonſa: Apollinisq; Patris imberbis*. Nam Statuæ, & imagines non ſunt corporum ſimulacra: ſed animorum, & virtutum inſignia. Effingitur autem Apollo imberbis, quia neq; conſeneſcit, neque interit virtus: Æſculapius verò filius barbatus, vt, cùm barba pro ætate, & naſcatur, & mutetur, intelligamus quæ ex virtute naſcuntur corporis bona, fluxa eſſe, & caduca. Nam externa bona ſubijciuntur tempori: non ſubijciuntur animi, quo fit, vt illorum labilis: horũ perennis ſit vis, & natura. Quocirca olim Senatores apud Romanos, in veneratione quaſi Dij Penates habebantur: non vt familiares, inter amicos, colebãtur. Itaq; Adrianus Imperator, cùm aliquando ex amicis quendam cerneret inter duos Senatores, medium locum tenere, indignatus repentè miſit qui furtim colaphum in os amici impingeret, ne ſine opprobrio, loco amoueret. ſic ille animi arrogantia comminutus, quam gloriam ſibi falsò vendicarat, Senatoribus reſtituit, pleniore, quàm acceperat menſura.

Quòd

Quòd nihil non poßit Senator: sitq; non solum ex cœtu Sapientum: sed etiam à Sapientibus eligendus. Elog. XVI.

RErum omnium difficillima est virum inuenire sapientem. Nam qui sapit non potest cognosci, nisi à viro sapiente, quo sol, vt docet lucerna Diogenis, nihil vnquam vidit rarius. quid dicerem felicius? res est sapientia fundo, & fine carens, ex qua tantum hauritur, quanta cuiq; vis est ingenij. At non solum rara, sed etiam à paucis cognita. Quare inoleuit vsus, vt in mira sapientum paucitate, penès eos tantum esset Senatorum electio, qui dignitate: sapientia, & virtute maximè clarerent. Nam qui in habenis Imperij tractandis, bona possidet insita, facilè omnia sibi subijcit externa. Gordianus igitur Imperator multò maiora Imperij præsidia in litteris posuit, quàm in armis. Nam illæ imperant: hæc imperata faciunt. Rei igitur literariæ decus cum sit Senator, & virtutis ornamentum, suo effingitur Emblemate per *Herculem abstrahentem Acheloo Cornu, quod erat Fortunæ, & Diti Sacrũ.* Quoniam enim fortuna, & opes cedunt virtuti: non virtus fortunę, & opibus, par est rationi, vt sapiens, sicuti loquitur hæc figura, externorum bonorum auctor sit, & opifex. Nam quid est aut Hercules nisi Iouis, cui desponsa est sapientia, hæres: aut Acheloi cornu, quod qui gestabat, nihil frustra cupiebat, nisi rerum omnium copia? qui nudus est sapiens affluentem magis, & beatã reddit Remp. quàm vniuersę beatorum gazæ. Etenim cur Hercules, qui apud Homerum, personam induit sapientiæ, vulnerauit, & Iunonem, & Plutonem? vt hoc commenti testimonio intelligerent mortales nihil esse in bonis fortunæ, tam ingens, quod non minus sit sapientis virtute. Nam Iuno, apud veteres, honorum: Pluto Deus constituebatur diuitiarum. Ma-

gna

gna verò ex Emblemate, Senatorum commendatio: non exigua ex eorum origine laudatio. Siquidem penès Reges, & Consules, & Censores, legendi Senatus Romæ: alijs, atque alijs temporibus arbitrium tantum fuit: nec spectabatur solum à quibus, sed etiam ex quibus eligeretur Senator. Etenim quemadmodum mos erat Ægyptijs, vt scribit Plato, ex Philosophorũ numero Sacerdotes, & ex Sacerdotum Sacrario Regem eligere, quem proinde Trimegistum, quasi ter maximum appellabant: ita & in Græcia, & in Italia ex ijs tantum eligebatur Senator, quorum stomacho diuturnus magistratus, ad nouas rerum difficultates, callum obduxerat. Atque & si Senatorum electio varia fuit, & multiplex, nunquam tamen penès populum auctoritas fuit eligendi. Nam periculosum est eorum, qui non sapiant, de sapiente iudicium. Suo enim non ducuntur, sed seducuntur iudicio: quando ijs spes, metus, atque libido sit rationis loco.

Quòd non adeò ex generis, quàm ex propria virtute eligendi sint Senatores. Elog. XVII.

NOn nobilitas virtutem: sed virtus nobilitatem parit. Quare non adeò generis, in eligendis Senatoribus, habenda est ratio, quàm virtutis, & doctrinæ. quid? num igitur ex Ede virtutis ad Senatoriam dignitatem accersendus est Philosophus? minimè verò. sed iurisperitus. virtus enim ciuilis publicum: priuatum bonum spectat magis moralis. age num itaq; iurisperitus vtilis erit ciuitati, sibi inutilis? ne id quidem. Nam quod commune est bonum, complectitur quod etiam est particulare, & proprium. Quare iurè semper publicum bonum priuato est anteponendum. Quid igitur nobilitas? & si generis est, non propria virtus: est tamen seges, & materia propriæ virtutis: quæ inde plurimis vigilijs, atque labori-

bori-

boribus se colorat, & corroborat. Rei huius pictura bellè etiam erudiuntur oculi per *Hesperidum Mulierum Mala aurea, Dracone occiso, ab Hercule surrepta.* intercluditur enim virtus tanquam Draconis. spiris, & immani ad terrorem specie, plurimo, ac tetro affectu, qui vt plurimum accedentes ad virtutem, quasi immanis bestia suis absorbet faucibus. Quia igitur cum animi vitio, tanquam cum venenato serpente, ante quàm ad virtutem pateat aditus, est dimicandum, nũquam virtus ignauis fit præda. Quoniam autem summæ virtutis ansa prænsatur ex nobilitate: semper ferè in Senatorum electione, habita est ratio nobilitatis. Itaq; Seruius Tullius culpatur sextus Romanorũ Rex, qui ex plebeis etiam: Laudantur Romulus, & Tarquinius Priscus, qui ex patricijs tantum Senatores asciuerunt. Brutus verò eos etiam existimabat ex equestri ordine legi oportere. Nec meo quidem iudicio inconsideratè. Nam Senatores cò patres conscripti à scribendo sunt dicti, quòd penes eos esset auctoritas non solum scribendi leges, sed etiam conscribendi milites: atque Imperio Regna, & ascribendi, & pręscribendi. Regi autem tantum in benè instituta Rep. Senatus eligendi ius fuit, & potestas. Nam cùm facilius sit vnum, quàm multos sapientes inuenire, tutius certè est, vt ab vno sapiente, quàm ab imperitorum multitudine, fiat Senatorum electio. Quare exactis Roma Regibus, eligendi hæc potestas, vt res, tempusq; ferebat Reip. non penès plures: sed penès diuersos stetit. Etenim vel à Consulibus, vel à Censore: vel à Dictatore: vel ab Imperatoribus, vbi datus est Monarchiæ locus, eligebantur Senatores. Qui enim in eo errarunt, peius fecerunt, quàm si populum impulisset sinapi, vulgato prouerbio, victitare.

Quòd

Quòd ex Magistratu eligendi sint Senatores. *Elog. XVIII.*

QVoniam ex consilio non solum primordia: sed etiam rerum ducuntur exitus: cauendum est, ne consiliũ imprudentia exulceratum, rem omnem suo exanimet vulnere: quiaq; procul ex consilio primum casus, atq; orbitas pellitur eruditionis, nihil ad consilij capiẽdi deliberationem, accommodatum est magis, quàm vir benè eruditus. Nam multi consilium norunt offerre: solus sapiens afferre. Quod si res malè cedit: id non fortunæ est, sed praui consilij euentus. Prora igitur, & puppis publicæ felicitatis, in deliberantis prudentia est posita. quod sentiens olim Antiquitas Magistratum fecit principium Senatorij ordinis, & quasi Seminarium. Nam ex illo fonte potissimum, vt docuit primum Romulus: deinde cæteri Reges, omnis ad deliberandum hauriebatur Senatoria dignitas. sic enim quid esset suadendum, & dissuadendum melius callebat Senatus: notatq; ex improbis bonos, & ex bonis optimos reddere viros. id bellè in pictis, fictis, cælatisq; formis *Medeæ Emblemate cernitur expressum, quæ ex recoctis senibus, formosissimos reddit Iuuenes*. Facit enim Senatus auctoritas, vt morũ deprauatio in populo deponatur inueterata: nouaq; quasi repubescat ad virtutem, vitæ ratio. Nam cùm natura populus ad pastum solers sit, & diligens: ad virtutem hebes, & stupidus: in perditis rebus vigilans: in ciuilibus negotijs socors, & negligens: timidus in rebus strenuis, audax in flagitijs: vix potest, aut ne vix quidem sine Senatu, rationis fręno intra mortalium fines teneri. Hęc enim est Senatus disciplina, qua recreatur omnis Resp. Quare nunquàm Romę vlli, in Senatorium ordinem, patuit aditus, nisi eius fides, integritas, prudentia, & iustitia plurimis rebus in Magistratu, antè gestis haberetur perspecta, &

cognita.

cognita. Si enim ſpe glorię cōcitatus Magiſtratus oīs nitebatur præclara aliqua muneris gloria, ſui nominis, & famæ commẽdationem, apud Principem, relinquere. At Senatores, in Regio apud Inſubres Senatu, non ſpem: ſed officium ſequantur. Nam cùm eorum virtus neſciat fęnerari: ardeantq; ipſi publicæ vtilitatis amore, ſemper priuatam gloriam communi commodo habent poſtpoſitam.

Quòd vindicta vulneratæ iuſtitiæ ſit medicina. *Elog. XIX.*

NIhil eſt flagitioſis hominibus indulgere, niſi ius, & iuſtitiam iugulare: nihil improbos defendere, niſi bonos viros oppugnare: quæ quidem res non eſt clemẽtiæ, ſed extremæ crudelitatis. Quocirca interrogatus aliquando Ariſtippus, quę in Senatu, qui nullam, niſi in labore, ſedem habet quietis, ſumma laus eſſet patientiæ, neſcire reſpondit, quod turpe eſt, pati. Nam qui lubens parua piacula, in Rep. negligit: magna vt plurimum inuitus admittit. exigua igitur delicta non debet ferre, qui ſtudet grandia non ſentire, debetq; priuata punire, qui cupit tueri publica. *Ex Achillis figura elegans id loquitur Emblema, qui à matre Dea admonetur ne Hectorem tollat è medio.* Etſi enim ab ea certior erat factus fore, vt poſt Hectoris necem, ſtatim ſibi moriendum eſſet: maluit tamen Hectori, qui Patroclum amicum interemerat, mortem inferre, quàm Hectore ſuperſtite, morti nō ſuccumbere. quid? malus eſt iuris, & iuſtitię miniſter, qui facilius poteſt iniuriam, quàm mortem, doloremq; pati. Etenim grauius ſæpè peccāt, qui peccatum non puniunt, quàm qui committunt. Achilles igitur non mortem timuit, ſed dedecus infamiæ, quam ſibi inurebat, non vindicando amici iniuriam. Nam vindicta pars eſt iuſtitiæ, ſine qua nec Princeps, nec qui Principis vicem ge-

rit

rit, respirare potest Senatus. Quare multæ Resp. pręcium tulerunt sui erroris, quæ in dimittendo inulto crimine, tandem suo potius vitio, quàm hostili ferro, sunt euersæ: quę contrà vitiorum sordes suo expiarunt supplicio, non solum florem, sed etiam fructum ex Sapientiæ prædio semper visæ sunt, ad populi felicitatem, reportare. itaq; Solon solitus est dicere eam demum beatam esse Remp. in qua non minus, qui læsi non sunt, quàm qui læsi sunt, in eum inuehantur, qui iniuriam fecit. pellendæ igitur sunt è Rep. non solum iniuriæ: sed etiam minimę iniuriarum maculæ, & offensiones. Etenim Imperij seditiones ferè omnes ex ijs offensionibus ortum traxerunt, quas vt leues, & ludicras ipse dissimulauit Senatus. leuibus igitur iniurijs, vt in regio hoc fit Senatu, non oscitanter: grauibus acriter occurrendum est. Malum enim nascens facilè: inueteratum difficilè opprimitur. Nec tamen humilis, & ingloria, meo quidem iudicio, est clementia, dum clementia sit modo, non clandestina clades, & insidiosa. Nam venia venter est, & lerna vitiorũ, nisi loco sit adhibita. Quare Danorum Rex, & Constantinus Imperator statuit ter veniam experto non vlterius esse ignoscendum.

Quòd nihil sit Senatus, nisi ægrotæ Reip. medicus. *Elog.* XX.

VBi sapiens est Senatus: ibi Respi prospero statu vtitur fortunæ, nec aduerso affligitur. Nam in eius sapientiæ claustris non solum inclusa tenentur malorum remedia, sed etiam summa publicę felicitatis adiumenta, eò quippè demùm aliorum errata procedũt, vt in ijs corrigendis præclara sapientum recognoscantur ingenia, loquitur id in antiquis figuris *muta Phœbi cum Cithara, & plectro, pro Emblemate imago.* Senatorij enim ordinis est, qui in Imperio instar est Apollinis, absona omnia sic in concordiam, & ordinem redigere,

vt

vt nihil non consonet iuri, & legibus. Quid igitur ei sapientissimo ordini aut infensum erit, aut infestum, si eius suauitate permulcentur, reguntur q; omnia? vitare offensionem potest qui sapit: crimen, aut culpam non potest vitare offensionis, vt enim qui Prometheum Thessalum cogitabat occidere, casu ita tuber quo periclitabatur, percussit, vt hominem restituerit perditum: sic maleuolorum iniuria solet sapientum non solũ non lædere, sed etiam augere gloriam: quia norunt priuata etiã mala in publica commutare commoda. Itaq; neq; Patres à pariendo falsò sunt dicti, quia ex malis pariunt bona: neq; Senatores à senectute temerè sunt nominati. Nam semper videntur fuisse, qui quod alijs antè seculis factum est, censentur non ignorare. Atq; cùm Ciues sint, vt Socrates, non vnius vrbis, sed totius orbis, iure à cælesti patria appellantur patricij. Hi sedendo per vniuersas orbis regiones videntur peragrare, qui antiqua norunt regionum omnium iura, leges: instituta, & mores. Præclara res est non Mappam mundi inter domesticos parietes: sed mundum ipsum in pectore tenere inclusum. Quare ad Senatoriam dignitatem maximè facit Osiris Ægyptiorum Regis, vt testatur Diodorus Siculus, sepulchri hæc inscriptio. Osiris Rex sum: Saturni Antiquior filius: qui nullum orbis locum reliqui, quem non attigerim, discens omnia, quæ generi humano sunt necessaria. Nam terra mundi est venter, vel vmbilicus potius, atque iccirco centrum omnium scientiarum, itaq; pro foribus Scholæ Platonis scriptum erat, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω: nullus Geometriæ rudis hùc ingrediatur.

Quòd ars Senatoria vno virtutum omnium intercludatur gyro.
Elog. XXI.

DVo sunt iuris, ait Socrates, Numina, sine quibus nulla stare potest Resp. præmium, & pœna: quorum altera pro-

cul

cui pellitur quod turpe est: altero accersitur quod est honestũ. Qua igitur in Rep. sua virtuti & bellicæ, & literariȩ sunt præmia, in ea multi solent virtute florere. Nam omnes incenduntur ad virtutis studia, prȩmio, & gloria. Quare in Principe liberalitas, optima est virtutis publicæ supellex: iustitia verò in Senatu, felicitatis. Nec enim populus nouit aduersa ferre robustus, sed fortis: nec Deus summus rerũ opifex, vt inter Pecudes, sic inter homines potestatem, & Imperiũ valentioribus dedit: sed melioribus. Qui igitur Senatus virtutẽ solam spectat: omnia censetur spectare, ex quibus felicitas constat Reip. quod ibi suo figuratur Emblemate, vbi *Europa Tauro insidens, per Mare uolitante nunquam faciem quò tendit iter nõ auersam: semper unde dissessit aduersam habens*. Vera est Senatus imago, qui mentis oculos in Cœlum, ex quo migrauit, habet coniectos: non quò à populo tanquã à ferocitate Tauro, per rerum discrimina trahitur. Nã vrbis felicitatem qui procurat, non potest, non sedulò procurare ciuium virtutem. Nec.n. homini satis est è Cœlo fluxus, nisi accedat etiam refluxus: qui omnis est in virtute positus. Quare ille demum perfecta laude dignus est Senatus, cuius populus benè sentire: rectèq; facere & sciat, & velit. Nam Senatoriæ disciplinæ summa hȩc est, vt non tam bona populus possideat, quàm vt sit bonus. Siquidẽ quod de legibus instituẽdis: de bello: de pace: de vectigalibus decernit: de iure ciuium: de administratione Reip. id omne ad felicitatem pertinet Imperij. Tales olim Senatores fuerunt apud Romanos, Lentuli: Metelli: Scipiones, & Lælij: Tales in hoc Regio sapientiæ theatro sunt: quotquot existunt Senatores.

Quòd Imperium consistat ex Obsequio. *Elog.* XXII.

NOn magnus in Imperio est, inquiebat Agesilaus, Imperator, qui multis: sed qui sibi nouit imperare. Nam glorio-

ſius eſt virtutis imperata facere: quàm ne ab alijs omittantur cauere. Iuſtitia autem, & temperantia iccircò Principis ſummæ ſunt virtutes, quòd ſine earum adminiculis, neque iniuriæ, neque cupiditati occurritur populi: quodque quicquid Princeps ab his virtutibus facit alienum, id magnas ſæpè populi, vt excidio liquet Troiano, parit calamitates. principium igitur, & fundamentum publicæ felicitatis, eſt Principis obſequium, quo eruditus nouit, & terribile ſuſtinere, & quod voluptuoſum eſt, cauere. Nam vt Princeps populo: ita Principi dominatur ratio. itaque niſi ſenſibus frænum ſic imponat, vt rationi habeat obedientes, non tam videtur iuris obſeruantiam deſerere: quàm alios ad deſerendum inſtruere. Cenſor olim, ad hanc rem, conſtituebatur Senatus. Nam vt ſine excubijs, exercitus præda relinqui videtur hoſtibus: ita Reſp. ſine Senatus vigilijs, ſuo omnis ſtatim abſorbetur vitio: quæ eò omnes tendunt, vt populus aſſueſcat parere legibus. Etenim in eo vno & ſpes, & fructus omnis conſiſtit publicæ vtilitatis, & commodi. Relangueſcit enim ſine obſequio non ſolum vis: ſed etiam dignitas Imperij. *Licet id ibi aperto, & dilucido Emblemate reguſtare, vbi Hercules cernitur expreſſus Linum occidens Magiſtrum.* In ea enim cæde non fuit Diſcipulo parricidij crimen: ſed magiſtro extremum ſapientiæ Limen, & lumen. Nam in ancipiti, de virtute conflictu, diſcipuli victoria, magiſtri eſt gloria. quid? qui ingenio, & doctrina vincit magiſtrum, etſi nomen è medio tollit magiſtri: quaſi quandam tamen laudem parit magiſtro. Accedit hùc quòd præcipere ſit tantum doctrinæ, præceptis verò benè vti etiã probitatis. quare quiddam maius videtur eſſe in obſequio, q̃ in Imperio. præclarè id Theopõpus Rex Spartanorũ. Nã cuidã dicenti iccircò Remp. Lacedæmoniorũ rebus ſecundis florere, ꝙ Reges eſſent imperandi gnari: minimè dixit: ſed ꝙ ciues ſunt obſequij periti. Di-

ſci-

ſciplina.n. Spartanorũ oĩs ferè obſequio erat definita: eo quippè, ſicuti refert Plutarchus, vniuerſum ſpectabat eorũ ſtudiũ, vt primùm aſſueſcerẽt Deos colere: deinde Magiſtratibus parere: laboribus item non ſuccumbere: tũ aduerſa moderatè tolerare: ac deniq; aut in belli flãma mori, aut redire cũ victoria. His inſtitutis nõ viuebãt, vt morerentur: ſed moriebãtur, vt viuerent.

Quòd duplex ſit Senatoriæ uirtutis ratio Conſilium, & Fortitudo.
Elog. XXIII.

PRudentia, & Fortitudo duæ ſunt, in Imperio, Herculis colũnæ: ambarũ ſeges, & materia Senatus. Nã in pace, cõſilio, & in bello, fortitudine Remp. ſic ſuſtentat, vt quãdiu à Senatu firmũ fuerit Imperium, nihil Imperio impendeat mali: mox vbi Senatum non audit, certa ſit deſperatio Imperij. ſemper n. cum Senatus Imperio, & creſcit, & decreſcit in Rep. ſpes, fructuſq; publicæ felicitatis. *Non fallit mortalium oculos in Emblemate Vlyſſis, & Diomedis figura, qui per Cloacas in vrbem hoſtium aſcendentes Palladium ſurripuerunt.* Nam ꝙ ab Apolline reſponſum erat tandiu vrbem Troiam incolumem fore, quandiu ſimulacrum Palladis intra mœnia ſeruaretur, id interpretationem habet, ſumma Imperij munimẽta in veræ germanæque ſapientiæ tutela eſſe poſita: ſine qua nec ius: nec ratio: nec Imperium ſtare poteſt. Etenim tantum inter ſapientem, & fatuum Principem intereſt: quantum antiquitas ſenſit intereſſe in Solis curru agendo, inter Phœbum, & Phaethontem. Qualis igitur eſt Principis, vel potius Senatus diſciplina, talis eſt Reſpub. futura. Non hebes, vel acris potius naturæ eſt auctoritas. Nam cum Cyrenæus Philoſophus veſperi, vt aiunt, mulſo naſcentes irrigabat lactucas? non gulæ, vt falsò quidam autumant: ſed diſciplinæ gratia. Hoc enim naturæ teſtimonio docebat pluris intereſſe benè educari, quàm glorioſè

nasci : vimq́; omnem naturæ arte, & consilio superari. Quare nihil in Imperio est patrum conscriptorum virtute, aduersus mala omnia, & cõstantius, & salutare magis. alterũ loquitur ratio: alterum patet Sẽtorij exemplo illud, quia mortẽ despicientibus, nihil est, quod possit horribile videri, vt aliquando testatus est Damida Philippo Macedonũ Regi: hoc, qm̃ Sentorius, quos in belli incẽdio, armorũ vi, in suã ditionẽ redigere non potuerat: puluere effosso, atq; in hostes vento agitato, tertio die, ad deditionem compulit. sic quos diu dimicãdo armis vincere non potuerat: sedendo vicit propediem consilij præsidio.

Quòd Senatori vix vllus sit, nisi in labore quiescendi locus.
Elog. XXIV.

INter Principem, & Senatorẽ fortuna multum: sapientia non parũ: iure imperandi minimũ interest. Nefas. n. est vtriq; de iure recedere: cum hac tamen exceptione, ꝙ alter iuri scripto: alter non scripto magis cogatur parere. Nam vt Princeps Dei: ita Principis vicem gerit Senatus. quid Principis vicem? imò personam. asseuerat id Cyneas Pyrrhi Legatus, qui Pyrrho sciscitanti, quid de Senatu sentiret Romano: consessum respõdit sibi videri multorũ Regũ, quorum est homines non minus fabricare, q̃ erudire. Rei huius inter regalia Emblemata, color, & species cernitur, *per imaginẽ Promethei, qui face de Cœlo accensa, factam è Limo terræ, animabat hominis fabricam.* Nihil enim est Prometheus, si vim nominis ad calculos velimus reuocare, nisi vir magni consilij. nihil cœlestis ille ignis, nisi sapientia, quæ homini ad vitam magis, quàm lucis huius vsura, est necessaria. ea enim remota, ex homine truncus, & adita ex trunco redditur homo. Nam qui hominem eum esse dicam, qui expers sit virtutis, cùm nemo sine virtute, vitã agat hominis? nihil est virtus, nisi ars viuendi, quam qui non habet, videtur potius mortuus

tuus ſpirare, q̃ viuere. Quare in animandis hominibus, totum Atlantis onus Senatus ſuis ſuſtinet humeris. Res certè imperanti tam operoſa, & difficilis, vt Zaleucus aliquando non veritus ſit dicere Diadema omni mole eſſe grauius: oblatumq́; validiſſimo cuiq; recuſandum potius, quàm appetendum. Atqui res ex operoſa, & difficili, Senatus virtute prompta redditur, & expedita: nec quicq̃ eſt tam periculoſum, quod arte non poſſit corrigi. Quare ſicuti Mithridati Ponti Regi mos fuit, quotidie, præſumptis remedijs, haurire venenum, vt conſuetudine fieret naturæ familiare, & amicum: ita apud Inſubres Regij Senatores ſolent animi patientia ad aſperitates rerum præmuniri, atq; vigilijs, & laboribus aſſueſcere, vt ex diurnis, & diuturnis ſudoribus ad nouos callum ſuo obducant ſtomacho. Nã animus bonus in re mala, dimidium tollit mali: gratuſque labor ſenſum laboris.

Quòd Senatoria adminſtratio non minus ſit amabilis, quam ſalutaris, & fructuoſa. Elog. XXV.

QVoniam ſolus inter omnes animantes, in ſui rectorem inuehitur homo: parum eſt imperare Principi iuſtè, niſi etiam imperet humaniter. Nam qui nihil aut facit, aut dicit, quod ab oculorum, & aurium comprobatione abhorret, mortales is facilè compeſcit, qui in imperantẽ dentes exacuunt; feruntq́; eum in ſtomacho. Etenim cur vrbem Romam ſæpè Regum: nunquàm ferè Senatorum cepit ſatietas? quia in tractando Imperij clauo, multò maior eſt virtutis, quàm fortunæ auctoritas. Quare illi ita Romanis probati ſunt, vt poſt exactos Reges, treceñti extiterint Senatores, qui propter rem præclarè geſtam à Graccho Tribuno plebis ad ſexcentos aucti ſunt, & cumulati. Nec in tanta multitudine, vlli vnquam, quod non vacat laude, & admiratione, vel gratia amicorum:

vel formæ dignitas: vel rerum affluentia: sed virtus tantum omnibus ad eam dignitatem aperuerit aditum. Veteri huic instituto Emblema resonat tanquam imago *per Herculis templum expreßum, quod ingredi ex antiquo iure prohibebantur mulieres*. Id enim est eiusmodi vt intelligamus eos frustra gloriam orare, qui ansam orandi, & exorandi non habent virtutem. Nec minus doctè, quàm acutè res monet ineptissimum quemq; arcendum esse ab Imperij administratione. Quid? qui Antiquorum monimenta, in disciplinis deserit, materiam tollit doctrinæ, vel atripit potius ignorantiæ. Non vulgare est testimoniũ Emblematis. Nemo enim antè nouit Reip. imperare, quàm didicit iuris, & iustitiæ imperata facere, quorum alterum est ingenij, & doctrinæ alterum animi benè instituti, & integritatis, id triplici Senatorum apud Romanos olim adumbratum est ordine. Nam cùm alij dicerentur Patricij: alij Conscripti: alij Pedarij, tanta tamen inter eos fuit virtutum omnium consentio, & publicæ salutis conspiratio, vt vno omnes patrum appellarentur communi nomine. Nec id tamen sine dignitatis aliquo discrimine. Qui enim ex centum patribus, quos Romulus legerat, erant suscepti, Patricij dicebantur: quasi Patrum filij: Conscripti vero ij, qui his adijciebantur, vt quos Priscus Rex conscripserat: Pedarij demum ex plebe asciti, eò quòd sententiæ dictionem non habebant: sed pedibus in aliorum sententiam irent, sunt nominati. Horum quippè non erat noua inuenire, aut inueterata renouare, aut renouata meliora reddere: sed ab alijs inuenta, nouata, & restituta, rata necne essent habenda confirmare.

Quòd vt decus ſapientiæ ſit Senatoria dignitas, ita Senatoriæ dignitatis firmamentum ſit Eloquentia. Elog. XXVI.

IS demum verus eſt Senator, qui quàm gerit perſonę dignitatem, exæquat doctrina: doctrinam virtute: vtriuſque verò gloriam eloquentiæ locupletat dotibus. Nam eloquentiam qui habet, artem habet ſuadendi populo, quod velit. non vacat id feſtiuo Emblemate, quod *per Argi imaginem figuratur, qui à Mercurio ferro falcato truncatur capite*. Vir enim prudens, qui plurimis, vt Argus ſcatet luminibus, quia rerum lumina ſunt artes, & ſcientiæ, multum videt: plurimum vir eloquens. Nam vt ingeniū doctrinæ: ita doctrina omnis ſuccumbit Eloquentiæ. Nihil enim eſt ius dicendi, niſi Mercurij Caduceus, qui à cadendo iccircò eſt dictus, quod eius interuentu cadant omnes quęſtionum tempeſtates, & procellę. Quare vir doctus, coram eloquente, perſona eſt ſine arbitrio, & capite. Nam vt ſapientia mentem mortalium: ita ſapientiam omnem vis & facultas vincit dicendi. Teſtis eſt temporum vetuſtas. Nam cùm ſapientiæ auctores primum fuerint Aſſyrij: Armenij, & Chaldei, à quibus ad Hebręos, è Hebræis ad Ægyptios, ac demū ab Ægyptijs ad Gręcos ſapientia translata eſt: cur tantum inter Græcos, ſeptem: nulli inter cæteras nationes, numerantur ſapientes? nō quia certè plus, quàm illi, ſaperent Græci: ſed quoniam tanta floruerunt eloquentia, vt non viderentur ſapientiā ab alijs inuentam accepiſſe: ſed ipſi acceptam inueniſſe. Nunquam mihi venit in mentem ſapientiſſimi huius ordinis, qui ſeptem Græcos illos vincit eloquentia, qnin memoria repetā Herculis eius priſcam imaginem, cuius ex faucibus Catenulæ aureæ in aures fluerēt mortalium, quos ipſe poſt terga quò ius: quò ratio vocat, nullo negotio trahat. Nam vt Hercules ille Symbolum eſt eloquentiæ: ita Senatus hic verum exemplar

est illius Herculis, qui tanquam nouus Orpheus non fluuiorũ cursus, sed vastissimos populorum cœtus: non syluas, sed prouincias: non saxa, sed Imperij firmamenta post se ducat quò velit, & deducat vnde velit.

Quòd Senatus sapientia, Corona sit Principis. Elog. XXVII.

QVoniam non gemmę: non aurum: non voluptas, vt est apud Homerum, merces est virtutis: sed ipsa gloriæ fama, quæ in magnis viris sæpè tanta est, vt ne vno quidem seculo capi possit, quiaq; omnes honoris sunt appetentes, pauci virtutis, interrogatus aliquando Xenophon quando verè quis iudicari possit mereatur necnè honorẽ: cùm adeptus est respondit. Nam cùm difficilius sit secundam, quàm aduersam fortunam ferre, magistratus in primis virum arguit. non enim vir est bonus, qui non possit cùm velit: sed qui non velit, cùm possit peccare. Atque si honor crescit cum virtute: virtus cum rerum difficultate, non potest Senator non esse in supremo honore, qui censetur Imperij difficultates omnes, & pacis, & belli tempore, absorbere. Nec tam difficilè, & horridum est virtutis principium, quàm exitus sapienti suauis, & iucundus. effingebatur id per *Dianæ imaginem, quæ in Chio sic erat de sublimi expressa, vt ingredientibus tristis, & horrida: egredientibus hilaris, & iucunda cerneretur.* quid? nihil est tam tetrum, & immane in ipso rerum ingressu, cuius exitum sapiens non reddat felicem, & beatum. Nec procul ab argumento abest, quod Athenis strabo fingebatur Minerua. Nam iniqua auersis: æqua aduersis cùm spectentur oculis, qui sapiens est, vtrinque sic figit oculos, vt hinc inde luscus videatur, hoc est lumine læsus. facit enim omnia videndo, quasi nihil videat. Etsi enim minimè fas est sapienti parua negligere: nefas tamen est, ea interdũ

non diſſimulare. qua in re notatur Macedonum Rex Antigonus. Nam Antagoræ Hiſtoriographo piſcem condienti, Rex id vbi animaduertit, putasnè dixit, Homerum cùm Agamemnonis facta caueret, circa piſcem fuiſſe occupatum? tum Antagoras aculeatum Regis dictum, in Regem retorquens, an tibi ò Rex, dixit, in mentem venire poteſt, cùm Agamemnon tot facinora præſtaret, eò animum habuiſſe intentum, vt culinam etiam curaret? Non curioſus igitur, ſed ſapiens, vt res Imperio benè procedat, ſit oportet Princeps. Nulla enim eſt Principis auctoritas, vbi Principe plus ſapit populus.

Quòd Res olim fuerit ſacra, Senatus decretum.
Elog. XXVIII.

SI Imperium ſtare minimè poteſt ſine obſequio, qui obſequium deſerit, firmamentum euertit Imperij. Quare longè capitalior Reip. infligitur ſecuris a ciuibus Senatui nõ auſcultando, quàm ab hoſtibus vniuerſa igne, & ferro oppugnando. Nam Senatui qui non obtemperat, in quo Principis auctoritas habitat, non tam videtur Principis auctoritatem retundere, quàm ipſi Principi machinari ruinam. Nam vt Princeps Imperio: ſic Imperium ſuſtentatur obſequio, quo detracto nihil vtroq; fit aridius, & magis inane. *fingitur id Emblematis colore, & pigmento, per Eriſichthontis figuram, qui neglecta Cereris ſacra in tantam famem incidit, vt ipſe ſui relictus cum eſſet cibus, totum ſe deuorarit pro pabulo.* Quid? pauit ſe ſemper populus ſuo ſanguine, & interitu, qui Magiſtratui non paruit. Nam ei non parendo, non ſolum inopiam parit, ſed etiam ſui exitium, & interitum. Abſorbet enim non ſua, ſed ſeipſam Reſp. Periculoſiusq; quàm fame, obſequijs laborat inopia: quæ non ſtudet ius omne ingurgitare Senatus obſeruantia. Multa quippè Sena-

Senatorum ætati: non pauca ſapientiæ: omnia debentur dignitati. primum oſtendit de ſenectute Cicero. ſcribit enim tantũ aliquando ſenectuti tributum eſſe honoris, quòd vt quiſq; natu grandior eſſet, ita prior in Senatu ſententiam rogaretur. de altero, vel vtroque potius loquitur vſus, apud Romanos, & conſuetudo communis. Nam locus Senatus conſulendi, erat in Deorum delubro: tempus verò aperto Sole recluſum. neque enim vel ante ortum Solis, vel poſt occaſum, ſi quod fiebat Senatuſconſultum, ratum erat populo. Accedit etiam, ad dignitatis gloriam, hic veli quidam religionis cumulus, quòd leges apud Romanos, fuerunt conſulares, vt antè Senatusconſulta nõ eſſent rata, quàm in Ædem Cereris ad Ædiles plebis deferrentur: ſed arbitrio conſulum ſupprimerentur, vitiarenturq́ue. itaque eò auctoritatis procedebant Senatusconſulta, vt nemo ab ijs recederet, qui non magis ius, & religionem videretur vulnerare, quàm deſerere.

Quòd Religione in primis & ducatur, & educetur Senatus.
Elog. XXIX.

QVia religioſum debet eſſe conſilium, veteres Conſum Deum fecerunt conſilij: eiq́ue templum ſub tecto in Circo extruxerunt, vt oſtenderent lucem non amicã eſſe conſilio. Nam fide maximè gaudet, & taciturnitate. Itaq; Antiquitas fidei panno velata manu ſacrificabat, vt hoc monimento doceret fidem in dando, capiendoq́ue conſilio tectam oportere eſſe hominibus: Deo verò nudam, & apertam: id in bello duæ conſilij teſtantur hæ obſides, hoſtia, & victima. Nã illa fiebat in primo belli ingreſſu, antè pugnam: hæc verò in exitu belli poſt victoriam. Nec ſolum, ſi quod res eſt attendimus, primordia conſilij à Deo ſunt petenda: ſed etiam firmamenta.

menta. Nam pen s Religionem est rerum agendarum structura omnis, & contextus, qui ex principio, medio, & fine consistit. Spectatur in sacris Ægyptiorum literis Hieroglyphicum, quod Emblematis veluti quandam doctrinam habet, & condimentum. *Vir Accipitris caput habens, toga talari indutus*. Est enim Accipiter Solis: vt Sol Dei imago. Solem consilij ille figurat, quia visus est acutissimi, & volatus celerrimi. in quo illud quasi Sallustij elucescit prius quàm incipias videto: vbi videris, maturè opus est facto. Soli autem quia mundus vix sufficit, facilè is Dei adumbrat infinitatem. Etenim nullæ sunt tam remotæ gentium oræ: nulli orbis terrarum tam retrusi sinus, per quos Sol suo splendore non censeatur peragrare. quorsum? non solum ædificium consilij est mundus, sed etiam domiciliũ: Deus verò auctor, & opifex, quo vniuersa reguntur. Itaque Romani Senatum habebant tantum in stato aliquo Deorum delubro: atque illi Deo, cuius in Æde Senatus erat coactus, adolebant Thus, & immolabant hostiam. Nec enim Romanis fas erat, nisi in locis, per Augures constitutis, quæ templa à templando exoleto verbo dicebantur, Senatum habere. Itaque in Curia hostilia: in Pompeia, ac tandem in Iulia, cum loca profana essent, Augures templa constituerunt, vt ex ijs Senatusconsulta more maiorum, iusta fierent. quid ita? vt locorum grauissimo testimonio conuincerent sacrosancta esse oportere Senatusconsulta. Quare vt in acie nunquam nisi prius inuocato Dei nomine, est certandum: ita semper in consilij capiendi deliberatione, vt æqua lance quod res est, librari possit, lumen, atque numen implorandum est Dei immortalis.

Quòd

Quòd Senatus nouit malis bene vti. Elog. XXX.

NIhil Senatui, qui mala omnia lucro habet, poteſt vnquàm accidere mali. Nam malis benè vti, non ſolum vtile, ſed etiam honeſtum eſt. quid? nouit, vbi res poſtulat, Senatus timorem in periculis, addere timori, quò ex animis hominum omnis abſtergatur timor. Sic apud Romanos C. Marius. Hic enim cùm milites perterreret hoſtium vis, & robur, Caſtris locum cępit, qui anguſtam haberet aquationem, vt rem ex timida redderet deſperatam. Nam vt clauus clauo, ſic timor pellitur timore. Sapienter igitur Marius. norat enim neceſſitate in armis, eſſe validius: nihilq; deſperatis militibus in pugna, eſſe animoſius. Nullum enim eſt tam horribile facinus, quod cauſſa non ſuſcipiatur timoris. Rei huius ſimu lacrum fingitur per *Medeæ Imaginem cum Iaſone fugientis, quæ metu paternæ vindictæ, auſa eſt Aegyaleum fratrem membratim diſcerpere, diſcerptumq; per agros paſsim proſeminare, vt Aætem patrem, in colligendis filij oſsibus, remoraretur perſequentem*. Quorſum? multæ ſunt artis flexiones, & diuerſicula. Nec in periculis ſapientis eſt ſolum animos hominibus addere: ſed etiã, quò fiant animoſiores, adimere. Nam veteri prouerbio, vincit Leones, non qui vi inſurgit: ſed qui eos lamna nouit terrere. Ardua res eſt, gaudetq; arduis virtus, cuius aſperitatem ea arte corrigit Senatus, vt nunquàm ex rerum aſperitatibus pellat virtutem: ſemper ex virtute omnes exterminet aſperitates.

Quòd Prudentiæ conſors ſit fides, & integritas. Elog. XXXI.

NOn ſatis eſt, vt in Senatu, conſilium ſit prudens. Nam fidele etiam ſit oportet. docuit id olim, apud Ægyptios, Harpocratis imago, quæ digito labijs impreſſo, non tã in con-

ſeſſu Patrum, quàm in ſilentio fidem commendabat. æquè.n. eſt ex Senatu aliquid foras prodire, atque prodere. Anacharſis igitur linguæ procacitatem omni flagitio fecit capitaliorem. nec id verbis ſolum docuit, ſed etiam ſignis omni luce clarioribus: quæ figuram habent minimè dubiam Emblematis. *Nã in Conuiuio apud Solonem ita decubuit, vt pudenda læua: & dextra videretur comprimere.* Fræno enim altiore putabat linguam, quę flabellum eſt malorum omnium, quàm rem veneream indigere. Nec enim facilè tot recenſueris homines, qui rei venereę intemperantia calamitatem ciuitatibus contraxerint: quot ciuitates arcanorum diſſoluit enudatio. Nam cur apud Romanos, Agenora Dea, cuius in tutela erat vrbs Roma, obligato, obſignatoq; ore effingebatur? quia ſi benè attendimus, conſilium conſultori, niſi ſit occultum, ex bono ſæpè redditur malum. Papyrius itaq; Prætextatus ex Senatu Romano magnam reportauit gloriam, quia aliquando Senatus conſilium feſtiuo, apud matrem, texit commento. Cum enim à Patre duceretur in Curiam, in eaq; fortè arcana quædam tractarentur, domum reuerſus, interrogatus à Matre, quidnam in Senatu eſſet actũ, vt duæ vni inquit viro nubere poſſint. Re autem illicò inter matronas vulgata, mane gregatim ad Curiam concurrunt, multò ſatius eſſe clamitãtes viris duobus vnam nubere mulierem: cuius clamoris cauſſa tandem cognita, Senatus Papyrij, in ętate, taciturnitatem admiratus, Soli in poſterum ex æqualibus aditum conceſſit in Senatum.

Quòd & Sol, & ſal Senatoriæ ſapientiæ emineat, ex Senatorum oratione. Elog. XXXII.

VT Auem cantus: ſic ſua hominem prodit oratio. Nullo.n. alio colore animi pictura melius, quàm oratione cernitur expreſſa. Cùm igitur Iuuenem quẽdam Socrates affectaret cogno-

gno-

gnoſcere, non quæſiuit à vicinis qualis eſſet: ſed tantum eum compellauit ad loquendum. Iuuenis autem cùm animi ſenſa ſilentio obuolueret, tum ille loquere dixit, vt te videam. Nam is demum hominem videt, qui non animi ſimulacrum, ſed ipſum animum cernit. Animi autem, qui homo eſt interior, viua imago cenſetur eſſe oratio. Quare ex ſapientiſſimorum Patrum oratione, non difficilis eſt coniectura, quin illi maiorē affinitatem habeant cũ ſuperis, quàm cùm hominibus. illi. n. ſapientiam patrimoniũ fecerũt ſui ingenij, & virtutis, quæ vim, & naturā obtinet numinis: quæ res facit, vt rerũ difficultas eorum induſtriæ: non induſtria cedat difficultati. *Rei eius ibi elegans cernitur imago: vbi Pan ſua facie fingitur fiſtulam tenens ſeptem imparibus calamis ſimul iniunctis.* Nam omnia naturæ: ſolũ natura paret virtuti. Cui mundus, niſi concinet, ruat omnis oportet. Hæc n. eſt ſeptem Planetarũ conſonantia: hæc eloquentiæ harmonia: hic doctrinæ concentus, cui parere coguntur Imperij firmamenta vniuerſa. Regina enim rerum omnium eſt virtus: virtutis magiſtra, & domina eloquentia. Itaque paret æger Medico: cliens Patrono: miles Imperatori, omnes verò ſimul viro eloquenti. eſt enim eloquentia fundus ſapientiæ: Imperij lumen: atque honorum decus.

Quòd delinquentis culpa, apud Senatores, non ſanguinis: non amoris: ſed iuſtitiæ tantum pendatur trutina. Elog. XXXIII.

APud Senatores parua eſt in iudicij arbitrio, ſanguinis: ſumma iuris, & iuſtitiæ auctoritas. Nam qui viri iuſti perſonã induit: deponit parentis. Sic Trebonius cùm Marij Nepotem occidiſſet, quia vim, & ſtuprũ inferre tẽtarat, non ſolùm impunè à Mario eſt dimiſſus, ſed etiã corona donatus. Etenim non eſt iudicis, quod turpiter eſt admiſſum indul-

gentia

gentia ferre: ſed ſupplicio auferre. neſcit.n.ius, & iudicium qđ turpe eſt pati.bellè id ſuo repreſentatur ſimulacro *per Regem inter ſuos Elephantum ſedentem.* Nam Elephas tanquam impatiens turpitudinis, ita inter animantes Suem ſtomachatur, vt interitũ facilius, quàm grunnitũ Suis ferat. itaq; olim Megarenſes in bello, Sues pice illinitos, & mox igne inflãmatos in Antipatri exercitũ aduerſus Elephantos immiſerunt: eosq; hoc ſtratagẽmate, cũ vniuerſo exercitu, fugarunt. Quia igitur Princeps fertur, duciturq; odio turpitudinis, in improbos ſeuerus: in bonos viros clemẽs ſit oportet. Clementia autẽ in Principe nunquam ferè vituperatur: Laudatur etiã ſæpè ſeueritas, ſi ars modo quędam accedat. Nam Clementiam, quæ ad gratiam valet populi: Princeps melius ſibi aſſumit: ſeueritatẽ, quæ ad odiũ facit glorioſius ad eos, qui perſonę ſuę vicem gerunt, remittit, difficilè, tamen eſt dictu exoſa nè, an ſalutaris magis ſit vindicta. Hoc.n. inter gratiam, & pęnam intereſt, ꝙ qui nullam gratiã pro beneficio reportat, vir remanet bonus: is autẽ, cuius crimen nullo expiatur ſupplicio, redditur deterior, quia qđ debet, nõ reddit legibus, & iudicio. Itaq; Cato Cẽſorius aſſeuerabat malle ſe pro beneficio gratia: quàm ꝓ maleficio, priuari pęna, & ſupplicio.

Quòd Senatus Imperij ſimul, & Obſequij ſit vinculum. *Elog. XXXIV.*



Enatus inter Regem, & populum ſibi locum conſtituens, illius vim: huius metum prohibet: omniaq; ex turbulentis in Imperio tranquilla reddit, & pacata. Qualis enim eſt Senatus doctrina, talis eſt Reip. diſciplina. Argumenti Emblemate non ſine venuſtate tenentur intuentium oculi: per *Olitorem plantis Surculum inſerentem*. vt enim plantæ non ſua: ſed Surculi ferunt poma: ita

in Reip. Campo, populus non suos, sed Senatoriæ industriæ parit fructus. Quare nihil est Senatus, si veteres consulimus, nisi populi magister, & Dominus: nihil ars Senatoria, nisi arx bonorum omnium. Nam in ea tempore pacis, sedes est iustitiæ: tempore belli, victoriæ, & felicitatis. quid? fuit Cyrus in acquirendis regnis fęlix: in retinendis infęlix: Senatus verò artes tenet & acquirendi, & simul retinendi: parumq; esse existimat se non solum in fronte, sed etiam à tergo oculos habere: nisi etiam ad tutandum Imperium cura accedat solers, & diligens. Nec id temerè. Nam cur Homerus Agamemnonem cùm cæteri dormiant, semper facit vigilantem? quia Principatus vix est otij patiens. virtus enim diligentia: otio vitium maximè alitur. neque enim imperantis gloria sine virtute: neq; virtus sine actione potest consistere. Ea igitur Resp. bonis abundat omnibus, quæ inops est otij. docuit id C. Cæsar, cui in vita, nulla hora fuit labore, & studio vacua: quiq; adeo tenax, & auarus fuit tēporis, vt quemadmodum Oppius meminit, duobus pluribusve scribis plerunq; Epistolas alienissimi argumenti, eodem tempore dictitaret.

Quòd ius ciuile, opus sit Senatus. *Elog.* XXXV.

LEgum sciscitandarum ratio propria est Senatorum. Sic apud & Romanos, & Lacedæmonios suscepit vsus. eorum enim est leges rogare, qui plus sapiant. qui vulgo igitur Senatores dicuntur, olim etiam Legumlatores appellabantur: Patres item dicti sunt patriæ, quia & domi, & militiæ amore singulari, lege communi omnia tuentur, & defendunt. Senatoriæ autem sapientiæ laudem, quasi *quoddam Emblema Iani concipit effigies, & imago, qui olim biceps sic constituebatur, vt vnum caput esset senis, alterum iuuenis:* eò quod eius sit domi con-

silio:

ſilio: foris armis Reip. prodeſſe vix enim Senatus in Imperio aut conſilium ſine viribus: aut vires admittit ſine conſilio. Nam cur Iani templum Romæ tempore pacis clauſum: tempore belli erat recluſum? quia lucem odit conſilium: tenebras iudicium, quorum in adminiculis felicitas omnis conſiſtit Reip. non in ijs rebus, quibus Sylla, qui felix cognominatus eſt, ſuam felicitatem definiuit, quarum vna eſt, quòd Pium Metellum haberet amicum, altera, quòd vrbem Athenas non euertiſſet. quod omne etiam Regij huius Senatus illuſtrat gloriam. Nam in eius fide, & integritate, nõ pauciores ſunt Pij Metelli, quàm Senatores: eiusq; ſingularis beneficentia ſapientiſſimos quosq; viros ex remotis, & longinquis locis accerſendo, non euertit ſolum, ſed reſtituit etiam Reip. literariæ, quaſi euerſas plurimas Athenas.

Quòd Senatoris Officium Regio ſit ſimile: nomen vix diuerſum.
Elog. XXXVI.

NOn diſpar officium: nomen ferè æquale eſt Senatoris cum rege; vtriuſque enim in Officio, cardo hic vertitur, vt vterque intelligat ſe perſonam Reip. gerere, eius dignitatem, & decus ſuſtinere: memineritque ſuum eſſe ſeruare leges: iura deſcribere, atq; populum ſuę fidei commiſſum tueri, & defendere. In nomine verò Senatorio, non regia gloria, ſed virtus deliteſcit: non auctoritas Principis: ſed Principatus facultas. Magna verò Patrum conſcriptorum, ſi vtrunque ſpectemus, dignitas: ſumma etiam, ſi continentiam perpẽdimus, potentia. Nam cõtinentiæ poſſeſſionem qui habet, omni regno ditionem habet maiorem. Itaq; menſa Maſſiniſſæ Regis magis laudatur, quàm Cleopatræ vltimæ Ægypti Reginæ. Etenim inſatiabili abdomine nihil eſt neq; ad libidinẽ propẽ-

ſum:neq; ad pacem alienum magis:neq; ad feritatem morum, luxu,& copia accõmodatius.quod vt ſuoprobem Emblemate, effingitur id *per Tigres Bacchi currũ trahentes*. Haud.n. quicquã eſt tam immane,& crudele, q̃ quod exardeſcit, concitaturque temulẽtiæ furore:nullaq; tam inſidioſa, q̃ quæ maximè placet voluptas. Quare luxuriæ,voluptatisq; parens in primis vitanda eſt cupiditas,cuius peſtem cauere glorioſius eſt,q̃ externa maxima queq; bona poſſidere. Teſtis,eſt Ageſilaus.Hic.n.hiſti Titrauſtæ pollicenti ſibi innumerabilia munera, ò Titrauſta malo reſpondit,ipſe bonus eſſe,q̃ bona poſſidere omnia: Imperatoriq; præclarius eſſe duco cupiditatem, q̃ exercitum vincere armatum. Nec enim ei fas eſt ab hoſtibus capere munera, qui contra hoſtes eſt armatus,ſed extorquere ſpolia. Sic ipſi Senatores ſua virtute contenti,nihil niſi quod ius extorquet, cupiunt: nec pecuniam in iure dicendo: ſed iuſtitiã anhelant. Nemo .n. poteſt ſimul eſſe,& temperans,& pauper. qui ſic? quia is,vt inquit Seneca,cui cum paupertate benè conuenit,diues eſt.

Quòd Senatus puniendo Improbos,purgat magis quàm punit. Elog. XXXVII.

EST Senatus vindicta fellis ſimillima. vtraque enim amara eſt, ſalutaris tamen. altera ſua acritate ſenſum exacuit oculorum,eò quòd ſanguinem purgat,& attenuat, vniuerſumq; corpus prauis abſtergit humoribus: altera ſuo morſu pariter, & acerbitate ex peccantis animo ſordes pellit omnes vitiorum. Quæ igitur ex iure, atq; adeò ex Senatu improbis hominibus infligitur pęna,illa non adeò delicti habet ſupplicium, quam delinquentis remedium.indè Senator à Saluando, quaſi ſaluator incolumitatis publicæ, puto, eſt nominatus. Nemo enim eſt tam ſtolidus,& ſtupidus, qui Senatoris nomine

ne ſanitatem Reip. non ſentiat reſonare. Nam, vt nominis vim omittam, quid eſt auctor iuris, cuius Magiſter, & Dominus eſt Senatus, niſi veluti quidã ægroti Imperij Medicus, vel potius, vt ita dicam Sanator, & Senator? eò ſupplicij omnis pertinet ratio, vt aut is, qui luit pœnas ſui criminis, corrigatur, aut cęteri pęnę metu, in officio retineantur, quò improbis ſublatis, boni viri tutius vitam agant. eſt enim Senatoris, mala futura caue re conſilio: præterita Sarcire iudicio: & exiſtentia temperare iuſtitia. Nec enim in Rep. benè inſtituta, vitium magis poteſt vacare ſupplicio, quàm virtus præmio. Quare Laocon, apud Spartanos, nemini parcebat erranti: cùmq; luens pœnas quidã exclamaſſet, peccaui inuitè, caſtigare igitur dixit, & inuitè. Improbus enim à ſupplicio, & pęna ereptus, deteriori eſt conditione, quàm ægrotus medicina, & ſalutis præſidio deſtitutus. Quò igitur Princeps eſt populi amans magis, & ſtudioſus, eò in eius erratis expiandis eſt ſeuerior. *Itaque Cacus, quem loco Emblematis iam affero, apud Homerum, ob ſurreptas Boues, ab Hercule, bobus etiam recuperatis, eſt ſuffocatus.* Non enim ſatis eſt innocentem habere quod ſuum eſt: niſi etiam habeat, qui nocens eſt. Quod autem dicitur de Caco, id eſt eiuſmodi, vt ad improbiſſimum quemq; poſſit transferri. Nam Cacus, ſi vox ad viuum reſecetur, improbi viri habet interpretationem, Improbum autem qui iudex non caſtigat, ei redditur improbitatis ſocius. itaq; Frontho Danaorum Rex legem tulit, vt ſi quis ignouiſſet furi, pęna furti ipſe puniretur.

Quòd Senatus Dux, & Imperator ſit Regiæ gloriæ.
Elog. XXXVIII.

NEminem eſſe puto, qui ſe non malit eſſe Vlyſſem, quàm Cyclopem. Nam maiores ſunt conſilij vires, quàm cor-

poris. itaq; homo pusillus ingentes Elephantes, per Syluas capit: frenat equos: subiugat boues aratris: volucres arundinæ de cęlo deijcit: ac deniq; quod in imò fluminis latitat hamo extrahit. Magna verò Senatus, qui Architectus, & opifex est publici consilij dignitas. Nam vt Reip. potentia ex populo: auctoritas ex Principe: ita consilium omne ex Senatu est petendum. par est igitur rationi, vt sicuti Populus Principem: ita Princeps Senatum sequatur ducem. Etenim vt potentia sine auctoritate: sic auctoritas omnis flaccescit sine consilio. Non ineleganti patet id Emblemate *per Aeneam, & Achatem, qui nebula septi ingrediantur Carthaginem.* Est enim Principis, qui alios regit, sua consilia tegere: boni viri non reuelare. Nec aliam ob rem, Achates Græcè dictus est ab ἀ priuandi particula, & χατεω indigeo, quasi nullius rei indigens, nisi quia ibi, vbi non deest Imperio consilium, omnia Imperij exulant incommoda. quid? primus ille excitat ignem. Nam ignis auctor est, & opifex eorum bonorum omnium, quæ in vtilitatis delitescunt nomine: cùm sine igne, neque metalla: neque artes existerent illiberales. In consilio igitur Senatus, cùm Populus omnes reponeret Imperij Thesauros, voluit Senatores calceis Lunatis vti, vt cùm Luna externorum bonorum sit procreatrix, per omnes gradus admonerentur, ne quid Resp. detrimenti caperet. Quoniam igitur ex consilij errore, vis ruit vniuersa Imperij: ex Senatus consilio non solum Reip. primordia: sed etiã firmamenta sunt capienda.

Quòd Senatus concordia, Populi sit incolumitas.
Elog. XXXIX.

INhonesta nolim crepare: hoc non queo tacere, plures quod volunt inter mortales, quàm quod debent, sequi. non enim amatur quod pluris est: sed quod magis placet. ita

Canis

Canis à Cane in amore, Boui pręponitur: sic Formica Tauro Formicam anteponit: ita ferè mortalium amor non fit ex iudicio: sed ex opinione. Res est igitur sæpè periculosa amor: semper infausta simultas, in illa tamen si modus adsit, iustitiæ: in hac tessera est iniuriæ. vbi autem mutuus est amor: ibi vix quicquã est, quod metui possit mali. itaque Aues, natura magistra, omnes, quas vel Aquila, vel Accipiter ad prædam petit, gregatim volantes societatis fœdera, nullo vnquam dirimunt dissidio. Nec vulgare apud veteres, concordia testimonium est in amore. Etenim cum solent matrimonij Deæ Iunoni cùm sacra facerent, ab hostia fel eximere? quia certè, si sapimus modo, concordiæ pestis, in bile, & iracundia est posita. Succus autem, & sanguis in amore: Nam qui amat, pluris quàm vitam facit amicum. Rei huius color, & species cernitur in Ægei Athenarum Regis imagine: qui cùm Theseo filio in Cretam ad Minotaurum nauiganti præcepisset, vt trucidato monstro, si incolumis rediret, ad lætitiæ argumentum albis vteretur velis: vbi atræ prospectæ sunt, è portu patet in mare è scopulo se præcipitauit: quorsum? Non verus est amicus, qui amici non sit amantior, quàm sui. Cuidam igitur ex familiaribus interroganti, qui domum retulerat annuo Commeatu Alcibiadis, quanam rerũ gestiret copia: Amicorum ille dixit. Nihil enim est neque in bonis melius: neq; in honore, honestius amicitia: Quare apud Scythas is habebatur ditissimus, qui non opes: sed plures possideret amicos. Nam ad vitæ præsidium plus est in amicis, sine pecunia firmamenti: quàm in pecuniarum redundantia, sine amicis. Dicere igitur solitum legimus Socratem, nullam esse prætiosiorem possessionem vero amico: nec aliunde vtilitatis plus, aut iucunditatis posse capi. Quocirca non solum turpiter sentiunt: sed etiam præposterè agunt, qui grauius pecuniæ iacturam, quàm amicitia ferunt.

Quòd nihil ſit Senatorum diſſidio inter ſe, populo periculoſius. Elog. XL.

QVoniam Cuſtodibus Reip. inter ſe diſſidentibus, procurationem Reip. non tuetur ius, ſed euertit tumultus: longè in pace eorum periculoſius eſt diſſidium, qui ſedent in puppi, clauumq; tractant Imperij, quàm eorum, qui aperto Marte, omnia hoſtilia tentant. Quid ita? quia ibi ſecundus non poteſt teneri Reip. curſus, vbi non tractat, ſed detractatur Imperij clauus. Antiquitatis nõ magis graue, quàm eruditum eſt teſtimonium. Nam Ariſtides, & Themiſtocles, & ſi mutuis ardebant odijs: tamen quoties legati, ſiue Imperatores publicè mittebantur, in finibus agri Athenienſis, priuatas ſimultates, & inimicitias deponebãt, recepturi, ſi ita viſum eſſet, in reditu. Nulla quippè amoris vis eſt tanta, quæ nõ atrocitate abſorbeatur odij. Rei eius effigies, ſimulacrumq; conſtituitur per *Imaginem Althea, quæ ægrè ferens fratres ſuos à Meleagro filio interfectos fatalem combuſſit ſtipitem, de quo Parcæ prædixerant Meleagrum non prius periturum, quàm ſtipes ipſe igne fuiſſet abſumptus*. Eſt igitur cum laudetur ſingulari virtute conſtricta Senatus Mediol. concordia. in eo enim priuatũ odium, ſi quod incurrit, cedit amori publico: non amor publicus odio priuato. Nec magis Lucullus laudatur, qui in bello contra Mithridatem, maluit ciuem vnum ſeruare, quàm quæcunq; eſſent hoſtium deripere: quàm hic iſte ſapientiſſimus Patrum concentus, & conſeſſus, quorum in ſingulis videtur ipſe iam Lucullus amore, & beneuolentia reuiuiſcere.

Quòd

Quòd parum sit Senatori iustè Remp. administrare, nisi etiam administret humaniter. Elog. XLI.

NOn satis est Senatori in Imperij campo fructus legere, & colligere iustitiæ: nisi flores etiam adsint beneuolentiæ. Nam in Rep. maior vsus est amicitiæ, quàm iustitiæ. Hæc enim concordiam tantum: illa suauitates etiam parit concordiæ. in hanc opinionem cùm venisset Plato, nulla alia potius virtute Remp. felicem effici posse iudicauit, quàm si leges omnes, & mores, ad amicitiam, rerumq; omnium communitatem referret, ea quippè est beneuolentiæ, & amoris vis, qua ad benè beatèq; Imperandum, nihil temporis Antiquitas neq; in pace, neq; in bello, valentius esse existimauit. præclara rei eius facies est, & imago per *Vulcani Catenam, cuius ex vinculis nec Mars, nec Venus potest extricari*. Conuincit enim Emblema nihil, ad vtrunq, tempus, & pacis, & belli, esse amore accommodatius. Nam, quoniam ignis artes omnes, & reperit, & conseruat, iccircò Antiquitas Vulcanum, vt refert Plutarchus, Principem, atq; ducem fecit artium omnium, sine quibus neque Venus in otio: neque Mars in bello stare potest, quæ res amoris vim, & naturam videtur figurare. Etenim cùm amor sit desiderium boni, & pulchri, quorũ altero doctrina, altero virtus definitur, nemo nouit amare, nisi sapiens: nemoque alteri esse amicus, nisi qui sit vir bonus. Quare etiam in bello, amicitiæ ius quærendum est: non violandum. Testis, apud Romanos grauissimus est Fabius. Nam cùm à Pyrrhi Medico literas accepisset, qui Regis se vitam in manu habere scribebat, eumq́ur statim vbi nolet, veneno interemptum iri: Fabius hosti Pyhore Medici literas, cũ his verbis, remisit, vt cerneret quàm iniquus esset amicorum, & inimicorum iudex. Sapienter quidem. Nam

cuius ferocitatem ferro non poterat hostis: nullo negotio statim expugnauit amicus.

Quòd optimus parens ciuilis concordiæ sit Senatus. Elog. XLII.

CVm Senator publicę felicitatis sit opifex, & architectus, nulla ei in Imperio, periculi flamma, magis, quàm ciuilis discordia est vitanda. Nam Reip. nullus, neq; hostis: neq; morbus: neque Tyrannus nocet peius quàm intimum populi odium, & discordia. Etenim si concordia quouis muro firmius est munimentum: nulla tanta est strages, & ærumna, quæ ex dissidio populi non sit metuenda: nulla Ciuitas tam stabilis: nullum Imperium tam firmum, quod non odijs, ac dissidijs possit euerti. Grauis est Romanorum auctoritas. iccircò enim Romæ Senatus in Ædibus Concordiæ habebatur, vt loci eius monimento intelligerent P. C. Senatum minimè patientē esse simultatis, & discordiæ. omninòq; in eo, tanquàm in concordiæ sacrario, agendum esse tranquillè, & pacatè. Nam si benè attendimus, nihil concordiæ potest reniti. Rei huius Emblemate, plurima cum eruditione, tenentur mortalium oculi. per *Atlantem Clypeo armatum, cuius fatali præsidio neque videri ab inimicis: neque inuideri ab amicis poterat: valebatque alios lædere: non valebat ab alijs lædi*. Quorsum? nulla validior est Imperij armatura, ea populi concordia, quam communis spes: communisq; metus parit. Hæc quippè sola neque inimicorum odio: neque amicorum laceratur inuidia. duo enim sunt inter mortales firmissima consociationis vincula spes, & metus. illa, vt quæ animo conceperint bona, consequantur: hic vt quæ imminent mala, subterfugiant. duo pariter arctissimi amoris nodi, beneficium, & gratia: quorum alterum accipientis beneuolentiam conciliat: altera largientis studium charitate confirmat. Hùc connubia pertinent Platonis, qui in 5 Dialogo de Rep. ea tantum

tum

tum probat, quibus potentiores cum infimis, & diuites cum egenis iungantur, quo tota Ciuitas omni ex parte par reddatur, & æqualis.

Quòd veluti quidam nexus ciuilis concordiæ sit Senatus.
Elog. XLIII.

NIhil est Senatus, nisi veluti quidam obsequij cum Imperio clauus, quo Princeps, & Populus eo fœdere constringuntur, vt vna quasi persona fiat ex duabus. Nerui igitur, & vires Imperij omnes in vno consistunt Senatu. Nã Senatorij est ordinis, ciues omnes non adeò consociare, quàm consociatos vno colligare amoris vinculo, in quo summa sunt Reip. firmamenta. Nõ leue est Agesilai Regis Lacedęmoniorũ testimoniũ; Interrogatus enim cur Sparta męnibus cincta non teneretur, quia respondit, nullum vallum vrbis, est amore, & cõcordia ciuium firmius: nulla Ciuitas valentiori muro circonsepta, quàm quæ ijs viris tenetur stipata, quos Magistratus, non natura parit. Quare ciuibus monstratis, qui mutuis certabant officijs, dixit arces omnes cęterarum gentium, ac muros ingentes, illorum concordiæ, qui pauci erant, concedere. id Emblemate euidentius fortè, quàm verbis exprimitur per *Scillurum Scytharum Regem, qui octoginta cum haberet filios iam moriturus.* sibi afferre fasciculum hastilium iussit, eumq; singulis, ita vt erat colligatus, confringendum dedit: cùm autem eorum quisq; id se pręstare posse negaret: ipse vno post alterum detracto, hastilia omnia nullo negotio confregit: ostendẽs illos concordia fore insuperabiles: dissidio infirmos, & imbecilles. Nam ea est concordiæ in amore vis, vt magis timeat qui amet, ne quid mali faciat, quàm ne patiatur.

Quòd

Quòd nihil minus ſit Senatoris, quàm uoluptate duci.
Elog. XLIV.

QVoniam nihil eſt voluptas, niſi Aiacis, vt vulgato fertur Prouerbio, riſus: iure Senatores gloriari poſſunt ſuo nomine, qui à Senio ſunt dicti, in quo fax reſtingitur libidinis: accenditur quaſi de Cęlo rationis. Nam Senectus ætas eſt continentiæ: continentia autem Lampas Dianæ, quæ non corporis, ſed mentis illuminat oculos: quaq́ue quod aperto Sole non cernitur: in obſcuriſſima noctis caligine apertum redditur, & perſpicuum. Hac virtute in primis laudatur Alexãder Magnus: Scipio Africanus: Marcus Aurelius, & Traianus, eò quòd ab ijs ne captiuæ quidem virgines, niſi cum pudore, & pudicitia tractarentur. Nam is apud alios, inuictum ſe præbet, qui apud ſe, neſcit vinci voluptate: fruſtraq; foris contra hoſtem armatur, qui domi, hoſti morem gerit. Emblema id eleganter. *per Achillem, qui cùm nulla ex parte corporis lædi poſſet, niſi ex pedis planta, Polyxenæ amore captus, anſam hoſti Paridi præbuit ſui interitus.* eò quòd cauenda ſit in bello libido: Caſtra à Caſtitate ſunt nominata. Nam qui vir fortis virtute bellica, tanquam ſtygijs aquis, immerſus eſt, etſi difficilè à Marte: facilè tamen, ſine lorica continentiæ, vincitur à Venere. Non falsò igitur Socrates ex Magorum ſententia, ante curari corpus vetabat, quàm curaretur animus. Etenim qui abalienato vtitur animo: vires aduerſus ſe habet corporis. Nec continentia tantum, vt ad rem redeam, deliteſcit in Senatoris nomine, ſed etiã vis, & ratio quædam felicitatis. Si enim felices ſunt, qui nullis indigent, felicitate minimè vacant, qui nihil appetunt: quia ijs nec deeſt in penuria aliquid: nec ſupereſt in copia. Vetus eſt Apollinis teſtimonium. Gyges enim Lydiæ Rex ab oraculo percontatus

tatus num vllus mortalium se esset beatior, Gladius, ipse respõdit. erat autem Gladius, Arcadum omnium pauperrimus: sed suo contentus. Sapienter igitur regius hic Senatus, qui sui ordinis domicilium fecit cupiditatis, voluptatisq; exilium, longè quippè veneni uis capitalior est in voluptate, quàm in Aconito. hoc enim interimit tantum sine dolore: illa etiam cum delectatione.

Quòd Concordia Senatorum, ara sit in Senatu Iustitiæ. *Elog. XLV.*

QVoniam Senatus est Sapientiæ domus: nullus oportet sit in Senatu dissidij, & petulantiæ locus. Sapiẽti enim qui loquitur auscultandum est, non obloquẽdum. vetus est Romanorum auctoritas. Etenim cur apud eos, in more erat positum, vt pedarij Senatores, qui ex Plebe erant asciti, sententiæ non haberent dictionem? non quia verborum laborabant inopia: sed quoniam facilius est ipsi Momo, quàm Plebeorum generi satisfacere. Ne igitur postremo Senatorum ordini, sententiæ loco, ansa porrigeretur detrahendi superiori: tempusq; cauillo magis, quàm consilio consumeretur, factum est, vt obmutescentes pedibus in aliorum sententiam irent. Nam sicuti quæ mulier semel pudicitiam amisit, rarò pudorem seruat: ita vix vnquam modum tenet, qui fines aliquando alijs reclamando transijt verecundiæ. Adumbratur id suo *Emblemate. per Picam aduersus Sirenum Cantus garrientem.* Nam quid Consoni habet ales obstrepera illa cum arguta Sirenum voce? non temerè Pica, quæ garrulitatis est Hieroglyphicum, Sacra est Marti. Garrulitas enim flabellum est dissidij: dissidium malorum omnium: quorum in bello incendium, mortalium tandem restinguitur sanguine. quid? iacet doctrina, nisi doctrinæ socia adsit modestia, quam qui habet minimum loqui: plurimum gestit operari. Nec aliam ob rem Draco, qui solus inter

omnes animantes nũquam ſomnum videt, Mineruæ eſt ſacer: niſi vt intelligamus, neminem eſſe tam doctum, quin ibi iacturam ſtatim faciat doctrinæ: vbi in dictis, aut factis obdormit modeſtiæ.

Quòd Perſonæ dignitas nutrienda ſit, veluti quodam temperantiæ pabulo. *Elog.* XLVI.

THemiſtocles cuidam quærenti cur planta Mineruæ eſſet olea, quia reſpondit intemperantiæ eſt inimica. Nam in voluptate non ſolum nota eſt improbitatis: ſed etiam ignorantiæ. duplex igitur ex intemperantia homini inuritur macula: vna ingenij: altera turpiſſima cupiditatis. cur ingenij? quia ſciunt Mugiles: neſcit intemperans in eſca inſidias latere, illi cauda hamum excutiunt, & dolum explorant, hic peſtem capitis emit ventris voluptate. quid dicerem ſcelerum turpitudinem? non audire id, ſed videre eſt *per Circes imaginem, quæ ex ſocijs Vlyſſis alios in Vrſos: alios in Leones: ac demum alios in ſues commutet.* Nam luxuria humanos mores mutat in ferinos: nec vnius vitij: ſed omnium vitiorum concipit dedecus. ſiquidem perditus homo, & diſſolutus non eſt Leo, ſed Leonis veſano fertur, duciturq; furore Vrſus non eſt, ſed cum Vrſo, veterno laborat, atq; contabeſcit otio: Sus non eſt, ſed Suis inſatiabile habet abdomen, quod neq; expleri, neq; ſatiari poteſt. quid? quoniã temperantia non ſolum parit corporis incolumitatem: ſed etiã animi virtutem: intemperantia totum oportet euertat hominem. Quare Tiberio Cæſari non adeò nomen Imperatoris glorioſum fuit: quàm infame, & exoſum, quod ſui nominis dignitatem libidinis maculis aſperſerit. eſt enim contra ius, vt is viris imperet, qui neſcit non parere fœminis. Nec enim vim in bello pellere nouit: qui domi neſcit cauere inſidias. Nam vis omnis, & iniuria inſidijs veluti quibuſdam nutritur cibis. Itaq;

animi

animi affectus, in primis sunt cauendi. Hostes quippè familiares magis, quàm externi: sunt insidiosi. Hi enim vitantur, illi amplexantur, nocentq; antè, quàm fallere videantur: hos consilio qui vincit: illos virtute facilè deijcit. iurè igitur vno omnium ore, & sermone Regius hic celebratur Senatus. Nam seueritatem tenet Censoriam, quæ olim apud Romanos magistra erat temperantiæ, & modestiæ ciuilis domina: tantumque abest à luxu, quantum studio, & opera machinatur alios abesse.

Quòd intemperantiæ macula, non deleatur officij dignitate: sed eius contaminetur scelere. Elog. XLVII.

NVlla est in æstu inconstantiæ, & cupiditatis fluctibus, firmior aduersus omnes vitiorum procellas, anchora, quàm temperantia. Quare Imperatori non minus honestum est temperatè aduersus voluptatem, quàm fortiter contra pericula pugnare. Nam ferro hostium robur: virtute animus magis superatur. itaq; Scipio maior non tantum gloriæ ex hostium trophæis, quantum ex victis voluptatibus reportauit. Artem enim eam vincendi statuebat esse temperantiã: in qua, per dignitatum regiones proficiscentibus optimũ ingenij firmum valetudinis: atque gloriosissimum nominis, & famæ est viaticum. Nam modestè viuere, veluti quoddam diuinum officium est: eoque tanquam optimo rerum omnium concentu Senatoria maximè tenetur dignitas. Quare olim, & Manlius à Senatu, motus est, quòd vxorem, præsente filia, dissuauiari veritus non esset, & Sallustius ob adulterium, perditosq; mores, Senatoria exutus est dignitate. Nam vt Sophocli Pericles in Prætura collegę dixit, Magistratus non solum manus, sed etiã oculos debet habere continentes. Qui enim ab ea virtute deflectit, quæ in dictis, factisq; modum tenet, nihil ferè ei venit in mentem,

tem,

tem, quod non lucem debeat cauere. Simulacro id repreſentatur *per Nyctimenen, quæ propter corporis flagitium in Noctuam eſt commutata: quæ non minus Solem, quàm mortem fugit.* Quid? qui flagitioſus eſt, & impurus, non tam lucem, & congreſſum hominum odit: quàm noctem, & tenebras amat. quò igitur flagitij nota eſt ſordidior, eò temperantiæ domi, militiæq; præclarior eſt gloria. Quare Carthaginenſium lex erat, vt nullus miles in caſtris guſtare vinum auderet: ſed tantum aquam expeditionis tempore biberet: ea lege pariter prohibebantur Piſtores ſequi militiam, eò quòd exiſtimarent buccilatum panem ſatis eſſe. Nam Romani etiam donum tãquam turpitudinum omnium officinam damnabant ventrem. quæ res omnis ampliſſimi huius Senatus illuſtrat gloriam. eam enim is incudem tundit, vt Ciues prudentes conſilio: iuſtos legibus: fortes diſciplina militari, atque temperantia modeſtos reddat, & honeſtos.

Quòd Senatus veluti quidam nexus, at Principis cum populo, & populi cum Principe. *Elog. XLVIII.*

CVm nihil non poſſit Princeps, ea eſt Principis natura, vt impatiens ſit cõſortij. Nam vno imperante alter Reip. eſt ſuperuacaneus. inuentus igitur eſt Senatus. Nam quemadmodum in homine victus, corporis, & animi: ita in Imperio populi cum Principe, & Principis cum populo contextus, & ſtructura eſt Senatus. Docuit id aliquando apud Romanos, lampade Diogenis clarius, Marci Agrippę Apologus. Etenim cùm aliquando Plebs à Patribus ſeceſſiſſet, finxit Apologum, quo bellè perſuaſum reliquit populo neque hominem ſine ventre: neque Imperium vllo modo ſine Senatu poſſe conſiſtere. Nam vt venter hominis: ita Senatus Imperij reconditus eſt cibus. Argumenti *ſimulacrum Geryonis adumbrat figura,*

quæ

quæ cum sit tricorporea: vnum Imperij corpus constituit Principem: alterum populum : tertium Senatum, quasi vtriusq; vinculum. Nam ex Senatu Princeps imperandi : populus artem mutuatur obtemperandi. Itaq; Senatores Patres, quasi communes vitæ auctores, & opifices sunt dicti. Nec desunt, qui eos Patres conscriptos voluerunt esse nominatos, quòd eorum nomina in Diademate Regum essent conscripta, quasi eadem sit, & Principis, & Senatoris cura. in qua non ego iam Ateam Regem : sed Regium hunc miror Senatum. Ateas enim iccircò terrori fuit Philippo, quòd Philippus Macedonibus imperaret, hominibus tantum pugnandi peritis: ille verò Scythis, qui etiam aduersus famem, sitimq; pugnare norant. At longè Ateã ipse superat Senatus. Hic enim aliquando in rerum asperitatibus obdormiuit tempori: ille tanto continenter efferuescit studio, vt Senatores eos Sol vix vnquam dormiẽtes: ipsi verò semper Solem viderint exurgentem.

Quòd æquè Militiæ atque Togæ vigeat Senatoria auctoritas. Elog. XLIX.

NIhil intentatum, quod ad felicitatem Reip. pertinet, relinquendum est Principi: nec is bonum aut corporis, vt Medicus: aut animi vt Theologus: aut fortunæ, vt Iurisperitus: sed solus hęc vniuersa, quia vnus est instar omniũ, curare debet. quid dicerem Senatus? pro me id loquitur Demosthenes. Nam in exilium proficiscens, vbi arcem Athenien sium suspexit, altiore voce exclamasse dicitur, ò Pallas custos vrbium, cur tribus truculentissimis belluis delectaris, Noctua: Dracone, & populo? insignia hæc, quæ Palladi tribuuntur, docent vniuersa bonorum genera consistere in Senatus sapientia, tanquam in Principis tutela. itaq; prima Reip. cura, vt rei fa-

miliaris

miliaris Patribus, incumbit Senatoribus. Teſtis eſt Lycurgus, qui penes Senatores auctoritatem, & belli, & pacis eſſe voluit. Hi enim ex eius Sententia, non ſolum ſunt legum, & cuſtodes, & emendatores: ſed etiam auctores, & opifices. quid inquam legum? eo dicti ſunt Patres, quòd eorum iniuſſu nefas erat ciuibus, tanquam liberis, arma etiã cõtra hoſtes capere. ſed quid ego hæc de Lycurgo? ipſi apud Athenienſes Senatores reuerſis è bello ducibus, rationem rerum geſtarum ab ijs repoſcebant. Non obſcura, & elegans rei eius effigies in Græcia ſpectabatur, & imago. *Ara, quæ muſis cum Hercule erat communis*. Nam hoſti ſemper in bello horribilior eſt haſta Palladis, quàm framea Martis. ex Re enim literaria, tanquam ex vtre Vlyſſis, fortunæ Venti aduerſus omnes rerum procellas, & tempeſtates ducuntur faciles, & expediti. Quare Spartani nunquam ante ſolent manus cum hoſte conſerere, quàm inſtituiſſent Muſis ſacrificare. Qui enim Muſas habet propitias, nihil ferè neque domi, neq; militiæ fruſtra cupit. iure igitur optimo omnia, vt patet ex regio hoc Senatu, & primordia, & incrementa, & firmamenta Reip. in vna ſapientum collocatur virtute. Siquidem imperia malè parta: malè denique inſtructa, omnia ſuo deinceps ruunt crimine.

Quòd Senatus opifex ſit, & Architectus publicæ felicitatis, & communis ſalutis. Elog. L.

NIhil eſt in bonis melius diſciplina, & eruditione: quæ hominibus non ſolum anſam porrigit virtutis, ſed ẽt felicitatis. Itaq; Plato tribus de rebus, ſuperis gratias agere ſolitus eſſe dicitur: primum quia natus eſſet homo, quod generi tribuitur: deinde quoniam Socratis tempore, quo vſus eſt præceptore, quod ad educationem refertur: tum denique quòd Græcus, quod patriæ eſt, & rationis. At Romulus id omne

ne

ne multò maiore perstrinxit compendio: qui iccircò virtutum regiones omnes vna Senatorum definiuit sapientia, quòd Senatores fabri sunt præclarissimorum ingeniorum, maximarumq́. virtutum auctores, & opifices. itaque eos, quos centum constituit, Patres nominauit, penes quos imperij summa esset auctoritas, tantaq; dignitas, vt primum locum tenerent in Rep. Nam vbi imperat vir sapiens, ibi explorata est imperij felicitas: vbi verò stolidus, ibi ærumna, & calamitas. Loquitur id etiamnũ in pigmentis, & simulacris, *Paridis inter Palladem, Iunonem, & Venerem iudicium*. Etenim cùm constituantur tria vitæ genera, vnum intelligendi: agendi alterum: vltimum voluptati deditum, demonstrauit exitus, vnde strages Reip. sit cauenda: accersenda felicitas. Nam vltimo, in cinere deflagrati imperij iacuit Ilium: superioribus duobus felices, & beatæ floruerunt Athenæ. Qui vera intelligit doctus dicitur: qui iusta operatur vir bonus nominatur: qui vtrunque facit, sapiens nuncupatur, qui felix est, quia bis viuit: semel eò quòd viri boni: iterum quoniam docti viri vitam agit. Cùm igitur de Phocione Atheniensi cogito, qui ita naturæ imperauit, vt eum nemo vnquam neque ridentem: neque ingemiscentem viderit: non potest non mihi in mentem venire horum sapientissimorum patrum. Nã Senatus hic non moderatur tantum animi perurbationibus, vt fecit Phocion: sed etiam hoc ipsum, vt præstent alij, non tam iure cauent & legibus: quàm moribus vitæ, & exemplis.

Quòd olim Senatorius cultus Regiam præ se ferebat Dignitatem. Elog. L I.

ERat olim præcipuum, inter ornamenta Senatoria, honoris insigne, gloriæque monimentum, latus clauus. Non enim solum nomine: sed etiam indumenti genere solet

antiquitas gloriam distinguere dignitatum, itaque vestes olim à vehendo, vt placet Varroni sunt dictæ, eò quòd personarum conditionem vehant atque statum. Quare nobilem aliquem virum, aut veste denudari, aut vestem eius rescindi infamiæ cõcipit dedecus, itaque Artaxerxes Xerxis Persarum Regis filius cùm acerbius vellet in Principes viros, qui legibus, & iudicio damnati essent, animaduertere: non eos afficiebat supplicio: sed eorum vestes virgis iubebat cædere. Longè enim grauior est nominis, & famæ iactura, quàm incolumitatis, & vitæ, erat autem Magnatibus suum vestis genus in sumendis, & ponendis dignitatibus, aut laudationis, aut vituperationis loco. ex quo intelligimus Senatoriam dignitatẽ Regiæ maiestati olim fuisse finitimam. Nam latus clauus vestis erat Senatoribus cõmunis cum Regibus. Plinius enim libro nono scribit latum Clauum, Tullum Hostilium tertium Romanorum Regem, primum omnium ex Regibus gestasse, eumq; ab Hetruscis deuictis sumpsisse. Est quippè virtutis præmium nõ Regnum: sed honor, cuius latus clauus obses est, tanquàm Leonis spolium. Rei huius imaginem, & figuram M. Marcellus, vt aliquando apud Romanos cõstitueret, *Honori templum nõ ex detractis è montibus saxis: sed ex manubijs Siracusanæ prædæ erexit: sicque constituit, vt illud ingredi nemo posset, nisi per Aedem Virtutis*. Ignaui enim, vt solent olim Parthi, cominus nesciunt pro virtute præliari: sed omnia tentant eminus: atq; vt illi non stantes, sed fugiẽtes pugnabant: ita hi cùm procul à virtute aberrent, virtutis tamẽ aucupantur gloriam, & honorem. difficilè enim est dicere, trum plures virtutem laudent: an pauciores sequantur. Nam cùm virtus vim naturæ inferat, faciatque, vt mœreat quis in voluptate, & exultet in angoribus, lætitia: fit vt, sicuti ait Aristippus, nihil Sol vnquam rarius viderit viro bono.

Quòd

Quòd à Principe quæ summa sunt, Senatoribus debeantur Virtutis præmia. *Elog.* L I I.

NVllum magno Principe beneficij genus est dignius, quàm quod confertur non petitum: irrogaturq; etiã in posteros. Nam, vt ait Seneca, nihil neque carius venit, quàm quod precibus emitur: neque liberalius exit, quàm quod vltrò apud bonos viros, beneficium ponitur. Nihil autẽ delitescit in beneficij nomine, tam gloriosum, & amabile, quo Principes olim non viderentur Senatores augere, & cumulare. Siquidem præter ea præmia, quæ apud Romanos ad Senatorũ hæredes non transibant: alia etiã ad eos accedebant multò maiora: quæ semel per virtutem acquisita, in familia perpetuò manebant. Patricia enim dignitas Senatorum posteritati perpetua erat, ex cuius honoris gradibus facilis ad summas Imperij dignitates fiebat ascensus. Nemo enim antè, quàm patricius fuerat, in Imperatorem cooptabatur. Præmij igitur mortales cùm sint auidi, eius expectatione, veluti quadam cote, ad virtutem exacuuntur omnium animi. Quare in vniuersis Imperij ornamentis, nullum clarius beneficio nitet Diadema. Magnum.n. est non solum amoris, sed etiam seruitutis auctoramentum, beneficium. Nam qui homines à Principe munera capiunt, faciunt capiendo, vt magis capi, quàm capere videantur. Quocirca Princeps nunquàm fieri potest prodigus: quia eorum quæ largitur, nihil videtur alienare: sed ea semper omnia in sua ditione retinere, & potestate, exprimitur id per *simulacrũ Apollinis, qui dextra gratias gestet: Læua arcum, & sagittas*. ex quo intelligimus, quemadmodum scribit Macrobius, validiorem beneficio fieri Principem, quàm armorum potentia, & impiorũ supplicio. quia enim manuum dextra est validior: Læua imbecillior, iccircò in imagine potior est beneficentiæ, quàm vin-

dictæ, apud Principem commendatio. At inter Principes, & priuatos homines longè dispar est liberalitatis ratio. in his. n. difficile est liberalem quenquam fieri diuitem: in illis difficilius auarum non fieri miserum. Nihil enim est neq; ad robur imperij: neq; ad popularem gratiam Principis liberalitate accommodatius: nihil contrà Tyranni magnificētia, nec ad ærūnam: nec ad crudelitatem paratius. Quid ita? quia dona ab incognitis capere, res est non inanis suspicionis: plena autem periculi ab inimicis, nec id si Homerum consulimus, falsò quidem. Nam quorsum apud eum Aiax, & Hector sibi inter se dona ferentes? vt certè ex vtriusque ostenso colligeret posteritas non minus dona, quàm vulnera ab hoste esse cauenda. Hæc. n. minus lædūtur, quia, nitantur: illa verò grauius officiunt, quia vt bona excipiuntur. Quare & Hector Baltheo, quod ab Aiace acceperat, ad currum ligatus miserrimè ab Achille per exercitum fuit distractus: & Aiax gladio, quo ab Hectore donatus fuerat, crudeliter se traiecit. Quorsum? nullus inter mortales dolus magis officit, quàm qui amoris colore, & beneficentiæ figura tegitur.

Quòd neque vir bonus à Senatu: neque Senatus à viro bono vnquam recedat. Elog. LIII.

QVoniam æquè nefas est Senatusconsultum, atq; ius ipsum deserere, is demū vir bonus est, qui nescit ab auctoritate Senatus recedere. Antiquum est in aperto, & propatulo testimonium. Nam cur apud Romanos Senatusconsulta in Aedem Cereris Legiferæ, ad Aediles plebis deferebantur? vt certè inde ratum haberet populus, non magis licere ab ijs recedere, quàm ab ipsa Cerere, quæ iura omnia tuebatur religionis fœdere. Nec enim virtus scit mutari: nec Senatuscōsultum vicissitudinem pati. Nunquam enim est mutādū, quod

semper

ſemper eſt honeſtum. Nec in monimentis, apud veteres, flos defuit, & color huius ſententiæ. Loquitur id *etiam mutus*, *& elinguis ex Thya apud Antiquos expreſſus Mercurius*. ideò enim non ex omni: ſed ex plantæ huius ſolum ligno fiebat Mercurius, vt hoc monimento teſtaretur Antiquitas Senatus conſulta nunquam fluxa, & caduca eſſe debere. Nam ea eſt Thyæ vis, quę notiore nomine Cedrus dicitur, quę veluti quãdam adumbrationem habet æternitatis. eius enim oleo illitæ res omnes conſeruantur à tineis, & carie perpetuò immunes. inde vulgato Prouerbio opus dignum Cedro dicimus, quod eſt laudabile, & ab omni temporum iniuria tutum. Quot autem ſunt Senatores: tot ſunt Mercurij, hoc eſt Deorum nuncij: quorum decreta parum eſt, vt pia ſint, & iuſta, niſi etiam ſint perpetua, & æterna. Quod enim inconſtans eſt, id iuſtum non eſt, cùm permanens ſit iuſtitia, nec ſciat mutari. in ſacris igitur Ægyptiorum literis Palma Hieroglyphicum conſtituitur iuſtitiæ: non quia ea planta ea eſt incorrupta: ſed quoniam nunquam alius in alia fortuna eſt vir iuſtus. Nihil enim ſenſibus: omnia definit ratione. Itaque Iudicis ſimulacrum apud Cretenſes, effingebatur auribus deſtitutum. Nam lutulentum eſt, quod in aurium ſordibus volutatur iudicium: luculentum ſolum quod non opinione, ſed iure eſt illuminatum.

Quòd Armatum ius cedat Togato. *Elog. LIV*.

SVmma hæc eſt, vt inquit Plato, Reip. felicitas, cùm & Princeps nouit, vt oportet, imperare: & ciues didicerunt, vt decet, obedire. cùm hac tamen exceptione, quòd nõ minus Princeps, quàm populus tenetur Senatus dicto audire. Siquidem olim æquè Imperator Senatui, atque miles Imperatori cogebatur parere. præclarum, apud Liuium, extat teſtimoniũ. Nam cùm Fabius Gurges Conſul malè aduerſus Samnites pu-

gnasset, non tulit Senatus, atque de eo ab exercitu reuocando egit. Fabius autem Maximus pater, hanc nubeculam timēs infamiæ, eam deprecando pollicitus est Senatui se iturum filio legatum. At quid mirum? pugnatur viribus: vincitur consilio. itaque solent Reges, apud Lacedæmones, cùm prælium essent inituri Musis prius sacra persoluere, vt faciles promptæq; in periculis, arte, consilio, & prudentia primùm adessent; deinde vt præclara prȩliantium facinora, memoratuq; digna ad posteros disciplinȩ ergo transferrent. Nam viribus eneruati fortioribus: fortiores etiam in armis, cedunt prudentioribus. Rei huius *color, & figura est in Aeoli imagine, cuius ex arbitrio cernuntur, & seuire, & placari uenti.* vera est adumbratio Sapientis, qui mortales, & ducit quò vult: & deducit vnde vult: nouitq; aduersus hostes, procellas, & tempestates concitare: atque sedare pro animi voluntate concitatas. dictus est igitur Æolus à verbo græco αἰολέω vario, eò quòd pro animi sententia, mortaliũ mentes variet, noritq; omnia temporum varietati bellè accommodare.

Quòd olim in vestitu Senatorio, nihil non eminebat plenum dignitatis, & gloriæ. Elog. LV.

HIc olim apud Ro. Senatoribus erat vestitus, qui veluti quandam præ se ferebat sapientiæ effigiem, & ingenij figuram. Nam sicuti, & Mercurio Caduceus, & Ioui fulmen: Neptunoq; Tridens: Marti framea, ac deniq; Baccho Thyrsus sui officij interpres, & nuncius tribuebatur: ita qui à Senatoribus induebantur Calcei, Lunati erant, non solum decoris gratia: sed etiam disciplinæ caussa. admonebantur enim hoc calceamenti genere per Lunæ figuram, primum obsequij, deinde Imperij seruãdi. Luna enim nihil ante in res fluxas agit, & caducas, quàm Soli obtemperando, vim omnem acceperit

agendi,

agendi, de ſuperiori loco. id autem eò omne pertinebat ne veſtigium ponerent Senatores, quin recordarentur cęleſtis ſe virtutis, ſine qua humana ruunt vniuerſa, eſſe alumnos. Eos enim ſolos, qui ſapiunt audit, & exaudit Deus. non inanis eſt in Pythagoreis pigmẽtis antiquitatis auctoritas: *qua Sacerdos ab Ara animalia pellit auribus destituta*. Etenim olim cautum erat legibus, vt neq; piſcis: neq; animal carens auribus Deo offerretur. ille quia caret corde, deſtituiturq; ſpiritu: hoc, quoniam auriũ ſenſibus, quaſi quibuſdam foribus, de cœlo accerſitur religionis omnis doctrina, & diſciplina, qua remota, omnia Deo redduntur infenſa, & infeſta. Nihil enim eſt religio, niſi Imperij vexillum. Nam cum religione creſcit, & decreſcit Imperium. vt enim iuriſprudentia publicæ vtilitatis: ita religio ars eſt, & ſcientia communis vitæ, & publicæ ſalutis. itaq; in Imperij inſignibus, præcipuũ, vt aſſerit Herodianus, fuit religionis. quod etiamnum fas eſt, ex Senatorum Lunato Calceamenti gerere, recognoſcere, eſt.n. Luna, apud Antiquos Diana: vt Sol Apollo.

Quòd Senatorum opifex, & Architectus ſit ipſe Deus.
Elog. L V I.

IGnis olim apud Romanos, Regibus, & Imperatoribus, haſta in ſartagine prælatus non habebat elementi, ſed religionis, qua ars omnis definitur imperandi, interpretationem. petitum eſt autem hoc inſigne à Chaldæis, qui vt ſcribunt Græci, ignem numinis vice coluerunt. exiſtimabant enim nulla re magis Religionem, quàm igne poſſe figurari, quia ignis de Cœlo miſſus, continenter in Cęlum tendit: atq; elementum cùm ſit, non tamen, vt cętera elementa, putreſcit, aut vllis contaminari poteſt ſordibus: ſed ſemper viget cum Cœli leuitate: nũquam ſine ſplendore, quo obſcuriſſimæ noctis pellantur tenebræ. ſed

nè procul abeam, quemadmodum ignis dictus est à gignẽdo, quòd ex igne gignantur reliqua Elementa: ita Imperij vis omnis, & dignitas manat de Cœlo à Deo immortali. Quare nunquam fit sine cœlesti aliquo numine Senatoris electio. Nam vt Rex ab vno rerũ Imperatore Deo: sic à Rege Senator cùm creatur, creationis suæ originem Deo magis, quàm Regi acceptam debet referre. Quocirca censendum est non solum Regem: sed etiam Senatorem Dei immortalis esse sobolem. Nec enim sine singulari, & diuino omine fieri solent Reges. Itaq; Romulus non antè, quàm apparuerũt xii. Vultures, in Regem est ascitus. Lege enim cautum in primis, apud Rom. erat, ne quis inauspicatò Regnum, aut Magistratum iniret, cùm igitur omnis de Cœlo petita est imperandi Reip. auctoritas, Zeno Reip. felicitatem vno mortalium definiuit obsequio. Nec enim stare potest Imperium nisi populus Magistratui: Magistratus legibus obediat. suo id representatur simulacro *per Apollinem ex Tripode vaticinantem.* Nam ars omnis rerum agendarum, & vitandarum manat ex præteritorum memoria: futurorum prospicientia, & existentium intelligentia. Hoc in commento summa Senatus laus delitescit, & gloria: apud quem nihil est tã occultum, & retrusum, cuius cognitionem videtur subterfugere. Non enim alia de caussa olim arcana aut signis, aut obscuris vocibus proponi solebant: nisi quia à nemine, nisi à sapiente veritas est interpretanda.

Quòd Ars imperandi, scientia sit Dei immortalis. *Elog.* LVII.

QVi gnarus est ueri, & boni, eorum habet cognitionem, quæ sunt, fuerunt, & futura sunt: sed quia fons, & caput vtriusq;, post Deum immortalem est Sapientia, solus sapiens nouit Imperium, in quo sunt omnia, regere. At

quoniam

quoniam ſapientiæ duplex eſt ratio, vna diuina, quæ manat de cœlo: altera humana, quæ ex doctis accerſitur viris: hanc ad gubernandum, ſic obſeruauit Scipio Africanus, vt Pædiam Cyri de manibus nunquam poneret: illam & Homerus, & Socrates ſic ſuſpexit, vt vterque ſcripſerit artem imperandi iccircò diuinitus eſſe inſtitutam, quia Reip. qui imperat, vicem gerit Dei immortalis. Itaque Perſæ Reges ſuos pro Dijs, colebant, in eorumq; ditione tanquàm in Numinis tutela acquieſcebant. Priſci quoq, Latini Reges Indigetes vocabant, quaſi Deos ex hominibus factos: quales Æneas, & Romulus erant, quorum corpora, poſt mortem non permiſerunt apparere, quò fides populo fieret, eos in Cœlum euolaſſe. id propter felices, & optatos rerũ euentus, non difficile ſibi perſuaſit populus. Quoniam enim difficillima quæq; ijs ex ſententia cedebant, iccircò de ijs mentem mortalium quædam diuinitatis imbuerat opinio. Nam vbi eſt Princeps, ibi, vt ait Euripides, Deus eſt in humano corpore, hoſpes: quæ res omnis magnus ad Senatoriam gloriã accedit cumulus. Etenim vt Princeps Dei: ita Senatus perſonam induit Principis. id aliquando grauiſſimo commento probauit Antiquitas, *per Iouis ſimulacrum, quod ſpectabatur in Creta ſine auribus*. Neque enim Iupiter, neque Senatus veritatem ſenſu aurium haurit: ſed rationis, quæ falli neſcit, & decipi. Nec certè quidem hic aliorum: ſed alij huius duci debent conſilio. Quoniam autem qui ſapiens eſt, omnia intelligit, nihil ei ad rerum intelligentiam, accidit opus eſſe aurium præſidio.

Quòd ſine Senatus præſidio, ruat ſua mole Imperium.
Elog. LVIII.

VIx vlla eſt Imperij virtus, quæ in vno non deliteſcat Senatus nomine. quid inquam virtus? imò dignitas. Nam Regia Maieſtas æquè Senatoriæ dignitatis: atque Regiæ Maieſta-

tis

tis Senatoria dignitas decus eſt, & ornamentum. Siquidem, & Perſarum, & Lacedęmoniorum Regem optimum eum conſtituit Antiquitas, qui vt ius animatum, imperet omnibus: Senatus tantum pareat conſilijs. Etenim ea eſt in Imperio, ſapientiæ cum potentia cognatio, vt Imperium neque ſine potentiæ præſidio: neque ſine ſapientiæ conſilio, ſtare vllo modo poſſit. Itaque ab Antiquitate laudatur Crœſi Regis cum Solone: Pauſaniæ cum Simonidæ, & Periclis cum Anaxagora ſocietas. quid? neque Agamemnon, apud Homerum, ſine Neſtore: neque vlla regia vis, viget ſine ſapientis conſilio. altera Senatus ad exterminanda ex Imperij finibus mala: altero ad bona in ſinum, & gremium Imperij de Cœlo accerſenda magis vtitur. figuratur id *geminam Aedem: quarum vna eſt Palladis, quæ in vrbis medio cernitur: altera Veneris, quæ extra mœnia ſpectatur*. Nam olim qui pacis, qui prudentæ; qui bonis artibus præerant Dij, eos intra mœnia, ex Hetruſcorum diſciplina, collocabant mortales: qui verò morbis: voluptatibus: rixis: incendijs præfecti erant, vt Æſculapius: Venus: Mars: Vulcanus eorum ex vrbibus extrudebantur delubra. omnibus verò ſimul ignis ſeruabatur accenſus. Nam Deus ita puritatis amans eſt, & vigilantiæ, vt præſto continenter ſi ijs, qui vita puri ſunt, atque ſtudio, & induſtria ſolertes. Tempori enim minimè obdormientibus res eò ſæpè procedit, vt non humano: ſed diuino conſilio geri videatur.

Quòd ex Senatu Regi ad gloriam, magna fiat acceſſio. *Elog. LIX.*

QVia nihil ferè benè intelligenti, malè poteſt euenire, haud quicquam in Imperio, poteſt plus, quàm Senatus ſapientia. Nam ars fortunam: fortunaq; artem in periculis ſic diligit, vt qui præcellat arte, is demum in dubia rerum, & ancipiti fortuna, vulgo habeatur fortunatus. quid fortuna-

tunatus? imò fortunæ, & temeritatis Dominus. Nam in Imperij claustris nihil est Senatus consilio neq; in bonis vtilius, neq; in honoribus, gloriosum magis. Docuerunt id aliquando Capadoces. Nam cùm multis seculis, sub regibus vixissent, iamq; deficeret Regum posteritas, quam Romanus populus sibi obtulerat, spreuerunt Democraticam libertatem. Itaque Rex ab ijs ascitus est Ariobarsanes, latini nominis amicus, & socius. intelligebant enim quantum Rex per Senatum Reip. afferret commodi: parumq; esse Principi Ciuitates extruere, nisi etiam intrueret extructas. quid intrueret? imò etiam defenderet. Non enim in bello, minorem affert vtilitatem disserẽdi ratio, quàm decertandi fortitudo effingebatur *in Vespasiani Imperatoris Numismate per Aurigam cum duobus Equis, quorum vnus candidi alter atri erat coloris*. Ars quippè imperandi, bigis vehitur, præmio, & pœna, quorum alterum candido: altera, atro notabatur Equo: vtriusque à Senatu, tanquam ab Auriga petitissimo, tractantur habenę.

Quòd Impatiens otij sit Senatus. Elog. LX.

IN eo Senatus potissimum laudatur patientia, quòd otij minimè sit patiens. Nam ars patiendi, & scientia nescit otiũ, quod est peius omni malo, pati. siquidem ex otio, vt Pythagoras consueuit dicere, luxuria primùm ciuitatem ingreditur: deindè saturitas: postea contumelia, ac postremò exilium. Ciues enim improbi omnes in patria exulant. Nam alia est ciuiũ: alia perditorum hominum societas. hac ratione ductus Draco legem tulit, vt otij conuicti capite damnarentur. eam legẽ Solon clementiæ nomine, vt videretur minuere, grauiori auxit supplicio. illam enim infamiæ dedecore temperans, omni morte fecit horribiliorem. Nec id inconsideratè. siquidem iners non adeò iacet, quàm iacet fundamenta malorum omnium.

Milites

Milites igitur ignaui ab Exercitu,vt scribit Xenophon, statim sunt eijciendi. Nam hi suo exemplo alios labefactant. minus quippè laboris,& præmij plus petunt. Quare Reip. nulla pestis est capitalior otio. Nam vt virtutis actio: ita peccati,& fundamentum,& firmamentum est otium. vtriusque testis grauissimus est Theopompus Rex Spartanorum. Nam cùm quis aliquando diceret,Remp. Lacedæmoniorum iccircò rebus secũdis florere,quòd Reges haberet,qui rectè imperare scirent: minimè respondit, sed quòd ciues scirent optimè imperata facere. ex hac Regis voce nemo non sentit parem Reip.ex otio proficisci calamitatem: atq; ex opera,& industria felicitatem. *Argumenti huius simulacrum exprimitur per imaginem parui cupidinis, qui infans nudus sit,& sine viribus.* hinc enim fas est odorari eos,qui neque ad agendum: neque ad intelligendum: neque ad dicendum sunt idonei: hoc est inertes,& otiosos omnes,nuditate rerum omnium laborare: imbecilles iacere, & Veneris tantum duci amore. Quare non aliò Spartanorum leges pertinebant,quàm vt otium procul ex vrbe extruderent. Nam,vt refert Plutarchus,hæ apud eos leges non erant scriptæ:sed in dies per præconem promulgatæ. vt Deum colerent: vt Magistratui parerent: vt laborem patienter: vt pauperiem moderatè ferrent:nec è bello redirent,nisi aut victores,aut mortui. sed quid ego hæc de Spartanis? Atheniensibus Draco primum leges cõscripsit: deinde Solon Salaminus,vterq; simul otium tanquam malorum omnium fundum,& fundamẽtum sic detestatus est, vt otij crimen vltimo expiaret supplicio.

Quòd Senatus, sapientiæ oleat æternitatem. Elog. LXI.

NIhil est neque peius:neque turpius Reip.quàm leges,& Senatusconsulta mutare. Nam cùm res sit constans, & perpetua Iustitia, iniuriæ labes inuritur ei Senatusconsulto, quod

perenne

perenne non redditur,& ſtabile. quid inuritur iniuriæ Labes? imò ſecuris capitalis Reip. infligitur vniuerſæ. Etenim qui ſtatutis,& legibus Imperij detrahit,non tám videtur leges, & ſtatuta labefactare,quàm Imperium ipſum iugulare. Itaque apud Locrenſes iure ſancitum erat,vt ſi quis moliretur leges innouare,aut eiuſmodi aliquid attentare: id is non alia conditione faceret,quàm vt laqueo in collum coniecto, mentis ſuæ conſiliũ populo aperiret, quo auctor nouitatis ſi res minus expediret Reip. ſtatim in dicta cauſſa, miſerè ſuffocaretur. Nec id fortè adeò ſeuerè, quàm conſideratè, & prudenter. ſiquidem à iure mutari debent homines: nõ iura ab ipſis hominibus. Qui enim ius deſerit, quia neſcit ſtare in ſede rationis, non vacat inconſtantiæ crimine, quod turpitudiuem omnium ſimul admittit ſcelerum. quia nemo antè ſceleratus eſſe poteſt,quàm ſit inconſtans. Suo id Emblemate *exprimitur per Proteum, qui ſe in feras omnes conuertat beſtias.* Quoniam enim vitium, non hominis: ſed beſtiæ ſapit naturam, fit vt vitio deditus, vulgò beſtiæ vapulet nomine,quia cupiditate qui ducitur,non viuit vt homo, ſed vt beſtia. iracundus enim Leonis: iners, Aſini: Hirci, Libidinoſus: Lupi, Seluatus Lurco: vafer deniq; & aſtutus Vulpis vitam videtur induere: exuere hominis. Nulla igitur eſt certior imperandi ratio,quàm nihil de virtutis, & doctrinæ ſemita recedere. Hæ quippè duæ ſunt Herculis columnæ: qui fortis eſt, qui conſtans eſt: conſtans demum,qui nuſquàm ſtare ſcit, ſine doctrina, & virtute. Hæc eſt talaris illa toga à capite ad pedes demiſſa qua in Senatu hoc ſapientiſſimo, vltima primis,& prima reſpondent vltimis. Quemadmodum autem nihil eſt inconſtantius voluptate,quia ſtatim diſplicet. ita nihil eſt honeſto firmius: quoniam honeſti neminem vnquàm penitet.

Quòd

Quòd Princeps Senatoriæ disciplinæ sit alumnus. *Elog.* LXII.

NOn minus gloriosum est Regi, atque vtile, Senatus auctoritati parere, quàm populo imperare. Siquidem Regni & fundamentum, & firmamentum in sapientia, cuius opifex, & magister est Senatus, teneatur oportet inclusum. Itaque neque Persarum, neq; Spartanorũ Reges quicquàm, inconsultis patribus, agebant: quorum alij apud Persas Homotimi: alij apud Spartanos Ephori dicebantur. Nam Regnum & consultando, & agendo sustinetur, quorum alterũ est doctrinæ: alterum virtutis, vtrunq; Senatoriæ sapientiæ. Quare Lysis Pythagoreus Thebanum Epaminundam: Syracusium Dionem Plato: Alexandrum Magnum Aristoteles: Periclem Anaxagoras sic instituit, vt nihil Rex faceret, nisi quod sapientum consilium exigeret, haberetq́; iuris suasionem. Sed quid moror in exẽplis? veram Senatoriæ sapientiæ imaginem figurat *Nemesis Dea, altera manuum frænum equi: altera cubitalem mensuram tenens.* Siquidem Senatus nunquàm ore lædit: semper rerum moderatione Remp. corrigit: quorum alterum est doctrinæ, alterum virtutis, vtrunq; & domi, & militiæ, tantæ felicitatis, vt nunquam in Senatu mensura desit rerum agendarum: semper adsit repagulum vitandarum.

Quòd Imperij firmamenta sint in Senatu posita. *Elog.* LXIII.

QVoniam Senatoria virtus olim Remp. peperit, non ferri, non doctrinæ, sed Senatus adminiculis Resp. seruatur firma, & incolumis. Nam Imperium facilè ijs artibus, vt inquit Sallustius, retinetur, quibus initio partum est. Rudi enim adhuc hominũ ætate, dispersi mortales per Agros, Pecudum more palantes, primùm à Cecrope, qui intelligen-

tiæ, deinde à Theſeo Rege, qui virtutis interpretationem habet, in quibus nerui, & vires conſiſtunt Senatus, in ciuitatem ſunt coacti. Itaque eorum primùm vrbs Cecropia condita eſt, quæ poſtea Athenæ ſunt dictæ. Quarè qui Imperium ſtatim vult perditum, ipſum in primis Imperij robur tollat Senatum. Sic Periander. Nam quondam Thraſibulo conſilium dedit, vt ſpicas eminentiores, hoc eſt Athenienſium optimates tolleret: eò quòd ſuccum, & ſanguinem Imperij, in eorum ſapientiæ venis & viſceribus vigere intelligeret. Hac ratione, puto, apud Romanos, inſigne, & ornamentum Senatorij ordinis fuit Sella Currulis: quia nihil eſt Senatus niſi veluti quidam Imperij, per omnes virtutum regiones, ad felicitatem curriculus. Hoc inſigne habebant Senatores, cum Regibus etiam commune. Nam Romani ad Reges, quos in ſuam fidem, & amicitiam recipiebant, ſolent Sellam eburneam dono mittere. Hac enim & Maſſiniſſa & Syphax Numidiarum Reges, & Ptolemęus Ægypti Rex honeſtatus, ſummo beneuolentiæ fœdere cum populo Romano eſt conſtrictus, iccircò autem Sellam ſymbolum conſtituebant iuſtitiæ, quia Imperium non poteſt, niſi in iuſtitia, tanquam in ſua ſede quieſcere: quia iuſtitia non ſolum vim habet felicitatis, ſed etiam numinis, ſimulacrum igitur apud Ægyptios ſpectabatur iuſtitiæ, vt ſcribit Alexander, *virgo, ſine pite*. eò quòd vt vir, mulieris: ſic Deus ſit iuſtitiæ caput. *Romani eam finxerunt cum capite, que dextra bilancem: læua faſciculum virgarum cum Securi teneret conſtrictum*. ex qua figura non difficile eſt odorari, cùm bilance præmium: Securi virgarumq; faſciculo ſuppliciũ adumbretur, longè eſſe difficilius imperanti quod in bonorum præmio, quàm quod in improborum ſupplicio conſiſtit, præſtare. Nam dextra ad res operoſas: læua ad expeditas magis, & faciles matura comparata eſt.

Quòd

Quòd Imperij Spiritus sit ipse Senatus. **Elog. LXIV.**

NEque corpus ſine anima: neq; populus ſine Senatu poteſt non abſorberi ſuo pedore, & vitio. Nam vt Magiſtratus legibus: ſic Magiſtratu ſe ſuſtentat populus. Anima autem Reip. cùm ſit lex, cuius ſpiritus eſt Senatus, haud aliud quicquam eſt populus, ſine Senatu, quàm veluti homo ſpirans mortuus. Nam inter Legem, & Senatum nihil intereſt, niſi fortè, quòd illa mutus ſit Senatus: hic verò lex loquens. Solon itaque ſolitus eſt dicere Ciuitatum illam optimam eſſe, in qua populus Magiſtratui obediat: Magiſtratus autem iuri, & legibus. Magnum eſt igitur bonum Reip. conſilium à patribus capere: multò maximum in conſilio perſiſtere. Nam virtus periculoſius eijcitur, quàm non admittitur. Graue, & eruditũ docet id *Orphæi ſimulacrum, qui retrò reſpiciens, Euridicen iterum amiſit vxorem.* Magorum quippè eſt ænigma, non aſpiciendum retro: quo admonentur mortales, ne vbi ſemel ad iuſtitiam animum intenderint, eò deflectant, vnde ſunt digreſſi. Nam vt grauius qui de integro in morbum incidunt, laborant, quàm qui nunquàm morbo ſunt liberati: ita miſerius conflictantur, qui virtutem deſerunt, quàm qui virtutem non attigerũt incognitam. hoc enim excuſationem habet inſcitiæ, & ſtuporis: illud crimen concipit perfidiæ, & ſceleris.

Quòd vnus Magiſtratus vni ſufficiat Reipubl. muneri, ſolus Senatus omnibus. **Elog. LXV.**

ETſi ſolertiæ vis hæc eſt, vt qui in Magiſtratu ſolers ſit, & diligens, omnia ex difficillimis, reddat facillima: nihil tamen in bene inſtituta Rep. magis cauẽdum eſt, quàm vt vnus plures occupet Magiſtratus. Eſt enim id non turpe ſolum:

lum: ſed etiam periculoſum, partim quia cęteri videntur contemni, honoribusq; priuari: partim quoniam ſeditionis anſam porrigit ambitioſis. At quia in conſtituendo Magiſtratu ars quædam eſt & eligendi, & fugiendi quos oportet, hæc in primis lex, apud omnes, ſancita ſit, vt honor ſapientibus habeatur. Nam & Parij, vt refert Alcadamas, Archilochum, & Chij Homerum, & Mitilenei Sapphon, & Itali Pythagoram, ac denique Lampſaſeni Anaxagoram, honoris ergo, ſuum eſſe contendunt, vt ex viri vnius ſapientia, communem patriæ reguſtent felicitatem. Eſt autem ſapiens pluris, quàm aut doctus, aut vir bonus. Nam illius eſt vera tantum intelligere: huius honeſta operari: ſapientis vtrunque conſociatione quadá complecti, eius inſigne, & monimentum figuratur per *Imaginem Admeti Apollinem, & Herculem conſulentis, quo Alceſten in vxorem duceret.* Ab his igitur inſtructus Leonem, & Aprum, quorum alterum ab Apolline: alterum ab Hercule acceperat, currui vno, eodemq; iugo iunxit. Nam Alceſtes pater edixerat nulli ſe nuptui daturum filiam, niſi ei, qui duas diſpari genere feras beſtias eodem iugo conſociaret. quorſum? nulli, ſi benè attendimus, communis vitæ, in Rep. regenda, committendus eſt curriculus, niſi ei, qui Apollinis, & Herculis ſimul ſit hęres: ſicque illius doctrinam, huius virtutem in tractandis Imperij habenis teneat, vt quaſi nouus Admetus monſtrorũ omnium & ſit, & dicatur domitor.

Quòd omnes incendantur ad Virtutem, ſpe, & amore præmij. Elog. LXVI.

HOnoris ſpes magna eſt illecebra in virtute progrediendi: Magiſtratus optimorum ciuium in Rep. auctoramentum. vbi enim honor hic, propter merita in Remp. ſolet per-

soli ciuibus: ibi ciues omnes certatim studẽt optimè de Rep. mereri. Sententia hæc est Thucydidis. Nam inter quos, ait, maxima præmia proponuntur virtutis apud eos etiam optimi viri Remp. gubernant. sed cauendi sunt, quos ad imperandum æstus quidam absorbet inanis gloriæ. Hi enim non salutem, sed pestem pariunt Reip. sic apud Romanos Sylla: Cinna: Carbo: Marius: Pompeius, & Cęsar, quorum ambitiones, seditiones, factiones bellum ciuile ad extremum interitus Reip. secutus est. *Suo id commento figuratur, & Emblemate, per Iunonis, & Palladis imaginem, quæ contra Venerem Troiam euertant.* Ambitione enim ductæ, quòd iudicio Paridis Veneri fuerint postpositæ, Paridis omnes turbarunt conatus, eiusq; amoris ardorem plurimo Troianorum restinxerunt sanguine. Semper igitur in honoribus, metuendi sunt ambitiosi: nunquam non fugiendi iniuriosi. Nam quod in Imperio, contra ius tenetur, id omnia imperanti reddit infida, & infesta. Sic Seruius Tullius Romanorum Rex occisus: sic Tarquinius superbus eiectus est. Sed quid in rebus non dubijs, exemplis vtor non necessarijs? Regum qui superbia, efferuntur, æuum omne, vt scribit Plinius, & breue, & fragile est.

Quòd Senatoriæ virtuti gloria par vix possit reperiri.
Elog. LXVII.

NOn solum ædificium, sed etiam templum honoris est Senatus. Nam cum Senatores omnes viua sint spectra iuris, & iustitiæ: tum sanctimoniæ Edes Senatus gloriam omnẽ vincit magnitudine virtutis. Itaque olim nemo apud Romanos, Senatorij ordinis Princeps, vt scribit Plutarchus, constituebatur, nisi qui Imperatoris gloriam maximis in Rep. meritis exæquasset, quam non solum exæquare, sed etiam superare censebatur,

batur, si continentiam in vrbem vehebat & iustitiam, faciebatque vtranque populo suæ industriæ prædam. Nam in omni rerum discrimine, nulla maior est malorum, quàm cupiditatis, & auaritiæ victoria: qua nisi in primis efferatur Princeps, ei inanis omnis fit exterorum hostium triũphus: partim quia ciuilia bella, vt scribit Thucydides, maximè excitat auaritia Principis: qui nimio aut exigendo, aut imponendo tributo, mouet subditos frequenter ad seditionem, vt olim fecerunt Hispaniæ sub Tiberio: partim quoniam etiam in bello, auri auiditas magnas auaris militibus victorias eripit. sic enim quondã Arminio Cęcinna elapsus est. hùc accedit, quòd vt scribit Tacitus, Ducum, & Centurionum auaritia disciplinam dissoluit militarem, & milites ipsos auaros, latrones, bellaq; intestina facit appetentes. Ea re vt non solum aures: sed etiã oculi instruerentur mortalium, apud Spartanos *Simulacrum Plutonis in media urbe spectabatur erectum, qui diuitiarum Deus, de publico consilio, sua expressus imagine in mœrore, & squalore iacebat deformatus, non Cæcus solum, & timidus: sed etiam humilis, & abiectus, atq; omnibus simul exhaustus viribus*. Quid? illud demum felix est Imperium, in quo minima pecuniæ: plurima virtutis est auctoritas. Nam cur, vt ipsa loquitur Plutonis figura, auari semper sunt miseri? quia ijs fortuna nimium dare potest: satis non potest: neminique sunt vtiles, sibi autem perniciosi. Laudabant autem Spartani maximè paupertatem: partim quia inopia optima est artium omnium schola, & pręclarissimorum ingeniorum magistra: partim quoniam secura est, & ab inuidia hostium, & ab insidijs inuidorum: poterantq; timeri ad rapinam ab hostibus inopes: non poterant rapacitatem timere Hostium.

Quòd iccircò rectè imperat Senatus, quia imperata facit Virtutis. Elog. LXVIII.

NEmo ritè nouit alijs imperare, nisi qui ijs sit peritior, quibus imperat. Qui igitur omnibus imperandi habet auctoritatem, eum is se præbeat oportet, cuius cognitionem nihil videatur subterfugere. Nam ars imperandi, nõ est vnius artis lampas: sed Sol, & sal omnium simul artium. Itaque Plato in Pyreo, asserit non solum Musicam, & Gymnasticam: sed etiam cæteras disciplinas circulares Reip. gubernatori, quò sapienter regat, esse necessarias. Quare earum pręceptores iubet vndecunque requiri, & in honore haberi. Accedit hùc vetus Cn. Pompei, in viros sapientes, obseruantia. Nam confecto Mithridatico bello, intraturus in Possidonij Philosophi domum, fores percuti de more à Lictore vetuit, & fasces Lictorios Ianuæ submitti iussit is, cui oriens, occidensque se submiserat. Quę res gloriam auget Regij Mediolan. Senatus: in quo tot sunt Possidonij, quot sunt Senatores. hoc est qui non solùm iusta, sed etiam iustè norunt imperare: quorum alterum imperij: alterum fructum magis concipit obsequij. bellè id sua apud Antiquos effingebatur figura, per *Vulcani, & Promethei simulacrum, quorum vna vtriusque communis erat Ara*: Vulcanus enim apud veteres artis habet interpretationem: sed claudus tamen fingitur, quia sine ingenij baculo, ars omnis claudicat: Prometheus ingenij lumen adumbrat, quod, nisi ex arte quasi quoddam instilletur oleum, facilè restinguitur. iacet igitur doctrina, in tractando imperij clauo, nisi etiam ingenium arte limetur, & ars acritate excitetur ingenij. Res enim est ars & scientia fundo, & fine carens, ex qua tantum

hauri-

hauritur, quanta cuiq; vis est ingenij. Quoniam autem maior est artis, in rebus agendis, quàm roboris vtilitas, Gordianus Imperator firmiora imperij præsidia posuit in literis, quàm in armis. illæ enim imperant: hęc imperata faciunt. Quare vsque adeo fuit studiosus, vt pluris fecerit librorum, quàm auri, & argenti Thesauros. Habuit. n. in Bibliotheca sexaginta duo millia librorum. Nam vt ingenij, ex doctrina: sic doctrinæ lumen ex multis, varijsq; libris elucescit.

Quòd in Senatus nomine maxima acies delitescat Auctoritatis.
Elog. *LXIX.*

GLoriosum nomen est Senatus: dignitas salutaris. Nam Senatui siue nomen ætas dederit: siue virtutis integritas, præclara est ab vtraq; nominis eius origo, eò quòd, in illa rerum adsit experientia: ex hac amor, odium: cæterique exulent affectus: iure igitur à senectute: nec immeritò à sinēdo Senatus dictus est: quia nihil sinit esse in Rep. quod ius, & ratio non permittit: nec sinit integrum esse Principi, aut imperare, aut vetare, aut permittere, quod iuri renitens sit, & iustitiæ. Quid dicerem Patrum Sapientiæ? ab Imperatore nihil rectè potest fieri, nisi quod fit sapienter. Quare etiam in bello sapiēs sedendo grauius hostes affligit, quàm sæpè Exercitus armatus dimicando. Etenim quēadmodum Scythę periculosius fugiēdo, quàm vrgendo, & insistendo hostem inuadunt: ita Senatus vt plurimum procul deliberādo acerbius inimicos prosternit, quàm qui cominus conserunt manus. Nam vbi res ardet bello, pluris est sapientis consilium, quàm impressio, & impetus armatorum militum. docuit id aliquando suo consilio Fabius Maximus, qui ab vniuersa Italia corona Graminea donatus est, quoniam non pugnando: sed cunctando, Romanis restituit rē.

Maximè igitur in armis ab ijs cauendum eſt, qui nunquam hoſti cedunt, niſi cùm vincere volunt. Argumenti ſtatua elegans, & imago conſtituitur *per Armatam Palladem*. Nam arma cedũt prudentiæ: non armis prudentia: nihilque eſt vmbo Palladis, quo qui tegebatur, lædi non poterat, niſi conſilium Sapientis, qui mala omnia lucro habet. Nam cur viris etiam robuſtiſſimis, ſi deſit prudentia, nulla armorum eſt vtilitas? quia arma non roboris: ſed fortitudinis ſunt inſtrumenta, non ſalutis, ſed artis, ingenij, & virtutis vera munimenta.

Quòd fons, & caput bonorum omnium ſit Senatus. *Elog.* LXX.

NIhil in vtilitatis deliteſcit nomine, quod non optandum, aut ſperandnm potius ſit ex Senatus virtute, quæ in periculorum flamma, Martis: in rerum anguſtijs prædiũ eſt Plutonis. Quare eò Senatuſconſultum à conſulendo eſt dictum, ꝗ rebus Reip. vniuerſis conſulat, & ita vt nemo antè nomen eius poſſit audire, quàm ſentiat quid omnibus ſalutare ſit, & vtile. Etenim cum bonorum partes aliæ ſint animi: alię corporis: alię fortunæ, quid eſt in Reip. bonis, quod Senatui acceptum non debeat referre? hic Faber eſt, & architectus virtutis in qua bona omnia ſunt animi, & ex qua ſola Ciuitas ſapiens fit, fortis, temperans, & iuſta. Nam corporis, & fortunę bonis facilè abũdat Reſp. quæ non eget virtute. Qui enim ciues, vitæ integritate florent, ij vt plurimum ſani ſunt, incolumes, & robuſti: qui conſilio non deſtituuntur, diuites, honorati, illuſtres, & glorioſi. *Non mutum, & elinguæ eſt expreſſum ex legifera Cerere ſimulacrum, quæ videatur toto animo excubare, atque ardentibus facibus Proſerpinam perquirere.* Nam vt Ceres Senatus ſapientiam: ita Proſerpina coniunx Plutonis, rerum, in tractando imperij clauo adumbrat affluentiam. quod maximè ad rem facit. Nam le-

gumlator Senatus eò omnes industriæ vires, & ingenij neruos contendit, vt Reip. vel externa etiam præsto adsint omnia bonorum genera.

Quòd Senatui omnis desponsa sit Sapientiæ gloria. *Elog.* *LXXI.*

QVoniam consilium non celeritate, sed prudẽtia est pascendum: in eo deliberandum est diu, quod semel est statuendum. Nihil enim est renitẽtius consilio, quod omne eò pertinet, vt aut depellatur malũ, aut accersatur quod bonum est, quàm præpropera festinatio: nihil consentaneum magis, quàm quod temeritate vacat, & negligentia. Quia verò Senatus consilium parit prudentiam, quæ ars est intelligendi simul & agendi, iccircò Senatores Patres à pariendo, quòd vtrãque humanæ societatis vitam pariant, sunt, puto, nominati. Nã quæ in veri contemplatione consistit, intelligentia: quę in morum versatur probitate, actione perficitur. Dicti igitur sunt Patres non ab ætate: sed à consilio, ratione, & scientia, qua tantũ præstant viris, quantum viri pueris. Quanquam tamen apud Lacedæmonios Senatusconsultum γερουσία dicebatur, hoc est senum consilium. Nam tempus, quo ex Thalete sententia, nihil est sapientius, veritatis, quę in omni rerum obscuritate delitescit, est parens. sententiam hanc veteres figurabant *Saturni Imagine, qui altera manuum falcem: altera ad pastum filios teneret: pelleretur῾q; de Cœlo à Ioue filio*. Quid? etsi res est tam latens, & retrusa veritas, vt Argum etiam sæpè fallat: putidum tamen est sapienti non modo dicere, sed etiam, vt loquitur hæc imago audire, quod à vero sit alienum. Nam quid illa Saturni falx? est sapientis falsa truncando prostrare omnia: vera tantum, in quibus seges, & materia est virtutum omnium, mente metere, & animo. Nam qui illa audire non recusat, facit audiendo, vt ani-

mi næuos,& rationis Nubeculas auribus hauriat, ſeque alterius mendacij plurimis aſpergat maculis.age cur filios deuorat? nō quia omnia, vt tempus,efficit,& conficit ſapiens: ſed quoniam magnus eſt heluo virtutum omniũ, quarum eſt auctor, & opifex. quare pulſus à Ioue de cęlo? Plato duo commemorat vitæ humanæ genera, vnum Saturni: alterum Iouis: in illoque contemplandi: in hoc agendi vitam docet teneri incluſam: quo intelligimus Patres patriæ Sobolis gratia de cęlo lapſos, non factos agere inter mortales, eaq; de cauſſa ab vniuerſis paterna pietate coli, & obſeruari debere. Nihil quippè eſt Saturnus, niſi, vt inquit Plato, in Cratylo χρονος hoc eſt veri, & boni auctor, atque opifex, id eſt, vt vno dicam nomine, Sapiens.

Quòd magni interſit Regiæ dignitatis, vt Senatores plurimi æſtimentur. *Elog. LXXII.*

SI Honor patrimonium eſt virtutis, nō Regni: par eſt rationi, vt ſicuti à populo Reges propter dignitatem: ita à Regibus Senatus in honore habeatur propter virtutẽ. Eſt enim Senatus iuris ornamentum, & iuſtitiæ decus: nec Regi in procuranda communis ſocietatis ſalute cedit. quid dicerem in arte imperandi? notat Alexander Macedo parua manu maximas hoſtium copias fundere: notat Pyrrhus in metandis Caſtris, locum eligere: notat Annibal vincere, ſed non vti victoria: Philopæmen ſciebat nauale prælium defendere: Cleon magis terreſtre. quid? non omnia, veteri prouerbio, poſſumus omnes. ſuus enim cuiq; eſt Genius: Senatui tantum vniuerſus. Itaque Romulus Romanorum Rex primus tanti Senatum fecit, vt Senatorum nomina præſente populo, in tabulas aureas contulerit. Hinc factum eſt, vt Senatores, cùm eorum virtus ex ea tabula, aurei velleris memoriam quandam refricaret, Patres con-

ſcripti

ſcripti ſint nominati. Sapientiæ enim nullus honor, niſi qui ſublimis, & elatus eſt, poteſt ſatis reſpondere. vetus eſt Alexandri Magni teſtimonium. Nam poſt Darium prælio victum, Scrinium in regia præda ex auro, & gemmis fabricatum vbi comperit, veluti quoddam artis, & opulentiæ ſacrarium, ſciſcitantibus amicis, ecquis eſſet tam pretioſi operis futurum opus: longè magis reſpondit pretioſa in eo incluſa tenebo, Homerique opera in eo clauſit: dignus ipſe, qui talem nanſciſceretur, qualem nactus eſt Æacides præconem. Sapienter Alexander Magnus. Nam præmium virtutis non poteſt externis bonis exæquari: ſed tantum honore, non etiam laude. Etenim olim Honor Deus: laus Dea non conſtituebatur, quia ille in animi virtute: hæc in virtutis conſiſtit opinione. docet id Honoris ſimulacrum ex antiquitate petitum. *Iuuenis purpura ſpectabatur indutus: cuius tempora laurea erant redimita quemq; paruus Cupido ad Deam virtutem præeuntem ducebat, atque Deæ de manu in manum tradebat.* Tanta quippè eſt cognatio virtutis, & honoris: tam arcta amoris vinculo conſtricta ſocietas, vt non tam interdum ex virtute honor, quàm virtus ex honore naſci videatur: vt bellè vetus docet Ænigma, Mater me genuit, & rurſus illa gignitur ex me. Quorſum imago? mas eſt honor, quia maris eſt agere, pati fœminæ: agit qui honorat, patitur, qui honoratur. Itaque apud Grammaticos habere honorem dicitur, qui honorat: non contra dicitur habere qui honoratur. quid? fortunatus, vt videre eſt ex purpura, atq; eruditus, vt patet ex laurea, eſt honor, hoc eſt verſatur ſimul circa bona corporis, fortunæ, & animi. Romani itaq; cùm rem diuinam honori facerent, aperto erant capite, quæ conſuetudo ſic apud poſteros permanſit, vt etiam honeſtis viris, & illuſtribus caput aperiamus. Nam cùm totus homo, vt ait Plato, ſit in capite, qui caput alteri aperit, adeò illi ſe exponit, vt quaſi deſinat eſſe ſui iuris: eiuſq; fiat, cui

ape-

aperitur. Quocirca contra ius fasq; est, vt Princeps subditis caput aperiat, cùm nudum caput, si Romanis fidem habemus, insigne sit seruitutis, quemadmodum pileus libertatis.

Quòd in Imperio felicitatis obses sit Senatus. Elog. LXXIII.

TAnta vis, tantaq; Patrum est auctoritas, vt in Rep. nihil sit Senatus decretum, nisi quod olim Troiæ erat Palladium. Nam tandiu incolumitas Reip. est futura, quandiu Senatus decreta, & responsa seruantur à populo incorrupta, atque inuiolata. Testimonij loco ars est, quæ neque mentiri scit, neque errare. Nam eò decretum à decernendo dictum est, quòd decernere in iure, proprium sit prudentiæ, quæ nec ferro potest lædi: nec dolo capi. quid ita? quia vt Iustitia est magistra rerum agendarum: ita prudentia ars est, & scientia rerũ omnium vitandarum. Quare nunquam accidit viro prudenti, vt cogatur hoc verbo vti, non putaram. Viri enim prudentis non solum instructa veritate est opinio, sed etiam aduersus tẽporum tempestates omnes sic munita, vt omnia videantur parere eius consilio. Nam cur, vt mortalium exempla deseram, Apum Rex in fronte macula, quasi Diademate coruscãs: solus aculeo destitutus sic timetur ab vniuersis Apibus, vt inermis in Rep. administranda, tutissimè armatis imperet Apibus? quia sunt in Apum Rege, veluti quidam igniculi prudentię, cui natura etiam inuitæ animantes omnes coguntur parere. Itaq; in bello non horridus hostis, sed prudens timendus est: non qui potest plus: sed qui plus sapit. Nam ignari omnes aduersus se vires habent: suoq; se iugulant gladio. Suo id simulacro reprę-sentãt furiæ *Tres infernales Alecto: Megera, & Tisiphone.* Etenim iccircò finguntur noctis esse filiæ, vt intelligamus ex obscurissima ignorantiæ caligine, omnia malorum genera manare. ille

enim

enim interpretationem habent trium malorum, quæ homines ferè omnes præcipites agunt, hoc est iræ: cupiditatis, & libidinis. Nam ira mentis lumen restinguit: cupiditas ex copia inopiam parit: libido est non solum corporis morbus, sed etiam animi interitus. Nec adeò tamen res est exitialis, & perniciosa ignorantia, quæ furias parit infernales, quàm fausta Reip. & salutaris prudentia, sine qua virtus omnis fit vitium: quamque qui habet, facilè potest & ex bonis mala, & ex malis bona odorari: atque in consilij deliberatione, non minus quæ sunt insidiosa bona cauere: quàm quæ expressa mala sunt, debellare.

Quòd Senatui, Musis aspirantibus, minimè res infesta sit militaris.
Elog. *L X X I V.*

ARs omnis iacet militaris sine virtutis eius colore, & sanguine, quæ non recreatur Senatus affinitate. Flaccescunt enim foris arma, nisi domi adsit consilium. Sensit id aliquando Terpander, & Pindarus. Nam quos ex lacedæmonijs strenuissimos Duces in bello extitisse commemorant, eos non minus Mineruæ, quàm Martis studiosos fuisse asserũt, hoc est consilio æque, atque ferro armatos. Nec in re instituẽda militari, atq; in Imperatoria formanda disciplina, alia mẽs, alia ratio erat Romanorum. Etenim cur Senatori Sella tribuebatur currulis, quæ, in armis, triumphi habebat interpretationem? vt certè non singularis Imperatori: sed communis ei esset, in bello, cum Senatoribus victoriæ gloria. Præclara verò Senatorij consilij gratia: at multò magis, quàm Senatui gloriosa. In eo enim gratiam quisque refert, in quo ipse delectatur. Elegans id Statua apud Antiquos, docebat, *Et imago, quæ Phaonem portitorem præ se ferebat, qui vnguentum præmij loco à Venere acceperat, quo delibatus, statim ex turpi, omnium euasit pulcherrimus.*

Hoc

Hoc eò pertinet, vt intelligamus talia esse præmia, quales sunt, qui referunt, nihilq; populo Ro. charius fuisse triumpho, qui vt Senatui pro victoriæ consilio gratiam rependeret, Senatum Sella Curruli declarabat triumphi, Imperatoriæq; gloriæ esse socium.

Quòd studio, & labore virtus nutriatur. Elog. LXXV.

OMnia nouit: solum nescit otiari Senatus. Etenim neque ignis, neq; virtus, neq; sapiens vnquàm, nisi continenter agendo, quiescit. quæ res potissimum felicitatem parit Imperio. partim quia tempore belli, ex puncto temporis sæpè maximarum rerum momenta euertuntur: partim quoniam tempore pacis, vt vitiũ inertia: sic virtus omnis solertia, veluti quodam cibo nutritur. itaq; res est Reip. longè capitalior cum otio, quàm cum hoste aperto. Nam militum segnities in Castris omnium seditionum, vt scribit Polybius, fons est, & Sentina. quid Imperatoris desidia? sui hostibus explorata parat trophæa. Siquidem cur Homerus Agamemnonem Regẽ, cùm cęteros somnus cępisset, semper facit vigilantem? qm̃ Reip. inuigilantibus nulla ferè sedes sit oportet, nisi in labore, quietis. Res enim magnæ neq; fiunt, neq; seruantur sine multa industria, plurimoq; labore. At in virtute regia est hoc admirabile, quòd illa veluti quadam diuinitate rerum omnes absorbet difficultates. Sicuti olim igitur Xerxis pater Darius prædicabat in rerum asperitatibus se ipso fieri meliorẽ: ita sapientissimo huic Senatui, cum rerum oneribus, quibus cõtinenter sic premitur, vt nunquam liberè possit respirare, virtutis laus, & meritorum crescit gloria. Nam virtus par est, & æqualis labori. Emblemate id exprimitur *Per Anum, quæ vlnis primùm paruum gestet Vitulum: deinde Bouem adultum*. Nam ea est in laboris assiduitate, industriæ vis, & virium commendatio vt cum Anus quædam

vitu-

vitulum exiguum quotidiè ferret: nec diem intermitteret, tandem adultum quoque Bouem cum omnium admiratione gestarit. itaq; Senatus Præſes Iac. Mainoldus in Atlantico onere ſuſtinendo, cùm omnium vinceret admirationem, cuidam ex domeſticis eius, & intimis familiaribus ab eo interroganti, cuius præſidio fretus tam graue imperij onus, tantamq; Reipub. molem auderet ſuſtinere: ſolertiæ reſpondit. Nihil maiore cõpendio, aut grandius, aut dignius ſapiente viro dici potuerat. Nam vt Mars in bello: ſic Apollo in Senatu, maxime odit cunctantes. Siquidem & domi, & militiæ, vbi vir bonus deſinit ab opere: ibi ceſſat ſtudere, vt fiat melior.

Quòd Ars imperandi plurimis obſeſſa ſit difficultatibus. Elog. L X X V I.

Res eſt operoſa, & difficilis populum, qui bellua eſt non multorum, vt Hydra, ſed omnium ſimul capitũ, vno arcere rationis fræno. Quis enim populum regat, qui neque vitium, neque virtutem patitur rectoris? alterum docet apud Romanos infauſtus Tarquinij ſuperbi exitus: alterũ apud Gręcos, Cymon: Ariſtides: Thucidides: Socrates, & Themiſtocles, qui præclariſſimis rebus geſtis colluſtrati, inuidiæ alienæ pœnas atrociores dederunt omni ſceleris ſupplicio. Quid igitur? an aliquid de vigilijt, & laboribus ſuis remittant Regij hi Senatores? minimè verò. Nam virtutis ſine ſolertia, parua: nulla ſine perſeuerantia, eſt vtilitas: magna etiam cum opere iactura, nominis, & famæ macula. Itaq; præſtantiſſimi hi Patres mẽtem ſibi aſſumpſerunt, in rebus gerendis, Veſpaſiani Imperatoris. Hic enim vt ſcribit Dion, cum morbo grauiter afficeretur, neq; à negotijs, quibus diſtentus erat, abſtineret, à Medicis tandem correptus, eos inſimulauit inſcitię, quòd neſcirent Imperatorem

ratorem ſtantem oportere mori. Hanc animi tolerãtiam nuſquam melius, quàm in vigilantiſſimo hoc Senatorum ordine, mihi videor poſſe reguſtare. Omnia enim ſcit hic Senatus: ſolũ neſcit iacere, nec eius patientia ſuccumbit dolori: ſed dolor patientiæ. ſuo id repræſentatur Emblemate, per *Prometheum in monte Caucaſo religatum, cuius præcordia continenter redintegrantur exeſa ab Aquila*. Quid? qui ſemel ignem ſuſtulit de cœlo, nullum vitæ ſuæ tempus videt cruciatu vacuum. Nam bonũ animi, malum eſt corporis, quod conſcientiæ morſu ſemper laceratur, quia finis vnius negotij, principium eſt futuri. Quare cõtinenter negotium in præcordijs viri ſapientis, redintegratur abſumptum.

Quòd togatus miles hoſti ſit horribilior, quàm armatus.
Elog. LXXVII.

MVltò magis proſunt Reip. togati, quàm armati milites. illi enim imperant, hi imperata faciunt: horum eſt pugnare: illorum pugnantibus conſulere; æquè tamen his omnibus ſimul nomen militis eſt commune. Nam miles à malo, vt Vlpianus ait, dictus eſt, eò quòd malũ aggreditur priuatum, quò fugare poſſit publicum. Itaq; nulla ars, nulla virtus, militis adumbratur nomine, quæ quaſi non eluceſcit in Senatore. Teſtis eſt Pindarus. Bellum enim Tyrannum: legẽ Reip. Regem facit, quorum alter armatus: alter pugnat togatus. ille de via deflectendo lædere poteſt: hic in iure perſiſtendo, nunquam poteſt non prodeſſe. Amo igitur togatam horum ſapientiſs. Patrum militiam, qui peius otium in vrbe, quàm hoſtem teterrimum formidant: atq; ita Reip. inuigilant, vt eos Sol neq; ſurgentes, neq; cubantes vnquam videat. in eo enim toti ſunt, vt Ciues omnes ad virtutem ardore quodam ſtudij accendant. Nam otium non ſolum virtutis eſt exilium: ſed etiam vitę humanæ

manæ exitium. Qui igitur vitam agit hominis, non magis videtur posse respirare cum otio, quàm vitam sine anima agere. est *Emblema plenum artis, & ingenij Parcarum trium imagine expressum.* Quorsum enim, quòd Clotho colum gestat: Lachesis filum trahit: Atropos occat? communis vitæ circuitus, hoc est ortus, progressus & occasus, omnis quasi sui laborat onere. Nã alia ætas aliud postulat, nihilq́, est hominis vita, nisi Penelopes tela, quæ texendo, & retexendo continéter trahitur. Quare Parcæ non solum ab antiquis à parcendo sunt dictæ, eò quòd nesciant hominis labori parcere: sed etiam ad laboriosæ vitæ custodiam, mulieres, quæ natura timidiores sunt, quàm viri expressæ: quia optimus periculi vitandi custos est animi timor.

Quòd Senatores vitam simul agant Vlysis, & Aiacis.
Elog. LXXVIII.

BReuem vitam agunt, inter mortales, non qui citò moriũtur: sed qui diu viuentes, somniare videntur, non vigilare. Nullam dementes: duplicem sapientes vitam trahere sentit antiquitas. Quare & dementes à demendo sunt dicti, quòd ijs adimitur vita: & sapientes à sapiendo, quia in contemplando, Vlyssis, in agendo, vitam sapiunt Achillis. Magna verò in hoc Senatu Patrum gloria, qui bis viuũt, semel quia noctes, contemplandi: iterum quia dies, agendi vita definiunt. Loquitur id, vt eorum labores, & studia omittam, ratio. Nam vt otium virtutis exitium est, & viui hominis sepulchrum: ita virtus etiam inter mortuos, veluti quædam huius lucis est vsura. Nunquam enim videntur mortui, quorum, propter virtutẽ, continenter reuiuiscit memoria: semper contra spirantes mortui, qui nihil agunt: quia nihil est morti similius otio: nihilq́ue vitæ humanę contrarium magis, quàm desidia. vetus est Tura-

nij

nij teſtimonium. Ei enim C. Cæſar poſt nonageſimum annum cùm procurationis vacationem vltrò indulſiſſet, is indignè ferens, tanquam mortuum ſe lugeri voluit: ſeq; vt exanimis in lectulo compoſuit, quò à circunſtante familia, mors turpiſſima viuentis in otio lugeretur: nec antè querendi modum fecit, quàm ad priſtinos labores fuerit reſtitutus. id autẽ eò pertinet, non vt hoc dicam, quod modo dico: ſed vt omnes intelligant tot eſſe in Regio hoc Senatu Turanios, quot ſunt Senatores: quorum vita non in lucis huius vſura, ſed in virtute, quæ neſcit otiari, omnis eſt poſita. Nam otium vt virtutis, ſic boni viri mors eſt, & exitium. Rei eius ſpectatur ſimulacrũ per *Achillem, qui Polixenæ amore ſeductus vulnus in talo accepit, ex quo mox perijt*. Nam Polixena peregrinæ habet interpretationem. Otio enim dediti videntur è vitæ finibus peregrinari: non autẽ vita frui. ſic Annibal quandiu virtutem ſecutus eſt ducem, vniuerſam terruit Italiam: vbi autem Capuæ in otium venit, ſtatim ex Italia, mox de vita coactus eſt migrare. Res eſt igitur non ſolum letalis, ſed etiam infamis deſidia, in qua nemo pedem poſuit, qui veſtigium non reliquerit plurimæ calamitatis.

Quòd ſolus ſapiens agere: ſolusque viuere videatur. *Elog.* LXXIX.

SVNT qui operosè faciendo, nihil agant: quiq; contrà plnrima agendo, nihil faciant. alterũ docet vulgus mortalium: alterum ipſa in ſapientiæ clauſtris, Senatorũ corona. Soli enim Sapientes, vt inquit Seneca, agunt: quia agere opus eſt animi, quo qui fruuntur, ſoli viuunt: otiumq; agunt minimè otioſum. Cæteri verò mortalium plurima faciendo, hoc vnum faciunt, vt nihil agant. Nam qui rudes ſunt ſomniare vigilantes magis videntur, quàm viuere. Nihil enim minus,

quàm

quàm quod res est sentiunt. Vetus est imago & figura per *Regem Midam ab Apolline asininis auribus deturpatum.* Eò quòd Iudex hic de cantus suauitate, inter Apollinem,& Marsyam constitutus sententiam tulit, per quam caussa cecidit Apollo. Nam qui rudis est, nullos veritatis sensus habet: nec magis ad gustū virtutis est idoneus, quàm Asinus ad lyram. Quid rudi igitur magni sit vir tus? mauult, trito sermone Prouerbio, Asinus stramenta, quàm aurum.

Quòd Senatorem egere, turpe, & putidum sit Principi.
Elog. LXXX.

QVoniam bona, vt canit Homerus, sunt bonorum, res est Principi turpis,& putida, Senatores in tractādo Imperij clauo, esse inopes. Nam ijs si viri boni sunt, ex inopia, fit iniuria: sin improbi, ab ijs malè regitur imperium. Carthaginenses igitur, non optimos solum: sed etiā ditissimos eos esse volebant, qui habenas tractarent Imperij. quid Carthaginēses? imò Romani: apud quos etsi census Senatorius prius erat cētum millium Drachmarū: hoc est *26*. millıū aureorum: ad ducenta tamen quinquaginta Drachmarum fuit deinceps productus. At quid hoc cum censu, in hoc sapientissimo Patrum ordine sunt eiusmodi instituti, vt multò pluris æstiment parum appetere, q̄ multa possidere: longeq; gloriosius esse nō egere opibus, q̄ abūdare. Quemadmodū igitur Lucullus octoginta talētorū munera à Ptolemæo donata recusauit: ita sapientissimi Patres in Regio Mediol. Senatu, æquè ferè contēnunt munera, & non donata,& recusata. Nulla est pecuniæ, apud Sapientes, auctoritas, quæ domino non solum inuidiam parit, sed etiam insidias: quæq; postquam plurimo labore,& studio parta est, hostibus sæpè, & inimicis fit præda. *Elucescit id non sine mysterijs, per expressum Patrocli simulacrum, qui ab Hectore cæsus, apud Hostē*

Arma reliquit Achillis. Quæ igitur externis bonis fides eſt habenda? quam certè Ægyptijs ſua miniſtrat Regio. Nam Ægyptus benè vtentibus ſaluberrima medicamenta præbet: malè vtentibus mortifera, & exitioſa venena. Nec Sapienti admodũ neceſſariæ ſunt pecuniæ: primùm, quia res grandes nõ auri, ſed ingenij fiunt præſidio: deinde quoniã omnes, vt aſſerunt Stoici, ſunt diuites, qui cœlo, & terra norunt vti.

Quòd Senatus veluti quoddam ſit Plutonis prædium.
Elog. L X X X I.

QVia Senatus non proprias, ſed publicas amat pecunias, ſolet ærarium non ſumptu exinanire, ſed quæſtu implere. Nam quaſi quidam Reip. vẽter eſt pecunia, ex quo & firma, & infirma valetudo manat Reip. ſicuti igitur qui corpore valere ſtudent, ventrem in primis curant: ita Senatoribus curæ potiſſimum eſt publicum bonum, ex quo nerui, & vires corroborantur imperij. Nec in eo, ſpecimen deeſt publicæ felicitatis. Nam inter L. Metelli multa felicitatis argumẽta, hoc maximè recẽſetur, quod pecuniarum magnam vim nullis malis artibus exegiſſet: quæ Reip. gratia, ſi res ferat, etiam ſunt cogendę. Sic Themiſtocles Andrios, vt pecunias exigeret, adiens, Duos dixit, ad vos affero Deos, Vim, & Suadam: quo demõſtrabat ſe ab inuitis, ſi minus poſſet à volentibus, pecunias acceptu rum. Prudenter verò magis Senatus, qui ſic prouincias afficit, vt ab ijs bona capiendo, largiri videatur. Largitur enim virtus, vt capiat, nec cedit vnquam renitentibus, niſi vt vincat. *Emblema cernitur per Hippomenen, qui dum curſu contendit cum Atalanta, aurea ſpargit poma*. qui nunquam magis, quàm donando accipiebat: quiq; munera factitabat, quibus virginem ſuam faceret accipientem. Atalanta enim Schæneci filia, cùm à nuptijs abhor-

reret, omnesque velocitate corporis superaret: procis suis cursus certamen proposuit: in quo victum mortis pœna: victorem coniugij sui præmium sequeretur. At Hippomenes à Venere tria mala aurea ex Damasceno agro accepit, vt in cursu de via proijciendo, cursum remoraretur virginis, sicque vicit dando, non currendo, virginem: nec adeò vicit largiendo, quàm vitiauit. quid? ex hoc commento, non difficile est intelligere, muneribus periculosissima quæque facilè expugnari: nec eum difficilè capi, qui paratior est ad capiendum, quàm ad largiendum. Quo circa amandi sunt potius à Principe, qui beneficia capiunt, quàm qui ea in Principem conferunt. Nam illi à Principe: ab his Princeps cogitur pendere. quare veteri prouerbio regiũ magis est dare, quàm accipere: nemo enim vt ait Crates Thebanus, opibus, & virtuti simul potest indulgere.

Quòd imperij anima sit Virtus Senatoria. *Elog.* LXXXII.

NIhil est Senatorum virtus, nisi ex trito, & peruagato Romanorum exemplo, ars quædam, & scientia regnandi. Nam Senatus Romanus, post mortem Anci Marcij Quarti Romanorum Regis, eam imperij regendi sustinuit facultatem, vt fama percrebuerit Senatum Romanum constare ex Regibus. Quoniam igitur res est magnæ doctrinę: experientiæ non exiguæ Senatoria virtus, cautum olim erat legibus, vt Senator semper prouecta esset ætate: mulier nunquã Senatum ingrederetur. quæ res viros ẽt mordet ignauos. Nam qui ignauus est, vir tantum inter mulieres: mulier inter viros habetur. Non fuit igitur Romæ Senaculum mulierum, quod permisit Heliogabalus in Colle Quirinali à mulieribus haberi, Senatus. Nam in Senatu decernitur de rebus ad imperium pertinentibus: in eo verò solemni conuentu: statuebant mulieres

non de Republ. ſed quo veſtitu illæ ornarentur: cui cederent: quæ Equo Saginario: quæ Aſino veherentur: quæ Carpento militari; quæq; aurum, & gemmas in Calceamentis haberent, & alia, de ſimilibus rebus ridicula faciebant Senatuſconſulta. Quapropter Senaculum illud mox ſublatum eſt. Qui enim Senatus eſt conſiſtit in ſapientiæ Clauſtris, cui vis etiam cedit armata. Eſt ſapientiæ colore diffuſum *Emblema: non fuco illitum, in quo Hercules Nemæum vincit Leonẽ*, ex eo quippè colligimus, imperij vires omnes Sapiẽtum cedere ingenio. Hercules enim Iouis cùm habeatur filius, cenſetur ſapientiæ hæres: Leo verò interpretationem habet potentię, quia Rex eſt quadrupedum, qui neruis, & viribus ſuperant mortales. Cùm itaque Senatus perſonam induat Herculis, nihil eſt tam horribile, quod Senatus ſapientiæ non cogatur cedere. Quare qualis eſt Senatus, talis oportet ſit populus. Teſtis eſt ipſa temporum vetuſtas. Nam cùm Ptolemaici Reges Mathematicas diſciplinas, & callerent, & colerent, eorum temporibus complures Mathematici claruerunt: cumq; contra Xerſes voluptati eſſet deditus, regiones oẽs, quibus ille imperabat, plurimis vitiorũ ſordibus cõpleuit.

Quòd Potentia in Imperio, Sapientiæ cedat, non Sapientia potentiæ. *Elog.* LXXXIII.

NAuta, vt ait Plato, in Axioco Dialogo, nec inter viuos, nec inter mortuos verſatur. Quid? & nauis in mari ſemp opus cuſtodia habet, & Ciuitas in tempeſtatũ fluctibus, nunquã vacare debet arte. Qui.n. ſedet in puppi, clauumq; Imperij tenet, nautæ eius induit perſonã, cuius ignorantia nõ lues eſt ingenij, ſed naufragij: cuiuſq; ars, & ſcientia, non eſt aliorum diſciplina, ſed incolumitas, & vita. Ex ſapientia igitur, & nauigandi, & enauigandi per Syrtes mortalium, quæ Senatorũ eſt ſingularis,

& propria, populi felicitas omnis, & petenda. Nam, vt refert Sophocles, aurea tantum, in Iouis hortis, colitur felicitas. Quare summa pęnes Senatores, residebat auctoritatis acies, & quidem tanta, vt ei etiam cederet potestas regia. Testes in primis sunt Cumęi. Nam apud eos fuit Magistratus, quem Phylactum nuncupabant quo qui fungebatur, interdiu carcerem asseruabat: nocturno autem conuentu se in Senatum recipiebat, manu reges apprehensos è curia ducens, quos vsque eò detinebat, dum de eorum imperio, clam Senatus sententiam pronunciasset, iustè ne rexissent, an secus. Omnes enim subijciebantur Regi: Rex verò Senatui, à quo si recedebat, nomen amittebat Regis: assumebat tyranni. ꝙ autem imperij robur omne subijciatur Iustitię, extat inter *Regia simulacra, Themis Dea, Iouis cōiunx*, quæ id sua adumbrat figura. Nā quòd ex ea, vt ait Hesiodus, in Theogonia, natæ sunt in primis Æquitas, Lex, & Pax, id eò pertinet, vt intelligamus neque populi sensa, neque sapientum dicta, neq; Heroum facta regi posse sine iustitia, cuius sacrarium cum sit Senatus: nihil est tam consentaneum rationi, quàm vt cum Senatorum auctoritate crescat, & decrescat imperium. est enim Senatus iustitia nō mortalium: sed Dei immortalis, si antiquitati credimus disciplina. Nam cur Ioui iustitiæ magistro, & opifici templa olim erigebantur, nullis aperta fenestris: sed tecto tantū perforato? vt hoc ipsum docerēt veteres, iustitiam imperantis non à mortalibus, sed de Cœlo esse petendam.

Quòd in Regio hoc Senatu Sapientiæ decus sit, & constantia.
Elog. LXXXIV.

HAud quicquam in Regio Mediol. Senatu, meo quidē iudicio, magis laudandum est, quàm Patrum constātia. Non quia vt voluptates continentiæ: sic labores constantiæ infringuntur viribus: sed quoniam optima quæq;

plurimis difficultatibus ſunt intercepta, magnūq; ad illa proficiſcentibus viaticum, & conſtantia. Amo igitur hanc in ipſis Senatoribus virtutem, ſine qua nulla poteſt virtutis laus conſiſtere: quaq; Senatores legibus ſimiles ſunt, quæ neſciunt mutari. Præclara verò Senatorum gloria, qui nunquam in alia fortuna, ſunt alij, ſed ſemper ijdem: diſpar tamen eſt eorum mens, & inæqualis conſilij ratio. Nam quòd Nauis gubernator, vt Plato de Rep. oſtendit, rationem tenere debet de anni: temporum: Cœli: aſtrorum: uentorum, & omnium, quæ ad artem nauigandi pertinent: id eò pertinet, vt oſtēdat, qualis eſſe debeat, in vaſtiſſimo iuris pelago Ciuitatis moderator. quid? nihil eſt mutabilius tempore: nihil arte ſtabilius, & virtute. itaq; vt nemo leuitate laborat, qui non idem ſit improbus, & imperitus: ita haud quiſquàm eſt vir bonus, qui non pariter conſtans ſit, & ſtabilis. ſiquidem neq; virtutis, neq; animi in viro bono, vlla vnquam eſt, vt cæterarum rerum viciſſitudo. Nec enim in bonorum genere quicquam eſt ingens, aut præclarum, quòd inconſtans ſit, aut mutabile. *figuratur id non minus doctè, quàm decorè, per Mulierem adhærentem columnæ: dxtra Cornucopiæ geſtantē.* cur per mulierem? quia non natura, ſed conſtātia, vt Spartanorum eſt teſtimonium, viros parit. Nam propter ſtabilitatem, conſtantiamq; animi, ſeptingentos annos terrori fuerunt cæteris vniuerſis nationibus. Quid columnæ adhærentem? eſt conſtantia, non columna: ſed firmamentum imperij, atq; baſis virtutum omnium, ſine qua ſtatim coguntur virtutes omnes ruere. Cur denique dextra Cornucopiæ geſtantem? quia nihil in bonis eſt melius, quàm quòd maximè eſt ſtabile, & diuturnū. Conſtantia enim duce, non ſolum virtutes: ſed etiam fruges omnes cenſentur ad maturitatem peruenire. Natura enim in omni rerum genere, non niſi gradatim ſolet progredi: nec ante perficere opus, quàm ad vltimum, vſque gradū peruenerit.

Quare

Quare est constantia fida patientiæ comes, & in rebus aduersis perferendis adiutrix: nec vlla est certior ad finem vsq; perseuerandi ratio, quàm viribus æquare onus, vt quisque non quantum ferre, sed quantum perferre potest, sumat.

Quòd Ciuis Senatu Magistro, prosit omnibus noceat nemini. *Elog.* LXXXV.

OMnibus prodesse nouit: nescit cuiquam obesse Senatus, quia eius doctrina procul mala abiguntur omnia: virtute bona, vt prẹstò adsint, accersuntur vniuersa. vtrãque virtutem, quæ vno sapientiæ vocatur nomine, vt de Cœlo aucuparetur Senatus Romanus, Religioni, vt Cœlum tueretur: Agriculturẹ, ne terram desereret. Rei bellicẹ, vt pro vtraq; pugnaret, maximè semper fuit addictus. de religione non obscura, aut difficilis est ratio. Nam cogebatur Senatus in templum Cereris Eleusinẹ, quod adeò erat religiosum, vt nemini, nisi innocenti fas esset ingredi. quare legebatur hoc pro foribus inscriptum. Nemo hùc ingrediatur, nisi qui suæ innocentiæ sit conscius. Nihil enim est Senatus, nisi iuris, & iustitiæ domus, ex qua non solum crimen: sed criminis etiam omnis exulat suspicio. Nam contra ius, fasq; est quenquam in religionis sacrario esse cum pecato. Persæ igitur, vt nullus in mundo, relinqueretur mortalibus peccandi locus, minimè solent, vt cæteræ Gẽtes, Dijs templa erigere: sed vniuersum hunc terræ globum virtutis, atq; religionis delubrum facere. Atqui etsi par est rationi, vt nullus in orbe sinus: nullus angulus sit religione vacuus: Beatorum tñ templa magnificè erecta augent, non comminuũt religionem. Artis colore figuratur id, & ingenij penicillo, *quo Aeneas cernitur polliceri, & Apollini, & Dianæ templa se facturum.* Quid? cur Dijs his, quorum alter Mas: altera est fœmina? quia

religionis vis constat ex duplici virtute: vna rerum diuinarum, quæ Apollinis: altera humanarum, quæ Dianæ figuratur facie. Nihil autem est, in imperio firmius religione. Nam, vt de natura Deorum scribit Cicero, pietate erga Deum sublata, necesse est fidem, & humani generis societatem tolli: atq; iustitiam simul virtutum omniũ Reginam restingui, & deleri. Quare Religioni qui derogant, pennas virtutum omnium incidunt, nec eas volunt renasci. quæ igitur virtutes in Cœlum euolant, eas cadere omnes, sine religione necesse est. est enim religio lampas veritatis, qua & futura quæ sunt, & præterita, & existẽtia illuminantur omnia. Quocirca olim ex ea Collegium apud Romanos Augurum constitutum est. Nam ex Augurio, & præteritarum, & futurarum rerum ars à Romanis trahebatur deliberandi. Etenim neque consilium sine religione capiebant: neque ferebant iudicium. Tanti quippè ad tractanda imperij gubernacula, apud Antiquos fuit Religio, vt neq; apud Persas, Diadema antè gestarent, quàm Magi fuissent.

Quòd imperij felicitas par sit, & æqualis Senatus Auctoritati. Elog. LXXXVI.

QVanta est imperantis, aut virtus, aut vitium: tanta est Reip. aut felicitas, aut calamitas. de altero fidem facit Plato. ait enim tum fore beatã Remp. cùm aut sapiens cæperit regere, aut Rex sapere. de altero communis omnium ferè gentium ærumna, & calamitas. Nec enim aut Persarum: aut Græcorum: aut Romanorum imperium virtus administrãtium ex humili, & abiecto loco, ad tantam euexit felicitatem: quantam demum ad calamitatem, ex summo honorum fastigio depressit, eorum, qui malè imperarint, vitium. Nisi igitur adsit sapiẽtia, cuius amplissimus campus est Senatus, statim necesse

cesse sit imperium sordere primùm, deinde in squalore iacere, ac demum suo restingui, & deleri crimine. Quocirca nulla pestis in imperio, improbitate est capitalior: nullus imperij morbus vitio magis contagiosus. quid? hæret in vado: nec artis gustum habet, qui in Emblemate commenta nõ percipit figuræ. Nam quorsum, quòd *Aeneas dum in templi foribus cædem effictam inspiceret Ardrogei Pasiphes adulterium, & Icari temeritatem, à Sibilla fuerit admonitus, ne in illis contemplandis moraretur?* quia vitium mulsum est letale, & venenum suaue, iccircò cautius animo refugitur, & oculis, quàm regustatur. Res quippè insidiosa est peccati voluptas, siquidem, & Troia nũc fortè adhuc staret, nisi Paris oblectatus esset Venere: nec Hercules temerè interijsset, nisi Deianira coniunx blandimentis Nessi Centauri temerè fidem habuisset. Quare nihil meretur: plurima commeretur, qui Princeps à Sibillæ desciscit consilio.

Quòd vt Aquila centum Aues: sic vnus Sapiens plurimos territet hostes. Elog. LXXXVII.

SOlet imperij uis non in multorum robore: sed in paucorum sapientia consistere. Itaque Mycenarum Rex Agamemnon solitus est dicere decem Nestores sufficere ad expugnationem Ilij: totam verò Græciam non sufficere. Crescit enim imperium non cum armatorum viribus: sed cum eorum, qui regunt virtutibus: quorum in consilio, & prudentia omnes bonorum aceruos fixit Deus, & collocauit. itaq; Græcia semper Vlyssi sedenti tribuit plus, quàm Aiaci digladianti. Nemo igitur non delirans armatorum robur, & impetum in bello, sapientum consilio habeat antepositum. Nam qui imperando fugit ignorantiam: oĩa pariter fugat ex imperio malorum genera. figuratur autem ignorantia, apud Antiquos suo

Emble-

Emblemate, *per Noctis imaginem, quæ faciem mulieris præ se ferens, atris alis expansis volare videtur*. Obſcuriſſima enim ignorantiæ nox, quæ à nocendo eſt dicta, non ſolum concipit: ſed etiam parit omnia malorum genera. Nam quòd ex nocte matre, vt fingunt Poetæ, natus eſt metus: dolus: inuidia: mors: falſitas: quærela: fraus, & ærumna: non alio id pertinet, quàm vt intelligant mortales ignorãtiam ſemen, & ſtirpem eſſe eorum malorum omnium. Quid igitur eſt in illo malorum genere, tam horridum, quod ab homine ignaro, qui noctis perſonam induit, non ſit timendum? Solem fugit, lumenq́; veritatis, quē qui ſequuntur, ſe omnes præcipites agũt, quia fertur, duciturq́; Dædali alis, quibus peius ruit ignarus, q̃ de ſaxo præcipitatus.

Quòd Senatus doctrina, veluti quidam ſit Regiæ felicitatis cibus. Elog. LXXXVIII.

NIhil magis Mediolani ad regiã felicitatem facit, quàm iuris, & iuſtitiæ ſacrariũ Senatus: omniq́; virtute contexta Patrum ſapientiſſimorum corona. Nec enim ſi Perſarum Rex Darius iam reuiuiſcat, optatam imperij fortunã Zopirorum multitudine definiat: ſed vna tantum ſapientiſſimi huius ordinis virtute. in hoc enim non ſolum ſunt firmamenta publicæ ſalutis, & imperij: ſed etiam ornamenta regiæ gloriæ, & dignitatis. Ea quippè eſt corona: illud ſapientiæ diadema, ex quo omnes micant artes imperandi, & ita micant, vt earum ſplendore Sol ipſe videatur hebeſcere antiquæ gloriæ. quorſum? vt intelligamus Senatum eum etiam populo omni vita debere eſſe chariorem. Nullus enim eſt, in quo guſtus modo aliquis ſit virtutis, qui non malit honeſtè mori, quàm turpiter vincere: nullus tam abiectus, cui non ſit grauius nominis, & famę, quàm ſanguinis, atq; vitę iacturam facere, vt ipſa apud

Roma-

Romanos docuit Lucretia, quæ flagitij, per vim sibi illati maculam suo abstersit sanguine *infamiæ autem figura effingitur per hominem corpore, uestituq; deformem, atque medio commonstratum digito*. Nam apud veteres medius digitus exporrectus reliquis in pugnum contractis notam habebat infamiæ. Non quia nullo vnquam tempore, apud antiquos fuerit annulo honestatus: sed quoniam hoc modo expressus veluti quandam pudendorum refert imaginem. Ita Diogenes aliquando dicitur eo Demosthenem ostendisse: quo illum etiam in silentio acrius insimulauit: quàm si incæsto ore lacerasset.

Quòd continentia consors sit obseruantiæ, et amoris. Elog. LXXXIX.

QVi Reip. præsunt, nulla re facilius sibi cōciliare possunt multitudinis animos, quàm continentia. Quare non tam mulieres, quàm summi Principes commendantur hac virtute. Nam is demum cæteros facilè sibi habet obtemperātes, qui ad ardua tendens, stomachatur voluptatum lenocinia: qui vētri, qui libidini: quiq; suis sic imperat sensibus, vt nullis cupiditatum irretiatur illecebris. Hac virtute Alexander Magnus sic aliquando delectatus est, in Diogene, vt cuperet esse Diogenes, nisi fuisset Alexāder. externa quippè regna appetens, non Crœsi admirabatur opes, sed Diogenis Cynici. Nam Crœso Regi multa: Diogeni nihil deerat. Etenim cùm tantum cuiq; desit, quantum appetat: qui contentus est, nihil etiam habens, omnia possidet. itaq; nihil est in imperio, ad vitandam populi paupertatem, continentia accommodatius: nihil inter Senatorias virtutes, ad auaritiā non solum cauendam, sed etiam auaritiæ suspicionem valentius. Est autem integritatis consors continentia, si Romanis credimus virtus potissimùm Senatoria. Nam quorsum, quòd Senatores Romani to-

ga induebantur purpurea? fuit olim illa Senatorum toga; quã hodiè Presbyteri Cardinales ex cocco vtuntur, sine manicis, quasi manus ad capiendum desint Senatoribus. magnum verò continentiæ argumentum. Nam hoc eorum vetus est institutum, vt possint ditare imperium: non possint ditari imperio: regiumq; ducant Remp. ditare: minimè verò Reip. administratorem ditescere. Hanc igitur Senatoriam vestem, quasi monimentum continentię, tanti remotæ, & longinquæ nationes fecerũt, vt eam exteri etiam Reges, quò in Romanorum gratiam se insinuarent, sibi non exiguo studio, magna etiã arte à Populo Ro. asciscerent. Habebat. n. vestis illa in primis auaritiæ detestationem, in qua, summa est imperantis commendatio. siquidem fons, & caput est, in omni procuratione Reip. sicuti refert Cic. vt ne vmbra quidem appareat auaritiæ. Nam auaritia non solum egestatis est mater, sed etiam perfidiæ consors, & parricidij socia. Itaq; Pygmaleon Rex Tyri, fraterque Didonis, cùm esset auri auidissimus Sicheum sororis virũ interfecit, quò mortui opes in rem suam conuerteret. Quid? nihil turpe: nihil crudele est auaro, quod quæstuosum sit modo: apud quem maior est auri, quàm Dei immortalis auctoritas. *Emblema fabricatur Danae, quam non potuit Iupiter: potuit Iouis aurum, Ioui obtemperantem reddere.* Quid? minimum, vt loquitur Emblema, apud Auaros religio: plurimum momenti habet pecunia. Nec alia de caussa olim apud veteres, animalia rapacia à sacrificijs arcebantur, quàm vt docerent à cultu Deorum auaros homines esse remouendos. Nam auidi, & auari homines, in rebus diuinis, Deum non placant, sed irritant.

Quòd Beneficentiæ fundus sit ipse Senatus. *Elog. XC.*

QVia nulla est beneficentiæ vis, quæ non videatur in Senatu tanquam in proprio solo, radices agere: iccircò Senatores

natores apud Romanos, Patres à paſcendo, quaſi populi Paſtores, mitiſſimo nomine ſunt vocati. quid? cedit Paſtor in amore patri: pater in arte paſtori: vterq; verò in felicitate imperandi Senatori. At quoniam arte omnia reguntur, & amore, Mycenarum Rex Agamemnon, ita paſtoris nomine oblectatus eſt, vt paſtor maluerit, quàm Rex nominari. Nam quòd deinceps nomen, hoc etiam ad Summos Pontifices cum plurima dignitate, propagatum eſt, id omne maximè in Senatu, ſapiẽtiſſimorum Patrum illuſtrat nomen. Nam & Patres, & Paſtores à paſcendo communi ferè nomine cùm dicantur, non poteſt Senatoria virtus non eſſe Regiæ gloriæ finitima. Emblema apertũ eſt, & euidens *Apollinis imagine expreſſum, qui Admeti Theſſalorum Regis paſcit armenta, quique auctor, & opifex communis vitæ cùm ſit, & nomen, & numen ſuſtinet Paſtoris.* Quid ſuo commento hæc imago? non eſt præclarum Regem eſſe: ſed fungi Regis munere. illud enim eſt bonis, & malis Regibus commune: hoc vero tãtum bonorum virtuti ſingulare, & proprium. ingenium qui habet Apollinis, lumen habet artium omnium: atque apertas ad paſcendum imperium, regiones vniuerſas, hoc eſt, vt vno dicam nomine, artem imperandi, quam qui poſſidet nihil eſt, quod ad felicitatem imperij vltra petat. graue teſtimonium eſt antiquitatis. Nam quorſum nuda illa, quæ tot ſeculis inueterauit Herculis, cum exuuio Leonis figura, & imago? nihil eſt in armis victoria, niſi artis bellicæ præda: nihil in pace ipſa nuditas, niſi rerum contemptus, qui veluti quidam eſt felicitatis triumphus.

Quòd Senatoria gloria Regiæ ſit proxima. *Elog. XCI.*

QVia Regiæ dignitati nomen Senatorium eſt finitimum, officium nulla cura, nullo ſtudio diſpar, conſentaneum

eſt

eſt rationi, vt eorum Sapientia non omnino regia orbetur gloria. itaq; olim Romani Senatores Sella donabātur Curruli, quæ Imperatoribus in triumpho ornamentum afferebat ſupremæ laudis, & gloriæ. Non enim verbis admodum in attollenda virtute, vtebatur antiquitas. Siquidem, vt ſolitus eſt Pythagoras dicere, vbi pro rerum magnitudine, oratio par non inuenitur: ibi orationis loco, ſignis, quæ etiam audiuntur in ſilentio, ſignificantius vtimur. Eſt autem Sella ſedes quietis, quæ iccircò dabatur Senatoribus, quia cogitur Imperium in Senatorũ conſilio quieſcere. Quocirca cauendum eſt, ne ij à quibus quies, & tranquillitas Reip. petenda eſt, nimio frangantur onere, & labore. documentum eſt Alexandri Macedonis: vel ſimulacrum potius, & Emblematis monimentum. *Bucephalum enim ingraueſcente ætate, ab alijs Equis geſtandum curabat, donec ad hoſtem ventũ eſſet, quò alacrius ad pugnam eo vteretur*. id autem eò pertinet, vt Rex intelligat optimatum opera ſibi ſic eſſe vtendum, vt tum maximè eos omni, quo ad eius fieri poteſt, leuet onere, quò dũ ſibi tempus impendeat de Reipubl. ſalute decernere, validius queat eorum vti munere.

Quòd nihil ſit ars imperandi, niſi Senatus ſcientia. Elog. XCII.

EX arte imperandi, diſciplina omnis petenda eſt & agēdi, & contemplandi. Itaq; inter regia ornamenta numeratur corona, qua figuratur ἐγκυκλοπαιδεια, hoc eſt circularis ſcientia, ſiue Sapientia. Eſt enim coronæ inuentor, & princeps Apollo, dictaq; eſt corona', quaſi cor ornans, quia cor ornat ſapientia, qua ex imperio detracta, vecordes, id eſt dementes redduntur omnes homines. Quæ autem olim fiebat coronæ donatio, ea omnis, vel ab Imperatore, vel à Senatu Romano, vel deniq; à Rep. propter egregium aliquod facinus, proficiſcebatur.

ciſcebatur. Glorioſa eſt igitur Senatorum corona, quæ non ſolum fundamentum,& firmamentum tuetur communis ſalutis & vitæ: ſed etiam plurimis honeſtat ornamentis. Nam ſi vtile eſt ſcientias poſſidere: honeſtum ſcientiarum habenis errores mortalium frænare: glorioſum ſcientijs virtutes imperio parare,quid dicam virtutum omnium præſidio Imperium regere? Nulla armatorum vis eſt tanta, quæ Senatus reniti poteſt ſapiētiæ. plenum artis, & ingenij *per Cadmum conſtituitur Emblema, qui Serpentem eum trucidet,à quo ſui ſocij erāt deuorati: fecitq; milites ex Serpentis dentibus proſeminatis natos ſuo ad vnum iugulari gladio*. Quorſum? nouit qui ſapiens eſt, non ſolum tollere mala: ſed etiam ex malis bona haurire: atq, hoſtilia arma in perniciē hoſtium retorquere. Teſtis eſt Regius hic Senatus,qui ſuos, vt Sparta,habet Lycurgos: ſuos,vt Athena, Solones: qui ſua non contenti virtute,omnes etiam volunt, in Imperio, virtutis florere gloria.

Quod Senatus ex ſtultis etiam fructum capiat Sapientiæ.
Elog. XCIII.

NON minus qui ſapit,ſtultis debet,quàm præceptoribus. ex his enim doctrinam tantum: ex illis doctrinæ etiam capit gloriam,& virtutis. Nullus quippè eſt feracior,aut ingenij,aut probitatis,quàm in alienis vitijs, locus. Nam ſumma eſt ſapientiæ gloria, ſcire malis bene vti. iure igitur vno omnium ore,& ſermone laudatur Regius hic Senatus, in quo nemo eſt, qui vt ſcribit de priſcis Patribus, Diodorus, non nouit ex aliorum,aut erroribus,quod rectum eſt ſequi,aut periculis, quod tutum eſt amplecti: erudirique ad gloriam ex aliorum infamia. *Extruitur Emblema per Bellerophontem, qui Pegaſo inſidens Chimæram trucidet*.Huius ex ſimulacro cogimur ſentire,

tire, vel potius dicere optimum quemq; ex aliorum ſcelere ſuā, gloriam,& virtutem comparare. Vitiorum enim omnium interpretationem habet, & figuram Chimæra: Sicuti virtutum vniuerſarum Bellerophon. Certiſſimus eſt ex hoc commento, ſi modo ſapimus, in virtutis imperio, malorum omnium interitus. pluris igitur eſt vir vnus bonus, quàm vniuerſi ſimul improbi. Nec opus eſt ad hanc rem, Sapiente interprete. Nihil.n. eſt Bellerophon, qui alio nomine dicitur vir bonus, niſi, ſi nominis vim ad viuum velimus reſecare, monſtrorum domitor, atque malorum omnium profligator. quid opus eſt verbis? eò inuenta ſunt Emblemata, vt ſatietas vitietur aurium.

Quòd Iuſtitia improbis ſit horrori: bonis viris voluptati.
Elog. X C I V.

QVi operam dat Iuſtitiæ, non curat opes, quia vir opulẽtus poteſt eſſe miſer: non poteſt non felix eſſe, qui iuſtus eſt. Cur igitur ſi felicitas eſt in iure iuſtitiæ auctore, & opifice, ius dicitur otium minimè otioſum? quia bonos viros inſtruit: deſtruit improbos, in quo opus omne eſt felicitatis: in eoq; ſumma iuris laus eſt, quòd non minus deteſtabile ſit improbis, quàm laudabile viris bonis. Quare nõ poteſt ea Reſp. non iacere in calamitate, vel potius contabeſcere, in qua fas eſt nundinari ius. itaq; apud Thebanos ſpectabatur iudicis ſtatua, ſine manibus. antè enim capere non debet Iudex, quàm velit capi. præclarum eſt in M. Curio exempli teſtimonium, qui contra ius neq; capere: neq; capi potuit. Legatos igitur Samnitum cum ſuis pecunijs remiſit, inquiens ſe malle dominari aurum habentibus: quàm auro abundare. Nam paupertas neminem: opulentia multos perduxit ad luxuriam. poteſtq́ue vir bonus pauper laudari, non poteſt diues improbus, non

vitupe-

vituperari. Quid? quot in Regio hoc Senatu Patres ſunt conſcripti, tot ſunt M. Curiones, quorum iuſtitia bonis viris eſt amica: perditis & diſſolutis capitalis hoſtis, & inimica. duo.n. in Rep.ſunt, vt ſcribit Democritus, iuſtitiæ numina, quæ bona conſtruunt, deſtruunt contraria, præmium, & pœna. Quare neſcit virtus, virtutisq; obſes Regius hic Senatus iniuriam pati. Nam ſicuti legimus Eſchinem Philoſophum pro dolore lateris, ex quo grauiter laborabat, nunquam ingemuiſſe: ſemper iniuriam grauiter, & acerbè tuliſſe: ita cernimus Patres hos cõſcriptos in rerum acerbitate, & negotiorum cruciatu ſæpè geſtire: nunquàm verò non queri in iuris, & iuſtitiæ vulnere. quę res eius maximè illuſtrat gloriam. Nam alterum ferre, eſt virtutis: alterum improbitatis. Quare eos iniuriæ ſe vltores præſtãt Senatores, qui neq; pro viris iuſtis ſint orandi: neq; pro iniuſtis exorandi. Nec tamen iuſtè ſolum: ſed etiam humaniter regunt. Non enim odio, aut maleuolentia volunt improbos pænas dare ſui ſceleris: ſed bonorum amore, quibus iniuriã quaſi infligit Magiſtratus, qui de improbis pœnas non ſumit. Non mutum Emblema eſt Phaetontis ſimulacrum, ex cuius de cęlo ruina intelligimus: neminem magis Remp. defendere, quàm qui eam incudem tundit, vt improbiſſimus quiſq; cogatur ſui erroris pœnas dare. Hic enim cùm à Patre Sole impetraſſet, vt vno die currus paterni habenas ſibi permitteret, ne aurigandi imperitus, cœlum, & terram inſcitiæ crimine læderet, à Ioue fulmine ictus è curru in Padum præcipitatus eſt.

Quòd qui non didicit regi, neſciat regere. *Elog. XCV.*

QVONIAM nemo ante iuſta Populo affert edicta, quàm legis facit mandata: is demùm ritè nouit regere, qui benè didicit arti, & legibus parere. illud eſt ingenij: hoc

integritatis: vtrunque boni Principis, quia nemo in Imperio magnus vnquam cum inſcitia, & flagitio euaſit: eò quòd altera contemptum: alterum Principi odium pariat: peiusq; exemplo, quã culpa noceat, quia Principis conditio hæc eſt, vt quod ipſe facit, id alijs præcipere videatur. Quare peccando non adeò peccat, quàm alios docet peccare. Quia igitur qui iure, & legibus neſcit gubernari, minimè nouit alios gubernare, Magiſtratus omnis gloria, in iuris, & iuſtitiæ conſiſtit obſeruantia. Nec vetus adeò, quam graue eſt Solonis teſtimonium, qui nullam Imperij, niſi diſciplina obſequij, definiebat gloriam. Siquidem vt, non nouit amare, qui pulchri, & boni eſt neſcius, ita minimè ſcit is imperare, qui malè obtemperantem ſuo neſcit obſequio corrigere. in obedientiæ clauſtris vis omnis conſiſtit virtutis. Etenim quid eſt, aut virtus, niſi legi obedire, aut peccatum, niſi obedientiæ ius violare? nullum eſt tam grande malum, quod non ex violato iure obſequij proficiſcatur. Suo id adumbratur Emblemate *per Scyllam, Niſi Regis filiam, qui patri dormienti crinem abſcindat purpureum: in quo fatum patriæ continebatur*. Quid? Hæc naturæ minimè obtemperans, patrem deſijt amare, vt amaretur ab hoſte patris: patriamq; hoſti prodidit, vt hoſtem poſſet in delitijs habere. Res eſt igitur patriæ nõ ſolum honeſta, ſed etiam vtilis iuris, & iuſtitiæ in populo obſeruantia. Quare Lycurgus nihil alijs edixit, quod non antè ipſe ſeruarit. hic enim demum nouit alijs imperare, non qui Codicem deuorarit: ſed qui Epicteti Philoſophi dicto parere didicit. is quippè duobus his verbis leges omnes ferè clauſit ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Suſtine, & abſtine. Hinc æquiſſimum illud Romani Prætoris edictum, vt quod quiſque ius in alterum conſtitue rit, ipſe eodem quoque vtatur. Quare cum Deus ſit Principis Imperium: Princeps Dei obſequium, nihil in adminiſtranda Republ. potius ſit oportet, quàm quæ ex Imperij, & obſequij

diſciplina, naſcitur religio. Nemo enim ſcit hominibus imperare: qui antè non didicit Deo parere. quæ res, ad Landrianorum gloriam, magnus accedit cumulus. Dicti enim ſunt Landriani, quaſi laudati ſacrificantes viri. Nam ſi velimus nominis vim ad viuum reſecare, atque in ipſo nomine ſingulas quaſque particulas ſuo examinare pondere, id Sole meridiano erit clarius. L. enim litera, vt refert Valerius Probus modo laudis: modo legis eſt nota. reliqua ex quibus nomen componitur, græca ſunt ἀνήρ vir: δρῶ sacrifico, quaſi nihil ſit Landrianus, niſi vel laus, vel lex viri ſacrificantis. Qui autem ſacrificat, Deo ſe dicat: quod qui facit, non poteſt quod turpe eſt, non refugere: non voluptates contemnere: non labores appetere: non denique omnia diuinæ voluntati poſtpoſita habere. Quare ex ſtirpe Landrianorum, qui Landriani ſint modo, omnis turpitudinis exulāt macula: in eaque non ſolum inquilina eſt virtus, & doctrina: ſed etiam habitandi domina. Nam cùm res, vt aiunt, inter incudem, & malleum calet, nemo ſapit, niſi qui religioſus eſt. Etenim Deus eſt, vt ſcribit Plato, lex & agendi, & intelligendi, quam qui poſſidet, nunquàm ab æquo, & bono aberrat. Sentit id (ne longam Landrianorum ſeriem in virtutum apice repetam) qui Io. Franciſcum à ſecretis Ampliſſimi Senatus Mediol. benè nouit. Vir enim eſt non minus agēdi, quàm dicendi peritus: gnarus non ſolum per Syrtes nauigandi, ſed etiam enauigādi: explorator rerum ſubtilis, ingenio acri: nullius temeritati fidus: veritatis propugnator: iuſtitiæ & æquitatis amans: cuius omnis animæ vis firmiſſima munitur lorica: mens rerum cognitione: ratio artium præſidio: opinio hiſtorijs firma: oratio tot rerum, & verborum floribus aſperſa, vt ſemper doceat, in ea, eruditio: nunquàm nō fidem faciat hominis probitas. Atque etſi hoc mortalibus obrepſit vitium, vt eorum cū fortuna ſtetq;, cadatq; fides: ille tñ, quia neq; vir-

tutis, neq; viri boni vlla est vicissitudo: nunquã alius est in alio fortunæ casu: semperq; alteri fidus est in aduersis. Nihil.n.habet in bonis, quod præter virtutem, suum esse velit dicere. Nec falsò ille quidem. Haud.n.quicquã aut meum, aut cuiusquã est proprium, quod vel eripi, vel surripi potest. Nulla propria sunt bona, nisi quæ in naufragio queunt enatare cum domino. quis igitur diues? vir tantum bonus. Nam solus sibi sufficit: miseri contrà sunt, sine virtute omnes diuites, quia non solum consilij: sed etiam sui continenter laborant inopia.

Quòd fines Imperij non sint ex Regionum: sed ex Virtutum amplitudine terminandi. Elog. XCVI.

SI Imperij nerui, & vires in virtutis sinu consistunt, & gremio: quæ summa sunt Reip. præsidia, nõ ex vastis prouinciarum regionibus: sed ex angustis Senatorij ordinis claustris trahuntur. Nam olim cùm totus orbis terrarum penderet ex Senatus Romani arbitrio, Q. Fabius Maximus, & Pub. Decius adeò gnari militiæ, iurisq; & eloquentiæ periti fuerunt, vt quilibet eorum ad felicitatem sufficeret imperij. Hic autẽ Mediol. Senatus quò fortuna Romano est inferior: eò Sapientia est superior. quid inferior? imò beatior. Nam vt inquit Pythagoras, robustissimum Imperium est, non quod auro, & argẽto, sed quod viris bonis est munitum. potest enim Regnum magnum esse miserum, non potest Regnum prudens non esse felix, & beatum. Nullum enim bonum in terris, sapit æternitatem, præter virtutem. virtus quippè, vt asserit Zenocritticus Stoicorum Princeps, sola nunquam consenescit, seu perque sufficit ad benè, beateque viuendum. Etenim si in Phalaridis Tauro vratur qui vir bonus est, quia virtus est summum bonũ, nec vri potest: quiaque in virtute contemptio est doloris, & mortis, minimè in ipso incendio felicitatem deponat.

Quocirca viris bonis nihil mali poteſt accidere, quia ſemper ſunt felices: quiaq; qui norunt mala pati, norunt pariter ex malis, ſumma capere bona. Suo id ſimulacro *figuratur per Virginem, quæ Caduceum cum Cornucopia geſtet*. Nam Sapientiæ Caduceus eſt patientia, cuius interuentu non ſolum cadunt mala omnia: ſed etiam vniuerſa ſuccreſcunt bonorum genera. Apud Sapientes igitur viros neq; doloris, neq; voluptatis vlla eſt auctoritas. Sibi enim aduerſus omnia mala ſufficit, qui ſapit: nec quicquã eſt in bonis, quod fruſtra cupit. Sola igitur conſtans, & perpetua eſt virtus: ſola expers viciſſitudinis, ſola veluti quædã contra mortem, doloremq; æternitatis lorica. Quia enim in externis bonis, nihil non fluxum eſt, & caducum, ſolet Æſopus aſſeuerare nullam aliam in hoc elementari globo à Ioue tundi incudem, quàm vt continenter excelſa deprimat, & depreſſa attollat: nec quicquam in terris patiatur ſtabile eſſe, & permanẽs, præter Virtutem.

Quòd Senatus ſit Ciues bonos potius, quàm bonis affluentes reddere.
Elog. X C V I I.

SEneca probitatem, & intelligentiam tanta affinitate conſtringit, vt vtranq; vno virtutis appellet nomine. Hæ duę ſunt apud Antiquos Herculis Colũnæ, quibus moles omnis ſuſtinetur imperij. vna eſt ingenij, ne ineruditior peritioribus: altera animi, qua cauetur, ne deterior imperet melioribus, ex vtraq; felix, & beatum redditur Imperium, quia in eo Imperio Ciues non ſolum bona poſſident, ſed etiam ipſi fiunt boni. Quare non maximis beneficijs Ciuitatẽ ſibi obſtringunt Principes, qui eam vallo, & foſſa: ſed qui animis elatis, ingenijſque præclaris muniunt. Nam ſicuti maior eſt in forti, quàm in robuſto viro, ſpes præſidij: ita Ciuitas ea, quæ abundat Ciuiũ vir-

tute, longè est validior, quàm quæ redundat virium robore. Argumenti simulacrum exprimitur *per Orphæi imaginem, qui Tigres, Saxa, atq; Syluas cantus suauitate post terga trahat.* Nam quòd Orphæus pingitur mas, & fœmina: quòdq; fingitur lyræ cantu, quam ab Apolline patre acceperat, Syluas, & Saxa mouisse: cursum fluuiorum prohibuisse, atq; ex feris bestijs, mites, & mansuetas reddidisse: eò id omne pertinet, quòd vir sapiens, quasi terrenus Deus, nullius sit indigens: solusq; possit plus dicendo, quàm strenuè agendo cæteri simul omnes mortales. Quare nō falsò Patres hi conscripti omnia in tractandis imperij habenis ad virtutem referunt, quia Reip. nerui, vt Zenonis fert opinio, in imperantis virtute sunt positi: iureq; optimates quasi mortalium optimi, alio nomine sunt appellati, quoniam eorum sapientiæ præmium est ipse Deus.

Quòd non minus sit difficile sibi, quàm gloriosum alijs imperare. Elog. XCVIII.

PEssimè is imperium gerit, qui alijs imperans nescit sibi imperare. Nam qui imperando non facit imperata rationis, nihil magis proficit, quàm si det operam, vt indignus aliorum fiat obsequio. Chilo igitur Lacedæmonius à Principe interrogatus quid sibi maximè esset cauendū: φυλάττειν ἀυτου, caue, respondit, te ipsum. sapienter ille quidem. longè enim magis gloriosa sapienti est aduersus se, quàm olim fuit Herculi cōtra Acheloum, victoria. siquidem apertus hostis extra muros minus officit: quàm sensus inter domesticos parietes, amicus insidiosus. quid? nulli magis, quàm sibi impurissimus quisque est inimicus. An igitur quis voluptuosus sit Princeps? minimè verò. Nam contra ius, fasque est, vt qui mulierculæ obediat, imperet viris: quiq; voluptatis est minister, iuris auctor

fiat,& Magiſter. Quoniam autem res eſt non ſolum turpis, ſed etiam exitioſa voluptas,multi olim populi nihil ſunt veriti, vt voluptatem caue rēt,naturæ etiam derograre neceſſitati. Nam vt ab eorum multitudine recedam,apud Epizephyrios Locros, lege ſancitum erat,vt ſi quis ſalutis etiam cauſſa, vinum, Medico non imperante,hauſiſſet,damnaretur capite.ſeuerè quidem illi: nec fortè iniuſtè. Nam plures ferè voluptas interimit, quā delectat. Suo id adumbratur ſimulacro, *per Venatoris imaginem, qui primùm Ceruum fiſtula permulcet; deindè clam ſtupore ſopitæ beſtiæ præcordia ſpiculo traijcit.* Quid? nullæ, vt ex Emblemate odorari fas eſt,periculoſæ magis ſunt inſidiæ,quàm quæ maxima commendantur voluptate. à qua tantoperè abhorrent ſapientiſſimi hi Patres,vt ne aures quidem rebus iocoſis habeant apertas. difficilè enim eſt ſimul animi grauitatem ſeruare, & ridiculis ſimul gaudere.

Quòd Senatus æquè non ſcripti, atque ſcripti iuris ſit domicilium. Elog. XCIX.

SPartanorum ius eſt armatum: Athenienſium togatū, quorum vtrum alteri debeat anteponi,aliorum ſit iudicium. Diogenes,vt ſcribit Plutarchus, cùm aliquando Sparta rediret Athenas,cuidam interroganti quò, & vndè iter haberet, à viris reſpondit,ad fœminas. tantum inter vtrumq; ius voluit intereſſe,quantum intereſt inter marem,& fœminam.in altero enim fortiter facta: in altero ſapienter dicta magis probantur. Hæc igitur Diogenis auctoritas maximè ad gloriam Regij huius Senatus facit, qui æquè iuris non ſcripti, atque ſcripti eſt gnarus: quique non ſolum altera manuum ſtateram: ſed etiam altera ferrum diſtrictum geſtat iuris, & iuſtitiæ. quid ita? quia etſi inuito iuſtè non rependitur præmium: nolenti tamen iu-

stè infligitur pœna. illud enim est consilij: hoc necessitatis. Hęc enim in Imperio, iustitiæ vis est, vt illum minimè ferat, qui legibus parere, cogi non possit. Est autem iuris vetus hæc institutio, vt Populus, sicuti Crantor Xenocratis discipulus olim pręcipiebat, primas vitæ partes virtuti tradat: secundas bonæ valitudini: vltimas rebus familiaribus. Sed ne in verbis pingendis, & illuminandis sententijs desit Emblematis color: *Iustitiæ simulacrum figuratur per Gorgones tres, quæ vnum oculum habeant solum, quo per vices, vtantur singulæ*. Tres enim sunt Populi ordines, Senatorius: Equestris, & Plebeus: qui omnes vno iure tantum, quasi rationis lumine vicissim intuentur quid Reip. expediat. Nam iccircò Gorgones, quæ interpretationẽ habent horroris, & timoris, iuris personam hoc loco sustinent, quòd ius summis æquè, atq; infimis viris sit timendum: quòdq; nemo quicquam potest, quod nõ potest ius, quia nihil à mortalibus, nisi quod iure est admissum, est agendum. Nam quòd in se intuentes in saxa vertebant, mortalium est ad omnia mala obdurescere dum iuri pareant modo. quid? nescit sentire, qui rationi non nouit consentire: neque scit aliorum errata videre, qui ignorat conniuere: nemo deniq; lumen habet cognoscendi, qui in loco sensus amisit ignoscendi.

Quòd nihil sit Senatus, nisi veluti quædam Regiæ disciplinæ officina.
Elog. C.

NON satis est Principi Iustitia. Nam ars quædam etiam ad imperandum requiritur, qua habenę tractantur Iustitiæ. Princeps enim quæ ad gratiam valent publicæ societatis, melius sibi assumere: quæ ad odium, per alios facere prudentius videtur. Clementia igitur virtus est Principis: seueritas Magistratus, qui non debet esse mitior lege. Atq; etsi Solon eos in primis laudat Magistratus, qui non iustè solum, sed

etiam

etiam humaniter regunt: horum tamen ſapientiſſimorum Patrum, nunquàm damnet ſeueritatem, qui multa naturæ, omnia tribuant religioni, & iuſtitiæ. Hi enim ſicuti olim Rhodienſium lex erat, quæ filios à virtute paterna per ſocordiam deſciſcentes, hæreditate excludebat, atq; omnium optimo hæreditatem dabat: ita Regius hic Senatus ijs multũ tribuit Ciuibus, quos non loci natura, ſed virtus facit Ciues: nec ijs parum detrahit, qui patriæ mores deſerunt tanquam degeneres: pluſq́ue apud eum animi integritas, ſine generis nobilitate, habet momenti, quàm Nobilitas ſine morum integritate. Longè enim præclarior eſt virtutis commẽdatio, quàm generis. Multi itaq; ex ſeruis Reges: non pauci ex Regibus ſerui in hanc lucem ſunt ſuſcepti, id Rex Agathocles ex Figulo patre natus: id Romulus: Tullus Hoſtilius: Tarquinius Priſcus, omniſq́; ferè Regum Romanorum teſtatur progenies. Sed quid ego admirabilem tanti Senatus ſapientiam hoc exempli teſtimonio commemoro? intelligens fuit Lyſippus: ſingularis artifex Praxiteles in hominum ſtatuis fingendis: Hic verò Senatus pręclariſſimorum ingeniorum eſt faber, atq; maximarum virtutũ opifex, & architectus: nouitq́; tanquam alter Prometheus ex argilla, & luto fabricatos cęleſti igne animare homines, in quo vno felicitas maximè conſiſtit Reipub. non autem in rerum opulentia. Nam cur opulenti, & diuites non acquieſcunt in diuitijs? quia quod homini ad artem viuendi eſt parum, quaſi nihil differt ab eo, quod eſt nihil. non enim res eſt opulentiæ, ſcire viuere: ſed virtutis, & doctrinæ. illa agendi: hæc contemplandi vitam: vtraq; ſimul pacem, quæ felicitatis eſt ſedes, parit Reipubl. quid opes dicerem? neſcit pax, ſi antiquitati credimus, ſtare, ſine opibus. apertè id Emblema. *Pax enim, vt ſcribit Pauſanias, Dianæ facie fingitur, & colore: altera manuum paruum geſtans Plutonem: altera legiferam Cererem, quaſi amoris fœdere conſtrictam tenens.* Ex quo

fas

fas est odorari pacem teneri legibus: nullumq; pace maius imperij esse ærarium. Soli autem uiri fortes non timent hostem: quia ex hoste norunt capere vtilitatem: solique nunquam pace frui norunt improbi, quia hostis familiaris est animi affectus, qui eos non tam inconstantes exagitat, quàm perdit imprudentes. quiq; cùm maximè officiat, non excluditur, vt inimicus foris: sed in complexum excipitur, ita vt cum ijs, & in mensa accumbat, & in lectulo decumbat.

Finis Libri Secundi.



DIPHTHERA IOVIS

Siue

DE POTENTIA PRINCIPIS:

HENRICI FARNESII EBVRONIS I. C.
& Artis Oratoriæ Interpretis Regij.

LIBER TERTIVS

Centum ex Elogijs,

Contextus.

Quæ naturæ primùm reconditis insignibus: deinde antiquis exemplorum testimonijs eam in bello potentiam figurant Principis,

Qua etiam viribus superior cogatur inferiori cedere.



MEDIOLANI, M. DC. VII.

Apud Hieronymum Bordonum, & Petrummartyrem Locarnum.



Ad Illustrissimum

FRANCISCVM ABDVEN.
COMITEM VIRTVTE,

Et genere Præstantiss. strenuissimumq;
Equitum Ducem.

HENRICVS FARNESIVS EBVRO I. C.
& Artis Oratoriæ interpres Regius. S.





INCIT in bello, Heros fortissime, *non qui potest plus, sed qui minus pauca intelligit. Nam cùm res grandes non corporis, sed ingenij fiant viribus, est, meo quidem iudicio, victoria, in armis, non virium: sed artis, & industriæ patrimonium. Docuit id olim, ne ab antiquitate recedam Theseus Aegei Regis Athenarum filius. Etenim quem tota Græcia armata Minotaurum non poterat superare: solus artis, ingenijq; præsidio superauit; sinuososque omnes Dædalici Labyrinthi anfractus, vnde semel detrusis nullus vnquam dabatur regressus, arte sic elusit, vt posteritati testatum reliquerit, neque vim, neque dolum arti posse reniti,*

Quare

Quare mirari iam desino, cur audacia potius armatus, quàm ferro: artisq; magis, quàm roboris præsidio stipatus in publicis certaminibus non modo nullos vnquam cum fortißimo quoque Heroe congressus per horrueris:: sed etiam tibi & in pedestri discrimine, semper cum rei difficultate, creuerit animus. Nam eius in militari disciplina Ephesiæ sunt literæ, cuius firmius, quàm robur corporis, est animi consilium. Quid? cùm illæ, sint in armis artis præstigiæ, vt arti nihil poßit reniti: coganturq; aduersa omnia cedere virtuti, tantum demum ex vtraque consecutus es gloriæ, vt aliorum aduersus te conatus nunquam obscurarit: sæpe etiam illustrarit tuam gloriam. Singularem igitur tuam amo virtutem: admirantur multi: Laudant verò omnes, qui te bene norũt. Est enim in te animi fortitudo longè laudabilior, quàm olim apud Ro. fuit Curij Dentati temperantia, qui Cœlum, & terram impleuit sui nominis, & famæ gloria. Nam vir temperans priuatæ: fortis verò publicæ magis inuigilat saluti. Huius autem tuæ virtutis ea nuper in Campo Martio tibi erexisti trophæa, quæ neque ætate obscurari: neq; obliuione vnquam deleri poterunt. Docuisti enim non linguam, sed manibus nihil in bello arte esse validius, quæ si in armis non desideratur, facilè, te magistro, & magna à paruis, & fortia ab inualidis superantur. Nam vt vastus Polyphemus à paruo victus est Vlyße, ita non difficile est Imperatori, qui Imperator sit modo, summos Exercitus parua manu restinguere, & delere. Siquidem neq; forti viro vllum periculum est horridum, & perito omnia ex difficillimis redduntur facillima. Patet id apud Polybium Sole clarius. Nam opifex vnus pondera maiora aliquando remolitus est, quàm quæ multa hominum millia poterant amouere. Sed quid dudum circunrodo, quod deuorandum est? si artis bellicæ est vincere, non vinci; nulla vis, nulla multitudo hostiũ ei, qui gnarus est virtutis militaris, videtur metuenda. Nam in bello qui sapit, facilè ab arte impetrat, vt hostis aduersus se arma gerat. Nec id in hoc opere, priscis tantum doceo victoriarum monimentis: sed etiam plurimis quasi naturæ legibus, rerum insignibus. ipsa .n. in omni disciplina,

plina, varietas non solum doctrinæ auget vtilitatem, sed etiam delectationem, qua detracta, sensus ferè omnis hebescit eruditionis, & ingenij. Quò igitur operis vtilitas ex ipsa rerum varietate, maiori aspersa teneretur iucunditate, ego & naturalia cum moralibus, & moralia cum naturalibus contexere volui: ex quibus vetus illud Antisthenis maximè elucescit, boni esse Ducis optima quæq; hostibus præter mentem optare, vt ab ijs non solum victor, sed etiam recedat plenior. Vincit autem in bello dupliciter qui nouit cuniculis pugnare: semel quia hostem fallit: iterum quoniam hostis suo se iugulat gladio. Nihil igitur est in re bellica potius arte. Nam arti parent res secundæ: reniti non possunt aduersæ. Accedit hùc, cùm neq; animi in re operosa, sine viribus: neque virium, in periculis, sine animo, vlla sit vtilitas, quòd ars non solum auget vires, sed etiam animum, quia nemo in eo timet, quod benè didicit. Quocirca quod à puero suscepisti maximè laudo institutum. Nam semper id, quod ad disciplinam militarem pertinet, acri anhelasti animo. Itaque cum te Geometriæ imbuerem præceptis, cuius veluti quodam pabulo virtus nutritur bellica, sic Adolescentulus adhuc Geometricas figuras suis lineamentis in picta representabas tabula, vt artis eius non videreris alumnus, sed auctor, & opifex. Prætereo artem pingendi, quam de Cœlo traxisti, veluti quadam ingenij diuinitate: summas Geometriæ vtilitates, quam fecisti tuæ industriæ prædam, non possum præterire. Quid enim est Geometria, nisi vniuersi huius terrestris Globi disciplina: aut ipse Globus, nisi mundi venter, & imperij vmbilicus, hoc est centrum scientiarum omnium? multum ad omnes hæc scientias: plurimum ad rem valet militarem: ad castra ponenda: ad regionem occupandam: ad colligendas, vel spargendas turmas, atque ad cætera machinamenta, quibus vel in absidione, vel in agmine vti solet armata manus. Accedebat ad singularem tuam artis huius cognitionẽ, quæ mater est virtutis bellicæ, præclara quædam Historiarum cognitio: quæ optima est, & ad agendum, & ad deliberandum rei militaris supellex. Etenim sicuti scientias omnes parit veritas: ita verita-

tem

tem gignit Historia; fitq; iccircò, vt nihil sit in scientiarum honore quòd non delitescat in historiæ nominæ. Amo igitur inter Historicos veteres, Herodotum, tanquam Patrem historiæ: inter recentes, ANTONIVM Mariam Speltam, qui quam scripsit historiam: ingenio: ingenium arte: artem tanta limauit industria, vt historici nomen non solum videatur sustinere, sed etiam plurimo artium splendore illustrare. semper quippè benè sentit: nunquàm malè audit: auscultatque nunc, vt posteritati commendet, quibus virtutum laudibus tuus resonet exercitus. Atq; tuam in primis iam maximè commẽdat fortitudinem. Nam cùm aut vi, aut dolo superandus sit hostis, sine fortitudine virtus omnis iacet bellica. Etenim nullus dolus, vt ait Thucytides, sine animositate, contra periculum valet. vbi enim est metus, ibi vix est memoriæ locus: vbi non est memoria, ibi dolus omnis relanguescit. Qui autem fortis est, nescit aut in aduersis tolerandis deficere, aut in prosperis se attollere. itaque cum virtutis non solum habeas cognitionem, sed etiam possessionem, ea aduersus difficillima quæq; obduruisti patientia, vt nunquam quæri in malis: sæpè etiam soleas gloriari: nec magis auaro lucrum sit suaue, quàm tibi grandia aut facere, aut pati: quorum in altero tua virtus: in altero tuæ virtutis consistit gloria. Hunc igitur librũ, partim quia à tui studiosissimo habes tuo nomini inscriptum: partim quoniam sacer est virtuti bellicæ, cuius flores gloria, volo primùm æqui, boniquc consulas: deinde accipias libenter, quia obses est perpetuæ meæ erga te voluntatis; quod vt facias, vt auidè cupio, sic vehementer rogo. Vale.

Ad

AD LECTOREM.

DOLVS VIRTVTIS

BELLICÆ COMES, ET SOCIVS,

QVIA
HOSTIBVS BENEVOLVS EST INIMICVS, MAGIS
TIMENDVS EST,

QVAM APERTA INIMICORVM VIS. HÆC ENIM INSTRVIT
RENITENDO: ILLE FALLIT ASCENTIENDO.
DOLI IGITVR SEMITA,

VT VLISSES APVD GRÆCOS: SIC ANNIBAL APVD
CARTHAGINENSES, AD SVMMA PERVENIT
VICTORIARVM FASTIGIA.

EST AVTEM DOLOSVS, NVNC CALLIDVS DICTVS, QVIA
OMNES AD VICTORIAM CALLET VIAS:

NVNC ASTVTVS AB ἄστυ VRBE, QXONIAM VRBIVM EST
POPVLATOR, MODO AVT VERSVTVS, EO QVOD
VVLTVM HABET IN MANV, NOVITQVE EVM
AD EORVM MORES VERTERE,
QVOS FALLIT:

AVT CAVTVS, QVIA OMNIA NOVIT CAVERE PERICVLA.

GLORIOSVM NOMEN:

PERSONA SALVTARIS. NIHIL ENIM EST FALLERE VOLENTES
ERRARE, NISI EOS ARTE IN VIAM REDVCERE.

FRAVDI NVLLA VIS POTEST RENITI. NEC ALIA DE CAVSSA
HERCVLES, QVI ORBEM TERRARVM VICIT: VICTVS
NESSI DOLO SCRIBITVR,

NISI VT INTELLIGANT MORTALES VBI ADSIT DOLVS,
IBI VIRIVM ROBVR OMNE IACERE.

NAM IN TECHNIS, ET IMPOSTVRIS, QVÆ SVMMÆ SVNT,
LATENT OMNES VICTORIÆ.



PRAEFATIO.

Quòd nuſquam clarius, quam in arte Venatoria Martis eluceſcant igniculi.

ETſi nullus in Imperio, Campus opimus eſt magis, quàm fundus diſciplinæ militaris: hæc tamen diſciplina nuſquam melius, quàm in arido, & agreſti artis Venatoriæ prædio radices agit. Nam vt imperij, ex virtute bellica: ita virtutis bellicæ ex arte Venãdi, capienda ſunt primordia. Trita, & vulgata eſt veterum auctoritas: non obſcurum plurimarum gentium teſtimonium. Etenim cur aut Parthi, cùm nihil, præter rem anhelarent bellicam, operam potiſſimum dabant venationi: nefasq; erat apud eos, alijs, quàm quę Venatu erant quæſitæ, veſci carnibus? aut Lacedæmonij, à quibus originem ius traxit armatum, ita venationi fuerunt dediti, vt liberis ſuis nullum cibum traderent, niſi quem ante ex venatione, domum apportaſſent? quoniam vt imperij vis cum virtute militari: ita virtus militaris facilè, vt olim Luſitanorum Dux docuit Viriatus, cum arte exęquatur venandi. hoc loquitur ratio: illud temporum vetuſtas. Nam cur Pyrrhus Epirotarum Rex à ſuis interrogatus liberis, cuinam relicturus eſſet imperium, ei reſpõdit, cui acutior eſſet gladius? quia imperij poſſeſſio, niſi planè hebeſcimus, non eſt hæredis: ſed potentioris patrimonium. Nemo igitur ſummus eſt Princeps, niſi qui omnium eſt potentiſſimus. At quis ille eſt? non qui vel opulentia, vel Exercitu: aut virium robore, aut formæ elegantia cæte-

ris vniuersis præstat, sed tantum ingenio, & uirtute, quorum in ditione, & tutela, robur omne, contra hostes, consistit uictoriæ. siquidem in bello, si uinceret opulentior, nunquam Crœsus olim Lydiorum Rex, qui ualebat plus opibus, à Cyro fuisset superatus: si superaret qui ab exercitu est firmior, Pompeius Magnus, cui ingentes erant armatorum copiæ, minimè uictus esset à C. Cæsare, qui eo militum numero, longè erat inferior. quid neque corporis robur, in armis, neque formæ dignitas uictoriam extorquet, in altero, pro exemplo, uastus ille est Polyphemus, qui à paruo debellatus est Vlysse: in altera Agesilaus, qui breui, & deformi statura, alteroque pede claudus robustissimos, spectatissimosq; uiros armis uicit. Quis igitur in Atlantico onere sustinendo est ualidissimus? non robustus, sed fortis: non diues, sed sapiens: non armatorum, sed longa virtutum phalange stipatus: non dignitate corporis, sed animi clarus: quibus in bonis, quantum Venator feris bestijs: tantum armatis Imperator præstat hostibus. Est tamen Ars Venatoria optimum rei bellicę uiaticum, uel potius eorum omnium, quę in bello, & ui, & dolo attrectantur, ueluti quoddam diuersoriũ. Quare nemo unquam magnoperè armorũ floruit gloria, qui ad eam, non fuerit euectus veluti quodã artis venatoriæ gradu. Testes duo sunt grauissimi virtutis bellicæ coryphæi Alexander Macedo, & Mithridates Rex Ponti. Nam ille cùm tantum arte præstaret venandi, vt, quasi alter Hercules, summam gloriam sibi asciuerit in immanissimis bestijs trucidandis, virtute belligerandi, vniuersum orbem terræ sibi subiecit: Hic autem cùm tanto artis venatoriæ exarserit studio, vt annos circiter septem, neq; ruris, neq; vrbis tecto vsus sit, eò in virtute militari processit gloriæ, vt cum P.R. sex, & quadraginta annos, ancipiti Marte bellum gesserit. sed quid ego nitor exemplis? quia non adeò debetur fides exemplorum testimonio, quàm ratio-

ni obsequium, magis in vna acquiesco ratione, quàm in longa exemplorum serie. Siquidem nunquam Venatio hostili conspiratione est re bellica inferior: semper belli atrocitate superior. Nā in bello, sæpè de honore tantùm, & imperio: semper in venatione de morte, & vita certatur. in bello enim captiuus aut dato obside, aut facta permntatione, aut numerata redimitur pecunia: in venatione verò quæ animans capitur, ab ea statim sine exceptione, exigitur anima pro mercede. Insidiosa ars est belligerādi: insida venādi, tantaq; vtriusq; affinitas, vt æquè vna iaceat, atque altera nisi artificio fallendi fuerit erudita. Nā & in bello, & in venatione, nullus ferè impetus non redditur irritus, nisi adsit dolus. Quid? vt in bello, sic in venatione tria potissimum æqua librantur lance: personarum discrimen, artis lumen, & armorum genus. Itaq. vt Bellum, sic Venatio Ducē sibi præficit, cuius dicto omnes auscultent: hostem excursionibus prouocat: exploratores in periculis disponit: insidias abdit: apertum martem simulat: diuerticula ad fugam obseruat: per saltus, & ardua pedites præmittit: loca plana, & aspera Equitum alis præcingit: cornuum buccinatu, & progressui, & receptui canit, ac deniq; prædę signa dat, & victoriæ. Nullus in bello, tantus est Imperator, cui fas non sit vel minimum hostem timere: nullus in ferarum conflictu tam solers, & diligens Venator, cui vel à minima bestia non immineat periculum. Alterum ex eo patet, quòd Troia vnius Sinonis arte fuit euersa, quam euertere armis non potuerat tota Græcia: Alterum inde elucescit, ꝙ periculosius parua sępè mordet Vipera, q̃ Taurus cornu ferit: q; q; Orion Venator cùm exploratū ostentaret aduersus oēs Bestias, se habere victoriā, ab exiguo, vt est in fabulis, Scorpione ictus interijt. Res igitur semper Imperatori infida est militia: Venatori verò nunq̃ non suspecta. Cur Imperatori infida? quia non solū ab hostiū ferro debet cauere, sed ēt ab amicorum veneno,

vt apertè Vitellij Imperatoris docet exemplum, qui ab Othone amico exutus eſt, cum vita imperio. Quare venatori nunquam non ſuſpecta venatio? quoniam feris beſtijs nullę vnquã cum venatore ſunt induciæ: ſemperq;, niſi pręſenti ſit animo, quaſi alter Acteon, vt eſt in fabulis, ab ijs, quos alit, exeditur Canibus. Quoniam autem vtriuſq; artis ſeges, & materia in rerum aſperitatibus cõſiſtit, & periculis, nemo eſt, aut Imperator, aut venator, cui non creſcat, & decreſcat cum rerum diſcrimine, animus. In exempli teſtimonio eſt Annibal, & Philoctetes. Ille enim in bello audaciam docuit, qui nõ multitudine militum, ſed virtute ſemper propè ex re deſperata felicem reportauit victoriam: Hic autem in venatione dedocuit metum, qui tardus Damas configebat celeres, ſtanſque volantes deijciebat alites. Quod enim Imperatori, & Venatori nefas eſt viribus attentare, id arte vtriq; redditur expeditum, & facile. Eſt autem Bellum iccircò à bellua, quaſi belluinum dictum, quòd ſicuti nulla eſt venatio cum Cicuribus, & domeſticis beſtijs: ita nullum verè ſit bellum, niſi quod contra immunem, & peregrinum hoſtem ſuſcipitur. Nam quæ aut Ciues, aut finitimi populi inter ſe ineunt prælia, ſeditiones vocantur, & factiones, non bella. Quoniam igitur venatio non belli nomen olet, ſed naturam: non Tyranni, Venator, ſed boni Ducis: nulla virtus latet in re bellica, quàm non licet in venatore odorari. Etenim & Imperator omnium calculis damnatur, qui ita in victoria procedit, vt ſibi hoſtilis metus aliquis à tergo cenſeatur relictus; & Venator labitur ab arte venandi, qui ita feras inuadit beſtias, vt nõ æquè ſibi liber ſit regreſſus, atq; progreſſus. Annibal itaq; nunquam hoſti fidit: ſæpè etiam de ſuis militibus dubitauit: nec vnquam cõſueuit ante, aut bellum ſuſcipere, aut agmen inire, aut aciem inſtruere, quàm exploratos haberet militũ animos: Nec venator aliquando cõſueuit inuitis venari Canibus. Et au-

tem Imperatoris hostem, aut spe, aut metu inuadere. Alij enim auro, alij ferro facilius superantur. Quare res est non solū magni animi, sed etiam plurimi consilij Imperatoris personam sustinere: quod omne manare videtur ex disciplina artis venatoriæ. Hac enim cùm Leones pabulo, & blandimentis: Vrsi metu, & verberibus cicurentur: nullaq; venatoribus pateat, nisi arte explorata ad prædam via, fit vt Imperatores venatoria disciplina ad victoriam erudiantur, quasi lege Spartanorum nō scripta. Hac eruditus Xantippus Lacedæmonius non solum videtur aduersus Romanos rei bellicę gloriam exequasse, sed etiam cumulasse. Neq; Achei in Ætolos: neque Pellyrenei in Gnosios bellum moturi nouissent, aut milites contra inimicos, audacia animare: aut inimicis audaciam eripere, nisi id ex arte hausissent venādi. Quare Lycurgus cùm animaduerteret venationē, veluti quandam rei bellicæ esse scholam, legem tulit, qua adolescentes inter venandum, vitam traherent, vt vbi per ætatem liceret, statim bello grari currendi, saltandi, & feriendi, animū intenderent. Tanta quippè est inter venatorem, & militem affinitas, vt quæ persona prohibeatur militia: venationi pariter minimè sit admittenda. Itaq; Mulieres, vt ait Plato, neque arma, neque venabula debent tractare: quia in ijs ingenij vis, & virium robur desideratur. ingenium autem æquè requiritur in venatore, atq; in milite, quoniam in vtriusque arte, errata non corriguntur instauratione: atque vt in bello, quæ arces ferro nō possunt, auro, & largitionibus facilè interdum capiuntur: sic in venatu, quæ feræ bestiæ vi superari minimè possunt, non difficilè, vt Monocerotis patet exemplo, superantur blandimentis. Nec solum in vtraque arte, consilium probatur in deliberādo, sed etiam celeritas in conficiendo. Etenim neq; Imperator pugnaturus hosti tempus concedit ad deliberandum: neq; venator feris bestijs ad euadendum satis, si potest, tribuit otij. Nam

omnes

omnes beſtiæ, vbi periculum ſentiūt à venatore imminere, ſuo ſe armant præſidio. Aliæ enim cornu ad ſaxa exacuunt: aliæ in latibula, tanquã firmiſſima præſidia ſe recipiunt: Apri Coſtas, atque Cutem attritu arborum, & luti incruſtatione adeò ſe armant, vt neque dente Canum, neq; iaculo transfigi, neque acutiſſimo venabulo, ſine difficultate, poſſint adigi. Quocirca, vt hoſtes in bello, ſic belluæ in venatu, ex tempore ſunt opprimẽdæ; atque pro hoſtibus pernicioſiſſimis habendæ. Nam ſi quis mortalibus tollit vitę neceſſaria, ijs pariter vitam videtur tollere. cur pro hoſte immaniſſimo, non ſit fera beſtia? Vulpes demolitur Vineas: Lupi inſidiãtur Gregibus, Apri & Cerui depopulantur Agros: Leones, Tigres mortalibus omnibus exitium intendunt occurrentibus. Quare vt Hercules in bello, qui Monſtrorum fuit domitor: Sic Orion in venatione, qui aut cicurare, aut delere didicerat omnia animantium genera, quæ immanitate ſunt efferata, vnicè apud veteres laudatur. Hic enim ob ingentem prædæ copiam, atq; incredibilem ſimul ferarum ſtragem, arte tantum venandi effecit, vt Helice Inſula cicur redderetur, quæ ante, vt ſcribit Parthenius in Euroticis, erat ob feritatem beſtiarum, inculta, & deſerta. Vix vlla igitur laus eſt Imperatoris, quæ Venatori cum Imperatore non ſit communis. Etenim nè longe abeam, quare currus Cybeles, qua Mundi globus regitur, à Leonibus trahitur? vt certè cenſeamus, aut etiam fateamur, perſonam eam neſcire Principis auctoritatẽ induere, qui nõ nouit immanes beſtiarum appetitus ratione cicurare. Quocirca qui ſummi, apud veteres, fuerunt imperandi Principes: ij omnes artis Venatorię extiterũt architecti, & opifices. opifices? imò miniſtri, & diſcipuli. Neſtor enim Theſeus: Hippolytus: Palamedes: Vlyſſes: Diomedes, ac deniq; omnis ferè fortiſſimorum Heroum turba affluxit ex artis venatorię ſchola. Eſt enim venatio non Heroum: ſed Apollinis, & Æſculapij

inuentum à quibus mortales primordia trahunt vitæ eius, quæ & in actione consistit, & contemplatione. Quid igitur dicam, aut non dicam potius de arte venãdi, in qua Viriatus Lusitanus prima fundamenta iecit imperij? nulla belligerandi laus est, quæ artis venatoriæ vacare potest disciplina. Nã cùm duo sint bellorum genera, vnum terrestre, nauale alterum, & vtrunque pro muro, nitatur Mathematicæ disciplinæ præsidio: nihil est in bello laudabile, quod æqua mensura, non videatur in venatione residere. Siquidem vt in hostium, sic in congressu ferarum res omnis feliciter cedit Geometriæ auxilio. Itaq; à venatore spectantur qui recessus sunt in syluis: quæ flexiones: quæ diuerticula: num vsquam aquari, pabulari cogantur feræ bestiæ: vbi in æstiuis: vbi in hybernis sua statuant latibula. Nam piscatio cum apparatu nauali, Astronomiæ magis ducitur obsequio. in eo enim qui venti, aut secundi, aut aduersi sint futuri considerantur, qui de Cœlo imbres immineant: quo Lunæ incremento, aut decremento: vadane, an ima aquarum eo anni tempore amet Piscis. Aucupium cum pugnæ incendio, Musicæ in primis adminiculo ansam rapit rei bene gerendę. Hæc enim in Aucupio docet, & præscribit quo nihilo: quaue fistula aues alliciantur: quo etiam modo area concinnetur, quæ semina spargantur: qui gestus, plagæq; ex tugurijs obtrudantur. Est autem Musica in ipso militum cum hoste cõflictu, vbi vox Imperatoris, propter armorum strepitum, exaudiri non possit, orationis, & præceptionis loco. Quare capitale est in bello, ei, qui classicum canit, militem non obtemperare. Sed inter artẽ belligerandi, & venandi hoc potissimum interest, ꝙ illa Equorum: hæc Canum magis vtitur præsidio: quòdq; semper Imperator, vt iustus: nunquam laudatur venator nisi crudelis. Nam cùm bellum sit ius Spartanum, hoc est non scriptum, qui Imperator belli est peritus, tantum abest, vt recedat à iure, vt nun-

quam

quam ante possit hostem perdere, quàm ius videatur tueri, & defendere. At cur nisi crudelis venator? quia eius summa laus est, cruorem à feris bestijs, cum vita repetere. id tamen sine iniuria. quid ita? quia vt miles in hostem, sic ius habet venator in animalium feritatem. Neque illis fit iniuria, quia ius est vlciscendi: neque his, quia illis nihil infertur inuitis. Neq; fit inuito iniuria, neq; beneficium, nisi volenti. Nam vtriusq; obses est voluntas, quam nec sequi viri iniusti, & carere censentur feræ omnes bestiæ. quid? qui inuehitur in Bestias, is desidiam, libidinem, cupiditatem restinguit, ex quibus sordes omnes manant vitiorum. Quare Dianam integritatis Deam, uenationi iccircò præfecit antiquitas, ut intelligerent mortales, flagitiorum sordes omnes ex uenatione exulare. Nec alia ratione cuncti Persarum Reges summę glorię fundamenta iacebant in venatione, quàm quod in uirtutum campo, nulla planta sit feracior salutis, quàm uenatio. Itaq; Darius Persarum Rex ea sic est oblectatus, vt sepulchrum suum honestarit hac inscriptione. *Amicus amicis fui: Eques, & Sagittator optimus Venatores omnes superaui, & quæcunque volui facere potui.* vt enim bellum sine iustitia si sumitur, deponit belli nomen: induit latrocinij: ita in venationis fundo, si venatio sit modo, exarescit iniuriæ, succrescit succus omnis iustitiæ, fortitudinis, & temperantiæ. Consueuerunt enim venatores niues, æstus ferre, famemq; prædæ auiditate negligere, atq; equitando, currendo, consistendo, ardua omnia obire. quid? neq; in bello: neq; in venatione potest habitare ignauia: post summa virtutis gloria. Belli enim consors est iustitia, & Venationis socia. alterum liquet, quia hoc est gladius in manu militis, quod est ius in pectore iudicis. de altero nefas est dubitare. Nam vt iustitia, sic venatio immunitati est inimica. quid? non Thesei cum Minotauro congressus plures è Labyrintho hominum societati reportauit vtilitates, quàm

ars

ars præſcribit venandi, ſine qua humanum genus ferarum voracitati magis ad paſtum eſſet relictum, quàm aduerſus eas ad digladiandum. Qui miles vna non poteſt, alia vt venator hoſtem aggreditur via. ille enim hoſtium vi: hic feritate nouit benè vti ferarum. Sic Dacus ille fugitiuus Leonē in latibulo, non tam ſeruauit ſpiculo læſum, quàm à Leone feris deinceps obiectus beſtijs eſt ſeruatus. Quorſum? vt intelligamus nihil in capitali odio eſſe tam crudele, quod hoſti cum Imperatore victore non queat ſpem reconciliationis oſtendere. Artis eſt, quod ſemel ſtatuēdum eſt, diu deliberare, atq; in primis quid locus, tempusq; ferat perpendere. Annibali igitur non minori cura interdum erat locus pugnandi, quàm ipſa pugna. quòd ſi enim iniquo loco res erat gerenda, præclarius ducebat bellum certis protrahere conditionibus, quàm incertis belli ſe committere caſibus. Hæc Annibalis induſtria non tam ex re militari, quàm ex venatoria videtur accerſita. Nunquam enim venator locorum obdormit opportunitati: ſemperq; inuigilat tempori, atque vt ex loco occaſionem, ſic ex tempore ſibi præſidio comparat celeritatem. Nam cur, ſi fas eſt paulò altius repetere. Nemus & dictus, & dicatus eſt venationis locus? quia ſi benè attēdimus, in nemoris nomine cenſetur virtutis vis vniuerſa latere. dicitur enim Nemus à verbo Græco νεμω paſco, eò quòd arte venatoria, veluti quodam pabulo paſcantur & animi, & corporis vires, hoc eſt rei bellicæ artes vniuerſæ. quid artes? immo ipſi milites. Nam in Nemoribus gignitur Quercus: Lex: Fagus: Æſculus: Suber, & Serrus, ex quibus olim humani generis querebatur victus. quid attinet de arte dubitare? Liſymachus Leoni, ex Alexandri præſcripto, obiectus beſtiæ caput pallio primum obuoluit, deinde nullo negotio guttur eius fregit. Nam cùm paſſim olim venatores à Leonibus lacerarentur, tandem aliquando à Getulo paſtore obſeruatum eſt, Leonem ferociam

omnem

omnem habere in oculis, eamq; cum ſenſu amittere oculorũ. Rei huius gnarus Liſymachus non ſolum periculum euaſit: ſed etiam Alexandrum Magnum in ſui admirationem traxit: ſibique iter ea arte ad regiam gloriam aperuit. quid multa? acumẽ ingenij in imperando laudatur: vituperatur in venando tarditas. Alexander in pacis fœdere dicebat priuata vicinarum Vrbium, & Prouinciarum odia in primis eſſe cauenda, propterea quòd ſenſim aucta facilè in bellum ciuile, & commune Imperij periculum deriuantur: Venator autem non Vrbium, ſed locorum omnium arte corrigit diſſidia, nunc claudendo, nunc recludendo ferarum refugia: modo pabuli ſpe: modo eas inani metu fallendo: nihil neq; in bello, neq; in venatione fit ſine arte, in qua cauendum eſt ne pugnãdo, hoſtem magis videamur erudire, quàm oppugnare: quòd belluarum, non hominũ proprium videtur, & ſingulare. Multa enim ſunt, quæ milites in bello, videntur eſſe mutuati à feris animantibus. fama quippè eſt Miluos artem gubernandi nauigia docuiſſe ipſa caudæ inflexione inter volandum, atque monſtraſſe quomodo ad dirigendum molem nauis, clauo in alto ſit vtendum. Artificium docuerũt ſimulãdi, & diſſimulandi Crocodili Lachrymę quippè qui vitæ ſpem homini, vt oſtendat, fundit primum Lachrymus: deinde hominem mox incautum, & ſecurum deuorat. quid? magna eſt à Crocodilo fallendi diſciplina: ab inſectis ẽt non exigua. Nam cur Rete Ægyptij fraudis conſtituunt Hieroglyphicum? quia ijs inſidias tendit Araneus. quid? quia in bello aduerſa fortuna conſilio corrigi poteſt: virium imbecillitas dolo: Interrogatus aliquando Alexãder Magnus quomodo hoſtis atrox vinceretur ab imbelli, & imbecilli milite: placendo, reſpondit, potius, quàm diſplicendo. Hac arte vicit repente Sinon Troiam, quam longo temporum interuallo, totus Græcorum Exercitus non potuerat vincere. Quæ autem ars fallendi

viget

viget in bello, ea potissimum ex venatione est accersita. Siquidem, ne ab exemplis recedam, qui Cancri delitescunt in latibulis, nec manu capi possunt, quia natura, tonitrus, & fulguris sunt amantes, solent Piscatores lumine accenso noctu, & concussione aquarum pro fulgure, & tonitru illos in apertum euocare, hocq́, blandimento deceptos capere. quid? neq; venator imposturam nouit facere animantibus, qui naturam nõ tenet animantium: neq; Imperator hostes fallere, qui mores non cognoscit hostium. Tanta quippè est militiæ, & venationis consociatio, vt vtriusq; ars videatur ex eadem schola, & disciplina manare: hoc est vt vis vi: fraus fraude pellatur. Neq; enim animantibus ab initio mundi victitatum fuit, vt contra eas homines victus gratia, congrederentur. Nam vt multi, vel omnes ferè sentiunt, glandibus solum, & terræ frugibus hominum trahebatur vita. Non victus igitur, sed vitæ, contra bestias omni immanitate efferatas, venationem peperit necessitas. Ad eius imitationem, quia Venatores corpore, & ingenio præstabant, factum est apud Romanos, vt legio in bello ab eligendo sit dicta, eò quòd eligerentur qui non parum virium robore: plurimum arte valerent. Nam is demum vincit, qui plus intelligit: non qui plus potest. Elegans est in venatu exempli testimoniũ. Nam Indi quas Simias, pro ascensu arborum, non queunt inuadere, eas minutis ocreis, & vnctionibus speculo addito venantur. Cùm enim nihil Simijs sit potius, quàm imitari hominum facta, venatores, illis de summitate arborum spectantibus, speculo se apparant, vngentes oculos melle, & induentes ocreas: mox, impedimentis, quasi præstigijs relictis, secedunt. Simiæ igitur dum gestiunt idem facere, facilè vt scribit Diodorus Siculus, irretiuntur. quid? ab eo hoste maximè cauendum est, qui cùm maximè nocet, id agit, vt prodesse videatur. Hac autẽ arte qui instructus est Imperator, ita nouit hostes infatuare, vt

se suo

se suo non defendāt, sed iugulent gladio. Quemadmodū enim Piscator nouit quæ Pisces tegunt, & tuentur, calce commisto. Piscibus infensa, & infesta reddere flumina; & ita, vt Pisces malint in manus venire Piscatoris, quàm in ipsis fluminibus habitare: sic Imperatoris est eas inter hostes dissidiorum caussas serere, vt eos nullus locus possit continere, sine discrimine: quæ ars vbi minimè deest: ibi præsto adest victoria. Non enim difficile est hostes vincere: sed artem nancisci vincendi: quam cùm secus gestaret C. Cæsar contra Pharnacem Ponti Regem, ea statim elatus est victoriæ gloria, vt diceret Veni, Vidi, Vici. Hac arte stipatus Lucullus in Armenia centum millia hostium occidit, Romanorum tantū quinq; desiderati sunt. quid? non numerus hostium, vt Leonida solitus est dicere, sed virtus timenda est: nec minus hostis, cùm placet, cauendus est, quàm cùm displicet. Nam vt in Esca hamus, sic in hostili beneficentia delitescit dolus. Quocirca milites non solum decet esse fortes, sed etiam prudentes: quid dicerem continentes? quia auari facilius auro expugnantur, quàm ferro, Philippus Macedo olim, in Græcia plures largiendo, quā explicando cepit vrbes. Itaque non tantum ab hoste vis est timenda, sed ipsa etiam liberalitas cum promissione coniuncta. Nocet quippè plus, quàm apertum odium, insidiosa beneuolētia. quid ita? quia nihil est tam immane, & horridū, quod suauitate quadā permulsum, non mite, vt Hanno Carthaginēsis aliquando docuit, reddatur, & mansuetum. Hic quippe tam scitè quæ grata erāt feris Bestijs obseruauit, vt primus omniū mortalium, ausus sit Leones manu tractare, atq; feris vti mansuetis. sed alia est feras blandiendi, alia hostes fallendi ratio: si tamen est fallere, aberrantes quoquo modo in viam reducere. quia minus periculosè, quàm vi, dolo capitur hostis, Consueuit Antisthenes oīa bonorū genera hostibus, præter mentē, optare, præcari à superis. Nam in

armis,

armis, opes artem cedunt: non ars opibus: ijsq; semper, qui pręstant ingenio, ex inclinata, & propè perdita fortuna, fit explorata victoria. Nec magis id Antisthenis, quàm veritatis elucescit auctoritate. Nam si virium robur non cedit ingenio, cur magnus Elephas à paruo capi solet Æthiope, atq; Duci quò volet, & deduci vnde non volet? Exercitus, qui parum arte, minimum ingenio valet, non metum hostibus, sed audaciam: non periculum, sed prædam parit. Qui artem, scientiamq; fallendi in bello negligit, nullum colorem sequi potest rei militaris. Virtutis enim angustissimi sunt fines, & termini: artis verò & scientiæ tam latè patentes, vt nemo eò vsque in rerum cognitione progrediatur, quò non sit ad victoriam vlterius progrediendum. Nam cur vnus Demosthenes Philippo Regi Macedonum, maiori erat terrori, quàm vniuersa simul Græcia? quia ingenium non vincitur viribus: sed vires ingenio. quid dicerē arte, & dolo? sicuti in venatione emittuntur Cicures, vt ferę cōgredientes Bestiæ capiantur insidijs: sic plures in bello sæpè, & decipi, & capi solent beneficentiæ opinione, quàm aut metu, aut supplicij atrocitate. quid? Res est militaris ea natura, vt si nō sit artificio simulationis, & dissimulationis erudita, pestem, & exitium Imperatori afferat pro victoria. Nec alia de caussa, puto, olim apud Gręcos, Dij, Deæq; omnes armati effingebantur, quàm vt intelligeremus eos arma nescire tractare, quorum consilium cæteros non fugiat mortales. Quare cùm oleat res bellica, quasi quandam Diuinitatem, tam rara est, vt nulli vnquam apud Romanos, Imperatori omni ex parte sit concessa: sed peritia Metello: Audacia Pompeio: fortuna Scyllæ: fortuna denique tribatur Populo Romano. Id ex arte addiscimus venandi, quę non atramento, sed veluti quodam descripta est Bellerophōtis prodigio, qui Pegaso insidens, vt est in fabulis, chimerā trucidauit. quid? magna est, & domi, & militiæ vtriusq;

artis

artis difficultas: affinitas non exigua: potentia summa. cur difficultas? quia nihil est virtus militaris, nisi artium simul omniũ aceruus. quare affinitas? quia in vtraq; arte non genus, non res, non robur virium, non corporis elegantia: sed animus, & consilium victoriam parit. quam ob rem potentia? quoniam Venatio, armis: arma definiuntur Bellerophontis viribus. ita enim natura cõparatum est, vt imperitior obtemperet peritiori: succumbatq; deterior meliori. Testis est Arsaces obscuræ conditionis homo: sed artis perspicuæ. Nam parua collecta Sytharũ exulum manu, Partos subegit: Syriæ Regem Zaleucum, & Hircanos in seruitutem redegit. quid? pluris est virtute, quàm imperio præcellere. Nam virtus nunquàm inops imperij: semper imperium damnatur inops virtutis. Addo quod nemo antè potest alijs imperare, quàm cæperit virtuti parere. Quare nulla est in Imperatore, imperij gloria, sine obseruantia obsequij. siquidem neq; Achilles: neq; Theseus: neq; Hercules olim laudatus est, quia imperauit hominibus: sed quoniam ante quàm imperabat, imperata faciebat rationis. sed quid longè abeo? nulla maior est apud milites Imperatoris, q̃ apud Canes Venatoris auctoritas. Canes enim ad venationem, tanquam milites ad bellum nati, Venatorem in excursionibus, sibi prẹficiunt ducem: hunc comitantur, huius nutum obseruant: huic, sine detractione, semper parent. Quia autem nomina sua norunt, vocati adsunt: obiurgati, increpatiq; recedunt: suos recognoscũt: alienos inuadunt, ac deniq; blandimenta, tanquàm gloriæ ornamenta affectant. In Venatione igitur, tanquam in belli acie Venator personam quasi induit Imperatoris. Canum enim cõcursus Exercitus olet alacritatem: Venabula armorum vim obtinent, & impedimenta sua adsunt, tanquam propugnacula. Quid? in Venatione, velut in acie instructa, robur & animi, & corporis simul excitatur: ignauia pellitur, atq; hosti terror virtute

tute paratur.qua in re non obſcura eſt rei militaris facies,& diſciplina. Nam multi bellum ſuſcipiunt, pauci pro dignitate gerunt.alterum enim eſt conſilij tantum:alterum etiam ſapientiæ,cui vel inuiti Exercitus armati coguntur parere. Non ſatis eſt igitur Imperatori iuſtum eſſe bellum,niſi etiam ſumma arte geratur,& virtute. Hoc qui ex arte venandi non ſentit, nulla excuſatione vti poteſt,niſi ſtuporis. Quare Xenophon, Muſa Attica ob dicendi copiam, vulgo cognominatus, cùm ſcripſiſſet de venatione,ita gratus fuit,& Ageſilao Lacedęmoniorũ Regi,& Cyro iuniori Perſarum Regi, vt ex Venatore amicus: ex amico quaſi factus ſit ijs imperij ſocius. Nam ſi rei militaris, prima lex, vt inquiebat Darius, hæc eſt, qua ob Imperatore ex ignauis fortes reddũtur milites,quibus ex præceptis,& inſtitutis potes id Imperator facilius,quàm ex arte venatoria addiſcere? Norunt Indi artis huius præſidio, Canes ſuos in Vrſos,Tigres,Lupos,& Leones commutare, eorumq; feritate immanes omnes Beſtias inter venandum ſuperare. Nam coitus tempore Canum fœmellas in Sylus ligant arboribus,vt ex earũ ferarum vario,& multiplici genere concipiant, fiantq; ex Canibus ad hominum propugnationem, Lupi: Tigres: Vrſi, atq; Leones acerrimi ſui generis hoſtes. Ex horum genere olim Alexander Magnus ab Albaniæ Rege duobus Canibus fuit donatus,qui Leones ſingulari vincerent certamine,atq; Tauros tanquam Tigres inuaderent,admirabiliq; lacerarent feritate. Sed quid ego hæc de affinitate venandi, cum virtute belligerandi? qui boni ſunt milites,ij omnes ex venatione, tãquam ex Equo troiano, ſolent proſilire. Nam qui ſunt Venatores? qui inſomnes norunt ſub die noctes trahere: qui non norunt aut labores fugere, aut ſanguinis profuſionem perhorreſcere. iure igitur inter Herculis laudes,non poſtremo loco habetur id, q; Venator Erymantem Aprũ interuenit. Nuſquam enim melius,q̃ in

venatu, ars adoleſcit militaris. Etenim quæ militiæ ſunt attributa, illa Venatori cum ſtrenuiſſimo milite exiſtunt ferè omnia communia. quid? vix vtriq; datur quieſcendi locus: neuterq; eorum eſſe poteſt, niſi ſit patiens, temperans, fortis, & robuſtus. Temperans, quoniam ei ſæpè cum fame, & ſiti eſt pugnandum: fortis, quia aſſiduis ſubijcitur periculis. Quid Robuſtus? nunquam ſine robore, noctu, diuq; Cœlo vteretur pro tecto: neq; ſine æſtus, & algoris patientia rerum aſperitates vinceret, & incommoda. Si igitur magna eſt rei bellicæ gloria, non poteſt eſſe artis Venatoriæ exigua. Nam ſicuti ars militaris, vt ſcribit Vegetius, orbem terrarum ſubiecit populo Romano: ita neque Romulus ſine Lupa: neque Hercules ſine Leone Nemeo, hoc eſt ſine artis venatoriæ præſidio, ſuprema virtutis bellicæ floruiſſet gloria. quid inquam ſine artis venatorię præſidio? quod valuit multitudo Hiſpanorum in armis contra dolum Afrorum: quod Populus Romanus contra armatam Græcorum prudentiam: id omne quaſi præſtitit in venatione paruus contra ingentes Elephantes, Medus: exiguus aduerſus Draconem, Theſeus: ac denique Hercules contra Cerberum Canem infernalem. quorſum? nulla tanta eſt rei bellicæ gloria, quàm ſummi illi Heroes non illuſtrarunt artis venatoriæ diſciplina. quid? nihil ſol vnquam vidit rarius vno Hercule, cui ſemper ad gloriam res fuit cum ſumma ferarum immanitate. Nam cur ei exuuium Leonis: Hydra mactata: Apri Nemeęi interitus ad ſummam armorum tribuitur gloriam? quia apex rei bellicæ, ex diſciplina ſuccreſcit artis venatoriæ. Ex qua miles hoc in primis addiſcit, vt ſemper hoſtis alieno pugnet tempore: nũquam ſine commilitonum diſſidio, & ſimultate. Etenim ſi tunc vt Cornelius Tacitus aſſerit, tempeſtiuè bellum hoſti infertur, cùm aut aliò diſtentus, diſtractusque ſit Exercitus, aut eius Proceres inter ſe diſſident, omnia Imperatori mo-

ri monenta temporis ſunt obſeruanda: nec ei minus præclarum eſt in hoſtili exercitu diſcordias ſerere, quàm in ſuo cauſſas omnes fœderis, & concordiæ retinere. Magna eſt, in venatu, artis huius adumbratio: aperta ad hanc rem Canum ſagacitas, quorum latratu ſuæ legionis in vnum cogitur ſocietas: dirimitur contra omnis immanitate conſtricta conſociatio ferina. Nec enim magis militi Equus in bello, quàm Canis Venatori, in præda captanda, eſt vſui. Etſi enim Eques multum poteſt, quia Equus iudicio hominis, homo Equi nititur viribus: quoniam tamen frenum Equo addi poteſt: fides, quæ Canum eſt propria, addi non poteſt, minus ſuſpecta eſt Canis, quàm Equi, pro domino digladiatio. Pugnat enim Canis pro domini ſalute, aduerſus latrones ſicarios: graſſatores: homicidas: inſidiatores: fures, & in venatione, contra immanes Beſtias. quid inquam contra immanes Beſtias? imò contra ferociſſimos hoſtes. itaque ſolent Colophonij magno ſtudio Canes, rei bellicę gratia, inſtruere, atque adeò, vt ex illis quaſi cohortes quaſdam conflarent, quæ in prima acie, certarent mira feritate: nec vnquàm prælium detrectarent, ſemperq; inanis gloriæ auram fugerent. Nec eos ſua fefellit opinio. Nam Colophonijs æque ſemper in nocturnis, atque in diurnis congreſſibus præbuerũt victoriam. Scribunt Veteres Regem Garamantum per ſeditionem Regno pulſum à ducẽtis Canibus, quos venationis gratia aluerat, fuiſſe reſtitutum. Nam ei per hoſtium cuneos, iter patefecerunt, donec in Regiam tutò ſe receperit: ſicque pulſis, cęſisq; hoſtibus, Canum beneficio, feliciter deinceps regnauit. Quare non minus à Poetis laudata eſt Canum Cohors Dianæ, quàm Equus à Neptuno ex faucibus terræ, tridente excitatus. Nam ea eſt Canum natura, vt tempore pacis oblectamenta: tẽpore belli, auxilia pariant ſalutis. ſed quid ego hæc? quæ in bello, rerum momenta obſeruant milites: ab ijs vix vnquam in ferino

rino congressu recedunt venatores. Quare Romani, qui omninò rei inuigilabant militari, tanti artem fecerunt venandi, vt vix vlla spectacula præberent populo, sine artis eius commendatione, & gloria, per quam digladiando immanissimę lacerabantur bestiæ. in eo enim conflictu discebant Romani à feris Bestijs, quæ semper mordendo, punctim: nunquam cęsim feriunt, quomodo hostis ferro sit appetendus. Nam militi turpe est cęsim hostem, qui interimi, non vulnerari debet, ferire. hùc accedit, quòd lorica facilius ferri cuspide, quàm acie potest penetrari. Itaq; arte feriendi punctim maximè vsi sunt Romani. Nec id inconsideratè. Nam punctim feriens, vt inquit Vegetius, ante sæpè hostem sauciat, quàm ictum hostis animaduertat, nedum subterfugiat. sed quid punctim feriens? duo sunt feriendi genera, vnum eminus, vt quod sagittis fit, & iaculis: alterum cominus, vt quod machera, & gladio infligitur: quorum vsus in venatu promptus redditur, & expeditus. quid? est in bello, quæ collatis signis fit, gloriosa victoria. Nam signum verbum est militare, quia boni est militis ex signis tanquam è speculo aliquo cernere quid, in ipso conflictu, agendum, cauendumq; sit: verum id ex venatu multo minus, quàm ars peperit venandi, petitum. Nihil enim est neque ad inuestiganda, neque ad intelligenda signa venatione sagacius. solent itaq; Venatores ex solo feræ Bestiæ vestigio, quod de eius ætate, pondere, & magnitudine iudicium ferunt, ratum habere. Sunt etiam qui ex Canum tantum odoratu, recognoscant quod animantis genus sit suspectum: ex retrimentis verò vbi, aut quando futura sit insidiarum occasio. Age, boni, fateor, est ducis milites sic in officio retinere, vt omnes in sententiam veniant Imperatoris: nulli ad hostes, fiant transfugæ. At longè id callidius à Venatore, quàm ab armatorum militum duce cernitur fieri. Quæ enim animans semel Cicur facta est, vt supra docuimus

per Tigres ex Canibus domesticis, & Leones natos, nunquam ad feritatem redit. sed quid ego hæc in venatione? patet id etiã in Aucupio. Nam quas Auceps semel cepit Columbas, ijs pro leguminibus Carrucam in pabulum, ministrat, qua statim gustata, Columbæ deinceps nunquam, aiunt, ab Aucupe fiunt fugitiuæ. Neque id mirum. Nam ea Venatoris ingenium arte est limatum, vt ne errare quidem possit, si velit, cùm artis sit, metam attingere: errare ignorantiæ. Consueuit igitur Plato militem generati Canis qui minister est venandi facere similem. Nam Canis, & vigilijs viget ad excubandum, & sagacitate ad sentiendum, & velocitate ad hostes insequendum, & audacia ad expugnandum. Quare ne longè abeam Res militaris in Venatione, tanquam in sacra Martis Æde sic colitur, vt qui imperitus sit venandi, vix vnquam inde ad bellum abeat gnarus belligerandi.

FINIS.





DIPHTHERA IOVIS
Siue
DE POTENTIA PRINCIPIS.
HENRICI FARNESII EBVRONIS I. C.
& Artis Oratoriæ Interpretis Regij.

LIBER TERTIVS.

Quòd nouum genus sit Auxilij, ex imbecillitate virium, adiumenta Victoriæ capere. *Elog.* I.



PARS quædam est victoriæ, hostem in bello terrere. quem enim terror inuadit, is exanimatus metu, vix sui superest dimidius. Est autem id, si res ferat, artis machinari, & ingenij. Nam quos in bello vix terret periculum: eos solet plerunq; inanis periculi terrere suspicio. Præclarum est insigne, nec ineruditum naturæ monimentum *per Leonem futili rotarum strepitu, & inani Rhedæ sonitu territum* cum dicto. LARVA HORRORIS SVSPICIO. Leonem enim non periculum: sed fucus hic territat periculi. quadrat in callidum Imperatorem, qui impar cum hoste viri-

 bus,

bus, imbecillitatem arte compensat virium. felix id aliquando docuit Ptolomæi exitus. Nam cùm aduersus ingentem Perdicæ Exercitum esset parua manu pugnaturus, omne Pecorum genus in vnum coegit, religatisq; post tergum, quæ traherent carpentis, agendum per nonnullos equites curauit. is interea alia via cum Exercitu progressus effecit, vt ingenti puluere, qui vtrinque excitabatur, species appareret gemini Exercitus. hac imagine territus hostis, qui superior erat, cessit inferiori. Etenim est sæpè in timore, quàm in eo, quod timetur mali. Quoniam igitur ingentem hosti plagam infligit, qui hostem pauore consternit, in magna copiarum tenuitate, contra magnam vim hostium, boni Imperatoris est, non minus hosti pauorem, quàm militi audaciam sibi comparare præsidio.

Quòd genus aliquod sit pugnandi, in quo cadat qui plus habet animi. *Elog.* II.

ET metus sine periculo, & periculum sine metu plurimũ in armis officit. ille enim militum effæminatos: hoc temeritate occęcatos arguit animos. Qui igitur Imperator in vno non potest, in altero hosti fucum faciat oportet. Nã hostes æquè facilè vincuntur temeritate præcipites, atq; consternati metu. Adumbratur id per *Equæ in vtero gerentis imaginem, quæ in pascuis, Lupo se in Syluas recipiente, cernatur insolescere liberius, & euagari. cum titulo Grauis.* SECVRO SECVRIS. Argumenti loco est Equæ lætitia exultantis imago: quæ vbi Lupi vestigium pręsserit, statim facit abortum, Lupoq; insidianti fit vnà cum sobole præda. id olet, vel sapit potius naturæ hoc pigmentum, boni esse Imperatoris, hosti interdum animum addere, quo ei possit facilius animam adimere. Nemo enim audacia elatus nouit laqueos effugere. Id bellè pugnatur: cum Sempro.

Gracccho

Gracchó comprobarunt re,& euentu Vaccei. Nam hostem imparatum, vt animosum ad pugnam redderét, vniuersas suas copias quasi animo fluctuantes, & timidas circunuallarunt plaustris, quæ implerant fortissimis viris, muliebri veste tectis. Sempronius igitur tanquam sibi cum fœminis, non cum viris manus essent conserendæ, cæpit ante victoriam, encomium canere, cupidèq; magis, quàm consideratè hostes inuadere, à quibus non tam turpiter est illusus, quàm atrociter fractus, & dissipatus. Quare in bello hostem qui non timet, ansam hosti porrigit Victoriæ: qui audere nouit, Laureum, veteri prouerbio, baculum gestat: qui non nouit, contra se arma gerit.

Quòd auidi milites sua facilius expugnentur auiditate, quàm ferro. Elog. III.

ETsi Græci arte: Romani virtute: Aphri dolo magis vincebant, nunquam tamen minus dolus, in armis, quàm ars, quàm virtus habuit ponderis. Nam arte Alexander: virtute cùm pugnaret Hercules, vterq;, vt ab alijs recedam, dolo est superatus. Itaque cum doli ferè omnes in cupiditatum delitescant illecebris, nihil militibus magis, vt Captionum pellantur præstigiæ, cauendum est, quàm ipsa cupiditas. Nemo enim non facilè rei eius specie decipitur, cuius flagrat desiderio. Argumenti color non adulterinus; sed verus spectatur *in rapti à Cornice ad pastum Scorpionis imagine*. cum verbis. AVIDI PRÆMIVM. Cornix enim prædę plus nimio auida, cùm Scorpionem rapuisset, icta statim à Scorpione, & victum, & vitam simul omnem amisit, ex pigmenti hoc commento, condimētum est disciplinam militarem non minus militum continentia esse educandam, quàm constantia. quid inquam non minus? longè satius est in bello, animi dominari cupiditatibus, q̃

fortissimis imperare gentibus. Nam quasi vecordes nullo negotio superantur, quos æstus vesanæ absorbet cupiditatis. Præclarum est apud Græcos exempli testimoniũ. Etenim Canon Dux Atheniensium classe Persarum victa, apud Insulã Cypron, milites suos captiuorum armis induit, Barbarorumq; nauibus ad hostem nauigauit in Pamphiliam. Persæ non tam quia nauigia, & vestium genus suorum agnoscebãt, quàm quòd spoliorũ auiditate erant occęcati, illos alacriter tanquam auro onustos exceperunt, à quibus mox profligati pęnas dederũt vesanæ suæ cupiditatis. Quorsum? nulla apud auaros hostes ad victoriam compendiosa magis, & expedita est via, quàm quæ lucri calcatur vestigijs. Nulli enim in bello viri cordati sunt auari, quia excordes sunt omnes, quibus cor est in loculis. Nam cur non potuit Iupiter: potuit Iouis aurea nebula, vt est in fabulis Danaen comprimere? vt intelligerent mortales vbi aurum pluit: ibi animorum corruptelam pluere. Nec mirum est quòd meminit C. Cæsar Germanos muneribus, & pecunia corruptos secum in bello habuisse, atque eorum viribus, & Galliam, & Pompeum vicisse. Nulla enim non suspecta est, si absit pecunia, auidorum hominum fides. Nam iccircò cupidi omnes sunt infidi, quòd cupidum esse morbus est: cupere verò cupidorum medicina, qua suę expiantur vitio.

Quòd alius ad aliud prælij genus, locus sit magis idoneus.
Elog. IV.

QVemadmodum in homine persæpè frons oculi, vultus: sic in bello, locus, numerus, tempus, ac demum ipsi apparatus mentiuntur. Atque &si passim fucus colorem induit veritatis: nulla tamen contra prudentem Imperatorem non relanguescit fallaciarum vis. Cedunt enim malè

artes prudentiæ: non prudentia malis artibus. Nam cur in Apo logis Vulpes Æſopicus omnes decipit animantes, à Gallo Gallinaceo ſolum Phœbi alite decipitur? vt certè Apologi commẽ to intelligant mortales, virum prudentem valere plus conſilio, quàm vafrum, & callidum hominem ſimulandi, & diſſimulandi artificio. ille in bello minimè falli poteſt: quia nouit ex loco, pugnæ conſilium capere. Ei enim ſemper ſecundi ſpirant fortunæ venti, qui nouit locorum, temporumq́; opportunitate vti. Itaq́; vt trito fertur ſermone prouerbio, Gladiator in arena conſilium capit. *Rei eius imago exprimitur Draconis figura, qui vniuerſo animantium generi ſit horrori*. cum dicto. OMNES VIAS NOVIT. Nat enim cum Piſcibus. graſſatur cum quadrupedibus: ac deniq; volat cum alitibus. quorſum? nullus in bello locus vacat arte: nulla ars pręſidio victoriæ. Graue eſt Xantippi Lacedæmonij exemplum. Hic enim ex loci tantum præſidio, fortunam Punici belli ex aduerſa in ſecundam commutauit. Deſperantibus quippè iam Carthaginenſibus, quorũ Dux, & Imperator erat, iuſſit Aphros, qui equitatu, & Elephãtis præſtabant colles occupare: Romanisq́;, quorum robur in pedibus erat, campeſtria relinquere. Mox inde Pœnos in plana deduxit, vbi per Elephantes diſſipatis Romanorũ ordinibus ſparſos milites per Numidiam perſecutus, totum reſtinxit Exercitum: eoq́ue terra, mariq́; victor extitit. ex loci igitur natura, ei feneſtra ad victoriam aperta eſt. Quod enim loco fit, ſemper feliciter cedit. Quia autem Imperator vnus eſt inſtar omnium, is, Cyro Magiſtro, non in vna, ſed in omni verſari debet Exercitus parte, vt obſeruet vtrũ ob omnibus ordo ſeruetur, namq́; in exercitu rixæ oriantur militum, quę iura belli poſſint contaminare, Primus autem in bello locus eſt medius: quia qui fortis eſt, medium tenet locum inter timorem, & audaciam.

Quòd Imperatoris sit, Agros ipsos sibi ad pugnam conciliare amicos. *Elog.* *V.*

NEque Plantæ, nisi loco seratur: neque pugnæ sine loci præsidio, vlla est vtilitas. Nam quæ locus non admittit, frustra in eo vestigia figuntur Virtutis. Monimentum munimẽtum artis cernitur in picturis *per Delphinum iuxta terram sua imagine expreßum*. cum dicto. HINC DISCRIMINA RERVM. Nam Delphinus in mari sua celeritate auium exaquat volatum: in terra verò non solum vires amittit, sed etiam ea tacta statim moritur. quid? Boni ducis est in bello potissimum cernere, quid loci aut ferat, aut non ferat natura. Testimonium est Annibalis singulari eruditione imbutum. Etenim cùm frequentibus prælijs à Cl. Marcello frangeretur, tandem ibi Castramentari didicit: vbi montibus, aut paludibus, aut alia aliqua locorum opportunitate septus, stipatusq; teneretur. factum igitur est non virium, sed locorum auxilio, vt vincentibus Romanis posset citra cladem, intra munimenta recipere Exercitum: cedentibus verò liberum haberet instandi arbitrium. Magna autem est Imperatoris gloria, alienissimo hostiũ loco pugnare, atq; ex agris, vt Agricola victus, ita suę defensionis pręsidia capere. Classi verò loca importuosa semper sunt fugienda: tempestates nunquàm nõ prouidendæ, alioqui facilè perit, vt refert Polybius de Classe Romanorum in Pachyno.

Quòd periculosius sit cum metu, quàm cum hoste pugnare. *Elog.* *VI.*

AD celeritatem Victoriæ, non solum hostibus in bello, sed iumentis etiam inijciendus est metus. Nam animantes omnes pauidæ ad pugnam redduntur inutiles. Insigne est apertum, & euidens *per Mustellæ imaginem ore*

ramu-

ramusculum Rutæ tenentis, quæ Busonem vltrò inuadat. cum titulo. ENERVAT ROBVSTOS. Buso enim natura, & si Mustellæ capitalis est Lupus: Rutæ tamen præsidio, quam Buso perhorrescit, Mustella superat Busonem: quem metu primùm exanimat, quia difficilius plantæ eius odorem fert, quàm interitum: deinde nullo negotio perdit exanimatum. Quid? hostilis terror non solum terret, sed etiã vniuersum terit exercitum. Quare boni est Imperatoris hostium ad victoriam nosce vti vitio, atq; hostes omnes suo iugulare gladio. qua in re maximè laudatur Medorum Rex Cyrus. Hic enim contra Lydorum Regem Crœsum ab Equitatu firmum parua manu pugnaturus, Camelos instruxit, quorum odore, quem minimè ferunt, consternati Equi, ruptis ordinibus in fugam se coniecerunt. sicque Crœsi conatum suus frustratus est Exercitus. Quare Imperatoris est semper aliqud moliri, quod hostis timeat. Siquidem hosti non solum aduentus, sed etiam metus calamitatem parit, periculi. Quoniam igitur virtus bellica ingenij est potius, quàm viriũ, solet olim eius disciplina præmij, & pęnę comitatu æquè teneri instructa, atque constricta. Nam Artis eius doctores, & ductores duplicibus annonis honestabantur: qui contra milites in ea arte parum proficiebant hordeo, non frumento alebantur. Atq; & si in bello nullum crimen impunè: nullum vitium debet inultum abire, non tamen adeò vtilis est imperantis seueritas, quàm rei militari perniciosa crudelitas. Nam militum animos abalienat ab Imperatore, facitq; vt malint ab eo deficere, quàm pro eo pugnare.

Quòd ludicrum prælij genus facilè, sæpè hostium vires euertat.
Elog. *VII.*

NOn inconsideratè Exercitus ab exercitationis assiduitate nomen accepit. Nam luxuria, & otio ars omnis restinguitur

guitur militaris: quæ non ſolum naſcitur ex ſolerti militũ induſtria, ſed etiam eorum labore, veluti quodam cibo nutritur. Quare nihil eſt in bello voluptas, niſi lætale mulſum Virtutis bellicæ. Aſperſa ſunt ſuo ſale commenta in regijs tabulis, *per congreſſum in Viperarum generæ Maris, & fæmellæ: in quo alter ab altera truncatur capite. cum verbis* INFELIX EXITVS. Mas enim caput in fauces fęmellæ ingerendo init: quod fęmellæ, pro rei venereæ mercede non niſi dentibus abſciſum egerit. quid? voluptas principiũ eſt calamitatis: calamitas finis voluptatis. Naturæ igitur teſtimonio à cupiditatum lenocinijs, & inimicorum illecebris cauendum eſt. Nam cùm ludunt, faciũt ludendo, vt illudant quos delectent. Eſt non minus præclarum, quàm vetus Hiſpanorum contra Amilcarem exemplum. illi enim Boues vehicula trahentes, in prima fronte hoſti obiecerunt. Hoſtis Hiſpanorum ludibrium exiſtimans, tanquam ineptias in cachinnos irridentium trahebat. at ſigno dato, vehicula tedæ, & ſulphuris plena inflammarunt: actisque in hoſtem bobus, conſternatam aciem perruperunt. ſic Hoſtis Riſus in maximos luctus commutauit. difficilè eſt dictu vtrum ille turpius ſit eluſus, an crudelius cæſus. quid dicerem facilius? euerſo ordine, vbi res non iudicio: ſed cæco caſu geritur, hoſtis contra ſe arma gerit. Quare cùm in omni pugna: tum in primo potiſſimum congreſſu, ab ipſo Imperatore turbandi ſunt, quoad eius fieri poteſt, hoſtium ordines. in quo multum ars: plurimum poteſt dolus. itaq; ſemper vulpinandũ eſt cum Vulpe: quiaq; nunquam Vulpes iterũ capitur, flagitioſum eſt magis in bello dolo, quàm vi ſuperari. Nam cùm hoſtis tanquam Lybica fera ſit verſipellis, & vis, & fides continenter de eo eſt ſuſpecta: fraus fraude: vis vi repellenda. Hoſti autem in noſtram regionem irruituro itinera ſunt præcludenda: commeatus, & aqua dimouenda: præſidia in ipſo regionis aditu, fortiſſima

oppo-

opponenda,& quæ vrbes primæ obijciuntur commeatu,& valido milite, vt scribit Tacitus, sunt muniendæ.

Quòd Exercitus is armis sit inuictus, qui cedendo vincit.
Elog. *V I I I.*

IMperatori non minus gloriosum est Pardi, quàm Herculi olim fuit Leonis exuuium: horribiliorq́; est in armis mulier artificio simulandi erudita, quàm robustissimi viri vis aperta. Nullam enim periculi cautionem admittit, qui quod latet in simulatione periculum, non videt: omnem contra in promptu habet, qui in periculis cautus est, non timidus. insigne simulacrumq́; constituitur *per Simiam inter Leones*. cum titulo. NON TIMET. Hæc enim per lasciuiam agitat Leones: vim per ascensum arborum fugiens Leonum. quid? robur mortalium, astu, non astus vincitur robore. Trita,& peruagata, vt omittã exempli testimonia, Tamiramis Scytharum Regina Cyrum Persarum Ducem simulato metu, primùm elusit: deindè elusum atrociter cum vniuerso Exercitu prostrauit. vbi enim cępit cum eo manus conserere,& si eum minimè perhorrescebat, quia par erat viribus: illa tamen quasi timore percita in angustas,& sinuosas suæ regionis partes, quæ hosti peregrino æque insidiosæ erant, atq; incognitæ, se recepit: moxq́; ibi hostem insequẽtem agmine retorto oppressit: atq; vniuersum Exercitum viarum ambagibus implicatum funditus restinxit, & deleuit. Quare non locorum solum, sed etiam officiorum sinuosæ ambages, quibus irretiuntur militum animi debent caueri. Nam quòd Cyrus Persas, apud Herodotum conuiuio excepit, ex eius arte addiscimus conuiuijs, solicitationibus, donis, & futuræ felicitatis promissione omnes facilè ad defectionem, nisi præsenti sint animo impelli.

Quòd

Quòd nullum Belli genus sit formidabile magis, quàm id, cuius periculum in fraude delitescit hostium. *Elog. IX.*

NON solum hostium oculi: sed etiam quę fiunt ab hostibus mentiuntur omnia. Siquidem non est Bonus miles qui nescit hostem fallere, atq; mentem eius plurimo imbuere errore. Quoniam autem nullæ gentes culpa vacant, facilè omnes eo, quo laborant, decipiuntur vitio. Non muta pingitur imago *per Pantheram iuxta fontem, Cadum vino exiccantem:* cum dicto. LETALE MVLSVM. Quia enim Pantheræ vini admodum sunt auidæ: solent venatores fontibus, è quibus potum petunt, vinum apponere, quo mox ingurgitatæ capiuntnr ebreę. quorsum? vt intelligamus, cùm suum quenq; perdat vitium, militis magis interesse seipsum, quàm hostē cauere. Notum est Annibalis testimonium. Hic enim missus à Carthaginēsibus aduersus Afros, qui à Rep. defecerant, spe quadam inani victoriæ, eorum animos inflauit: non metu depressit. Nam cùm ea gens vini sit cupidissima, vinum in mandragora permiscuit, cuius inter venenum, & soporem media vis est, prælio inde leui commisso, ex industria, infeliciter pugnauit, caussamq; fugæ arripuit: tum nocte intempesta, relictis intra Castra, nonnullis impedimentis, omniq; vino infecto, discessum simulauit. Barbari igitur vbi illuxit, Castris occupatis, gaudio iam quasi insanientes vinum medicatum, tanquam Leonis spolium, suæ virtutis faciunt testimonium: quo ingurigati mox sopore, & stupore oppressi cùm sine sensu iacerent, hostis reuersus omnes ad internecionem sustulit. Quare inter virtutes bellicas, non postremum locum habet temperantia. siquidem minimè nouit imperare viris, qui improbissimæ dominæ voluptati cogitur parere. Atque sicuti continentiæ gratia eligitur: sic intemperantiæ caussa exploditur Magistratus.

Nam

Nam vt prima coniurationum origo à Principum orta eſt flagitio: ſic flagitium omne, vt videre eſt apud Polybium, initium traxit ex vitio intemperantiæ.

Quòd credulus in bello Imperator, contra ſe arma gerit.
Elog. X.

IN medio ſedes eſt Virtutis. Qui igitur prudens eſt, neque credulitate, neque pertinacia, verum cogitur, *quod eſt inter vtranque* medium, deſerere. Nouit enim ex vtriuſq; flamma ſine periculo euolare. *Adumbratur id Hyenæ* imagine, quæ Canes, *quos deuoret, ficto vomitu ad ſe alliciat*. cum titulo. SENSVS FRAVDVLENTI. Hæc enim Beſtia Paſtorum nomina addiſcit, quo illos foras euocatos deuoret: ſoletq; vomitus imitari hominum, vt Canes inuadat accurrentes. Quorſum? nihil eſt in eo, quòd ferus hoſtis præ ſe fert, ſenſibus credendum. Teſtes ſunt ſuo malo fato Erythrei. Nam Hoſtes eorum ſpeculatorem in loco ædito deprehenderunt, deprehenſumq; occiderunt, atque eius ſpolio, & ſermone militem inſtruxerunt, qui ex eadem ſpecula Erythreos ſigno dato in inſidias euocarit. Nec mirum. Nam credulitatis, in bello, pęna eſt, vt res loquitur, capitalis. Nihil igitur magis infidum eſt, & ſuſpectum, quàm hoſtis, vt ſcribit Polybius, vicinus: nihil ipſis ſenſibus, qui intimi ſunt amici, inuenitur interdum fraudulentius. Non eſt itaq; ijs credendum. Nam ſenſus peſſimi ſunt falſitatis ſatellites: in quibus tamen hoc eſt boni, quòd cùm mentiantur, mẽdacium minimè inueteraſcit. etenim cùm tantum diſtet mendatium à veritate: quantum ipſi ſenſus à ratione, nõ poteſt diu propter vtriuſque affinitatem, in ipſis ſenſibus mendacij obſcuritas latere.

Quòd gloriosior sit quæ arte, quàm quæ viribus paratur victoria. Elog. XI.

NVllum tempus opportunius est cum hoste manus cõserendi, quàm cum hostis aut ex itinere lassus, aut labore defessus est. Nam vt pauci pluribus arte exæquari solent: ita imbecilles integri robustis præstant iacentibus, si verò minus respondent vires, nullus in bello, armatorum murus potest plus, quàm ars, & tempus. id natura magistra nemo non intelligit *ex Polypi imagine Saxo adhærentis*. cum titulo. SVO FALLIT COLORE. Piscatorum enim Polypus oculos illudit: eumq; pro loco, & tempore colorem induit, vt minimè cognitus facile eorum manus euadat. Quadrat in vafrũ, & veteratorem, qui omnium sit horarum, militem. Scytharum enim Rex Atheas ea arte simulandi, & dissimulandi fuit instructus, vt paucorum militum imbecillitatem cũ firmissimis hostium copijs semper exæquarit. itaq; cùm aduersus ingentem Triballorum Exercitum parua manu cõfligeret, iussit, vt ad postremam hostium aciem fœminæ pueri, omnisq; turba imbellis cum Boum, & Asinorum gregibus, præsto adessent: in quibus insidentes arrectas hastas perferrent: famam deinde fudit auxilia ab vlterioribus Scythis aduentare. hac simulatione ex suis militibus pauorem: ex hostibus simul exemit audaciam. Nam territi nõ solum consilium pugnæ, sed etiam victoriam, quam in manu habebant, abiecerunt. quid? qui nõ potest vna: alia hostis fallendus est via: quique non potest loci: temporis se corroboret adiumento. Nam oppida, quæ vi expugnari non possunt, fame, vel longo rerum tedio, vt Lybæum tradit captum Polybius, tandem in deditionem venire coguntur.

Quòd nullum sit tam corruptum hostium genus, quod non cedat imperantis integritati. Elog. XII.

HAud scio an quicquam magis in armato Principe possit laudari, quàm temperantia. partim quia minus is timet mortem, cuius vita magis à voluptate est aliena: partim quoniam Imperatoris vita, militum omnium est censura: facileq́ue is omnes in officio retinet, qui æque sibi, atq; alijs nouit imperare. quid inquam censura est omnium militum? immo valida contra hostium atrocitatem armatura, atq; veluti quædam amoris, & beneuolentiæ illecebra. Vetus, & eruditum est insigne *per Taurum, qui Caprifici ramusculis collo, armisq́; sit redimitus*. cum dicto. EX ATROCI MITIS. ea quippè vis est arboris, vt eius frundes tauri collo alligatæ, eum omni exuant lasciuia, & ferocitate. quorsum? nihil Taurus ille olet, qui ab Hercule, vt tota fabulatur Græcia, fuit oppressus, nisi ferocissimorum hostium inuidiam, quæ omnis Herculis integritate fuit superata. siquidem haud quicquàm est, ad hostium beneuolentiam conciliandam ea virtute accommodatius. Exẽplum est Scipionis Aphricani Cedro dignum. Hic enim in Hispania cùm inter Captiuos, virgo quædam formæ elegantia, & generis nobilitate præclara ad se esset perducta, ita continentes etiam oculos habuit, vt ne eam quidem in conspectum suum venire voluerit: sed cum pudore, & pudicitia seruari iusserit, atque Paulo deinceps viro, cui erat desponsa, auro addito, gratis restitui. Huius virtutis amore victi hostes, qui ferro vinci non poterant, Imperio se subiecerunt populi Romani. est igitur Temperantia virtus Imperatoria: non quia virtutum omnium, vt inquit Socrates, est saluberrima: sed quoniam cùm, & publicæ, & priuatę societatis sit conciliatrix, optimum est contra hostes proficiscenti viaticum. Neque enim iustus: neque

prudens esse potest Princeps, qui non sit vir fortis, Nam viri iusti est timere potius, ne quid mali faciat, q̃ ne patiatur: prudentis verò, nõ solum aggredi difficilia: sed etiam terribilia. Id omne in pręclariss. Saccorum genere, qui ex Sacci nomine, non sentit, nulla excusatione vti potest nisi stuporis. cùm enim Saccus à Sago sit dictus, Sagumq; semper apud Romanos, monumentum virtutis bellicæ fuerit, vt Toga pacis, & otij, nemo est tam bardus, & stolidus, qui non possit odorari, in vno hoc Sacci nomine omnia virtutis militaris arcana teneri inclusa. Nec adeò militare Saccorum est nomen, q̃ personarum genus amabile, & gloriosum, quippè quod laudabilius semper esse duxit, apud amicos beneficiorum, q̃ tropheorum, apud hostes memoriam relinquere. Atqui tamen, quia marcescit sine aduersario, virtus: nemoq; magis q̃ hostis armatus Imperium Romanũ in Cęlũ extulit, non sunt in eo genere viri illi, Metelli à Metallis, quibus ipsi vrbem referserãt: sed Sacci propter rei bellicæ virtutẽ, & gloriam nominati. Quirites enim vbi Senatum, Populumq; Ro. hostile vrgebat periculum, ibi togis depositi ad Saga conuersi, Sacci quasi Sagis induti primum sunt appellati. Nihil aũt est disciplina militaris, nisi veluti quidam præclarissimarũ artium, & virtutum omnium circuitus: quam qui habet, nec ferro vinci, nec dolo scit decipi: nouitq; mortem in armis fortiter oppetendo, è faucibus mortis euadere, atq; morti fucum facere. Nã vita, vt inquit Plato, nõ ętate longa: sed virtute aucta ęternitati exæquatur. Quid multa? Hoc semper Saccis singulare fuit, & proprium, vt ijs cum periculo, animus: cum rerum obscuritate cresceret ingenium. Testis vnus adest grauissimus Io. Baptista Saccus à secretis præstantissimi Senatus: in cuius exempli testimonio facilè acquiesco. Non.n. in rebus minus fide probatur, quàm in verbis eloquentia: nec magis ingenij lumen accendit doctrina, quàm doctrinæ facem illuminat ingenio.

Quòd

Quòd hostis auarus in Bello pecunia magis gestiat, quàm Victoria. Elog. XIII.

IS demum fortis est in Bello, qui est temperans. Nam seipsum difficilius est, quàm hostem vincere. Nec certè miles aut esse: aut dici potest, qui est intemperans: tum quia mauult hosti aurum rapere, quàm hostem ferire: tum quoniam voluptatis studiosus, minimè est ad sudores bellicos idoneus: maximè verò si spem lucri viderit, ad seditionem accommodatus. Nemo enim est impurus, qui fidem non habet venalem: cuiusque consuetudo bonis viris non sit formidolosa. quid dicerem Imperium? non alia ratione Afri à Carthaginensibus, quàm propter eorum auaritiam, defecerunt. Ea quippè criminis eius est detestatio, vt ne inter latrones quidem, nisi iustitiæ adsit adumbratio, vlla possit teneri societas: maximè si ab vna eorum parte æqualis prædæ distributio non fuerit seruata. *Gryphis id simulacro notatur aurum in Monte fodientis*. cum titulo. INFIDA SOCIETAS. est enim hæc ales auri auidissima, atque iccirco soliuaga, quòd ęstuat prædæ auiditate: nidosque nullos amat, nisi quos sibi ex auro contexerit. quid? Homo auarus pecuniam, non vsum quærit pecunię: opes amat, non honores. itaq; olim Triphon Syriæ Rex, cùm intelligeret hostem in bello, auaritiæ laborare crimine, victus per totum iter fugiens pecuniam sparsit, quosq; ferro non potuit, auro statim expugnauit. Nam cùm hostes vicissim in colligendis pecunijs inter se contenderent, is è manibus hostium incolumis euasit: ijsq; grandem auiditatis: non exiguam dementiæ inussit maculam. Quam igitur Rex Antiochus gloriosam peperit: turpem, & ignominiosam ab auaris militibus accepit victoriam. vno enim, eodemque prælio Triphon ferro:

Antiochus ſuperatus, eſt auro. quorſum? in altero fortuna: in altero culpa magis damnatur. Magnam igitur hoſtium ſtragem facit, qui ſolam ex Imperio exterminat auaritiam. Nam vbi viget auaritia, ibi non poteſt ius non iacere: vbi autem iuris relangueſcit ratio: ibi ruat oportet omne Imperium. Etenim quemadmodum clades in initio Belli accepta cùm eſt maxima, ſæpè ſocios à nobis auertit, & ita Athenienſes, vt refert Herodotus, Iones deſeruerūt: ſic vbi ſtatim aut ingenij per auaritiam: aut voluntatis per libidinem clades, quæ ſumma eſt in Imperio apparet: repentè ab Imperatore ſolent vniuerſæ rei bellicæ virtutes deficere.

Quòd felicius arte Pugna committatur, quàm virium robore.
Elog. XIV.

NOn temerè Sylla ſolitus eſt dicere Gubernatorem prius remigem eſſe oportere, quàm ad gubernacula manus admoueret. Arte enim non dignitate adminiſtratur Imperium. Quare vbi militaris iacet ſcientia: ibi armorum vires omnes relangueſcunt, & totius Exercitus, vt aſſerit Herodotus, infringuntur nerui. Nam in omni conflictu ars poteſt plus, quàm vis ipſa armatorum militum, & impetus, exprimitur inſigne naturæ coloribus, & artis penicillo per *ſingulare certamen Pardi cum Leone*. cum titulo. ROBVSTIOREM SVPERAT. Pardus enim inferior viribus, arte vincit Leonem. ſiquidem ſcrobem effodit, cuius duo in ingreſſu, & egreſſu lata ſint orificia: in medio verò per anguſtus tranſitus: Pardus igitur poſtquam Leonem inuaſit, eumq; ira ad pugnam inflāmauit, ficto timore, tanq̄ fuga ſaluti ſuæ cōſulens, in ſcrobis latibula ſe recipit, è quibus euadit: Leoneq; inſequentē à tergo adoritur in latibuli medio, propter anguſtias, ſic interceptum,

vt neque progredi, neq; regredi possit, atq; miserè laniat, & lacerat. Non igitur in bello vincit, qui est robustior: sed qui belligerandi est peritior. Accedit ad hanc rem, Annibalis auctoritas, & exemplum. Nam cùm intelligeret communi Gentis vestitu, communem quasi inter indigenas vehi amorem, eo ad gratiam ornatus, hostes, armis positis, superauit armatos. Romanorum quippè habitu milites quosdam vafros, & callidos latinè quoq; loquentes per Italiam præmisit, qui tanquàm amici in vrbibus excepti, ipsas vrbes postmodum hosti diripiendas tradiderunt. Quare Antiqui cùm intelligerent nihil arte esse in bello valentius, solent ex egregijs militibus Imperatoré facere. idq; maximè post adeptas victorias, vt Germanicum ab historiographis traditum est Imperatorem fuisse appellatum.

Quòd Imperator sapiens, ante pugnam potiatur victoria. *Elog. XV.*

QVoniam ars in armis comes est audaciç: inscitia timoris, ille demum in bello, multũ habet animi, qui gnarus est belligerandi. Etenim quis vel metuat attentare, quod bene didicit, vel audeat facere, quod ignorat? rudis multitudo semper ad cædem: paucitas cõtra militum erudita, nunquam non ad victoriam est exposita. est quippè ars armatura. quæ ferro penetrari non potest, qua qui induitur, solus contra magnam multitudinem sufficit. *est sententiæ color in Testudinis imagine Vespis, & Culicibus obsessæ.* cum dicto. NON PENETRANT. ad sapientem refertur Imperatorem, qui solus multos lædere potest, ab vniuersa multitudine lędi non potest. Nam & tempus, & locum, & inscitiam hostium omnem ita sibi comparat auxilio, vt ab hostibus propugnari, non oppugnari videatur. ita Cimon Dux Atheniensium. Nam cùm in Caria sibi res esset contra quandam ciuitatem, nec sufficerent ad

prælium copiæ: templum Dianæ incolis religiosum, & lucum, qui extra muros erat, noctu improuisus incendit, non vt incenderet: sed vt ex eo incendio Ciuitatem caperet. Nam effusis oppidanis ad flammas incendij restinguendas, sine conflictu, vacuam defensoribus vrbem inuasit. Paucitatem igitur militum, ars magnæ exæquat multitudini. Magna verò multitudo acrius sępè secum confligit, quàm cum hoste. itaq; in omnibus ferè auctoribus videre est singulos Consules aduersus hostes numerosissimos non amplius, quàm binas duxisse Legiones. Arte enim Consul hosti cladem infligebat: illatam ab hoste pietate curabat: saucios in Exercitu circumeundo: facta singulorum extollendo: vulnera curando: alium spe: alium gloria: cunctos colloquio, & cura sibi firmando. Nam vulgato prouerbio, Amor amorem parit.

Quòd in bello facilè superatur, qui fidem habet sensibus.
Elog. XVI.

MElius est Imperatori, aut inopia, aut impressione, aut metu hostem domare, quàm bello: fallere verò etiam in bonis est gloriosum. Nam bellando hostis ex tyrone fit peritus, plusq; fortuna sæpè potest in armis, quàm virtus. quis igitur, inquiet aliquis, gnarus militiæ est Imperator? is demum artis bellicæ est peritus, qui quò magis nocet hostis: eò plus nanciscitur viriũ: in pigmentis nec flos, nec color deest auctoritatis. Naturæ enim monimento id exprimitur *per Rutam, & Appium*. cum titulo. VIRESCIT VVLNERE. Nam illa furtiua, aiunt: hoc quò peius pedibus conculcatur, eò melius succerscit. quid? à ferendo fortis dicitur miles, eò quòd non solum mala ferat, sed etiam ex malis eius illustretur gloria. illa autem quia ferendo superantur, nec quisquam nouit ferre

ſine arte; Iure laudatur Epaminundas Thebanus, qui omnia ex acerbis,& truculentis,grata reddebat,& iucũda. quid dicerem ex difficillimis facillima? in Arcadia quondam cùm die feſto hoſtes omnes, & publicè, & priuatim animo eſſent vacui, atq; extra mœnia hoſtium fœminæ liberè propter eam,quam ſimularat inimicus fugam,vagarentur:ille pleroſq; ex militibus ſuis muliebri habitu illis fœminis immiſcuit, qua fictione illi intra portas,pręcipitante Sole,recepti,nocte intempeſta Epaminundæ aperuerunt oppidum. Præclarum verò Imperatoris conſilium,& eo præclarius,quò magis fuit occultum. Nulla enim in bello conſilij,niſi clandeſtini,eſt vtilitas. Quare valida tantum in armis,ſunt conſilia, quæ nunquam antè ab hoſte deprehendũtur,quàm ea ipſe foras extruſerit exitus. Imperatoris autem conſilium ortum in primis, trahere debet ex hoſtium deliberatione. Itaque Cyrus exploratores per hoſtium regiones proſeminabat fidiſſimos,& ita vt ei nec aures, nec oculi apud hoſtes vnquàm viderentur deeſſe.

Quòd Imperator Hoſti ſpem rei benè gerendæ plurima ſæpè vendat ſtrage. *Elog.* XVII.

EXercitus vireſcit labore: contabeſcit otio. Quare qui ſtrenuus eſt Imperator,nunquam oportet animo ſit vacuo, vt induſtriam aut exacuet militum,aut retundet hoſtiũ: illos in virtutum clauſtris docendo: hos in fallaciarum latibulis dedocendo. Nam in bello, multo poteſt plus ingenij vis, q̃ virium robur. Texitur id veritatis colore *per Ranam à Varo faucibus apertis appetitam.* cum dicto. SERO SAPIT. Nam Varus Ranæ cùm ad eſcam inſidiatur, Rana folium arundinis ore occulit, cuius ſenſu ſtatim Varus interit. quid? qui non ſapit, aduerſus ſe magis,quàm contra hoſtem bellum gerit: qui verò

ſapit, vincit potius conſilio, quàm ferro. non vulgare Syriæ Regis Antiochi eſt teſtimonium. Nam cùm in Capadocia ex Caſtello Sueda, quod obſidebat iumenta frumentatum iuiſſent, ea intercepit, occiſiſq; Calonibus, eorum veſtibus viros fortes induit, qui tanquam frumentum reportantes, arcem intrarent. hoc errore cuſtodibus deceptis, Antiochi milites Caſtellũ inuadunt. Nec antè illi hoſtes norunt, quàm pęnas dederint ſuæ credulitatis. ijs enim trucidatis ſtatim hoſtis Caſtello potitus eſt.

Quòd anſa rei benè gerendæ ſit ex occaſione petenda. Elog. XVIII.

QVia boni eſt Imperatoris occulto magis, quàm aperto Marte hoſtem inuadere: non poteſt eius non probari prudentia, qui nouit inter hoſtes, cauſſas diſcordiarũ ſerere: quiq; non minus ſcit hoſtes dolo fallere, quàm ferro oppugnare. Nam in ferri acie commune eſt periculum: in doli obſcuritate hoſtium tantum: in vtraq; ſapientis, nihil non ſuo machinari tempore. eſt enim tempus, in rerum difficultate, nõ ſolum conſilij miniſter, ſed etiam facilitatis. Inſignia, & lumina argumenti ſua exprimuntur imagine *per Cancrum, qui Branchenna calculum tenens Oſtrei moretur oſcitationem*. cum titulo. OMNIA IN TEMPORE. Cùm enim Oſtrei teſta ſit duriſſima, nec à Cancro infringi poſſit, vbi ſe prębet occaſio, vt hiatu aliquo recludatur, mox Cancer calculũ inijcit, ne teſta claudi poſſit, poſſitq; ex ea Oſtreum ad paſtum reuelli: Id eò pertinet, vt intelligant mortales, nihil nõ ex voto cedere, quod ſuo: non alieno fit tempore. Itaque Lyſimachus Rex Macedonum cùm Epheſios oppugnaret, Mandronis occaſionem nactus facilè illos, à quibus antè reiectus erat, ſuperauit. Nam cùm Epheſij in auxilio haberent Mandronem Archipiratam, qui plerũq; naues præda onuſtas Epheſum appulerat, Lyſimachus ei largi-

tionibus

tionibus corrupto persuasit, vt fortissimos quosque Macedonum restrictis manibus, pro captiuis Ephesum detruderet. id vbi effecit, læti Ephesij, curisq; soluti se vino, sonnoq; dedunt. At Macedones nocte intempesta, raptis ex arce armis, vigilias cibo, potuq; distentos occidunt: vrbemq; Lysimacho recludũt. quid? nullum in armis cõsilium est tam laudabile, quàm quòd in pectore clausum delitescit, nec in ore, sed in oculis promptũ cernitur. vulgatum est antiquitatis testimonium. Nam cur Minotauri signum in legionibus gestabant veteres? vt certè quidẽ sicuti ille in Labyrintho delitescebat, ad quem multi ingressus: nulli patebant regressus, ita ad Imperatoris consilium semper esset apertus sapientiæ aditus: nunquam non clausus, nisi cum re ipsa exitus. Nihil enim in bello fit tutò, nisi quod fieri nescit hostis.

Quòd cum penes Imperatorem ars sit fallendi hostes, non difficilis ei sit Victoria. Elog. XIX.

SVę sunt in bello, non solum aurium: sed etiam oculorum præstigiæ. Nec vlla est aut locorum, aut temporum plaga, cuius sapientis consilium, non remedium fit, & medicina; effigies simulacrumq; exprimitur *Corni imagine, Calculum iuxta vrnam ore tenentis*. cum dicto. INANIS CVSTODIA. In Libia enim siticulosa regione, ales hæc sæpè fallit incolas. Nam cum ardet siti, incolarum Vrnas in latibulis reconditas, non solum calliditate quadam deprehendit: sed etiam semiplenas, quibus prohibetur aquam attingere, Calculis iniectis sibi ad potum, faciles reddit, & expeditas. quorsum? vbi prudens est miles, ibi facilè hostes suis frustrantur non solum consilijs, sed etiam viribus. Nam eò illos inimici dolus, & ducit, & seducit, vt vltrò, aut spe victoriæ, aut cladis metu eant præcipites. Hac arte Romani, in primis erant eruditi. cùm igitur essent

in præsidio Panormitanorum, veniretq; ad obsidionem Asdru bal, Romani rari, & trepidantes, vt spem victoriæ ostenderent hosti, in muris patebant. Animo igitur elatus Asdrubal, & pau citate cõtempta, cùm auidè magis, quàm cautè in mœnia prorumperet, facta irruptione, ad vnumq; internecione, vnà cum suis cæsus est. Quare ars in bello postulat, vt miles suos etiam oculos habeat suspectos. Nam qui prudens est Imperator, non solum nouit hostium sensus à ratione abalienare: sed etiam rerum fucosa quadam imagine fallere: suos verò non minimum artis est cum sensu iudicij, rationisq; continere. itaq; Hostem fugientem victor sequi: non in spolijs legendis antè debet morari, quàm ex Cyri sententia Assirios sequentis, prorsus in fuga sit profligatus.

Quòd qui norit hostem fallere, norit pariter vincere. *Elog.* XX.

PRæclara est Imperatoris fiducia, nullam hosti fidem habere. Nam facilè vincit, in bello, qui non virium robore: sed arte fallendi est superior. Quare omnia bonorum genera hosti ab hoste, præter mentem, sunt optanda. in quo, ne credulitas obsit, fides procul absit oportet. Etenim amico landanti lubrica: inimico detrahenti fluxa: hosti in vtroque, nulla fides est habenda. fallant enim non solum aurium: sed ẽt sensus oculorum. Monimentum, & munimentum doctrinæ est à natura rerum magistra petitum: atque *per limpidam Nucũ aquam è lambico distillantem, expressum*. cum titulo. INQVINAT ETIAM SINCERVM. Hæc enim Aqua, etsi Cristallino nitet colore: faciem tamen aut manus abluentibus eũ inurit nigrorem, vt atri reddantur, & sordidi. id eò spectat, vt natura nos sentiamus admonitos fidem ijs, qui blandè agunt, minimè esse habendam, quia vt plurimum maculam inurunt.

exem-

exemplum est Agesilai Lacedæmonij. Hic enim cùm bellum inferret Tysapherni simulatione quadam mentiri non dubitauit, Cariam se cum Exercitu petere. Profecto igitur cum copijs omnibus in Cariam Tysapherne, ipse statim Lydiam, vbi caput Regni erat, irrupit: oppressisq; qui illic agebant, Regni pecuniam omnem in rem suam conuertit. Quia igitur Rex ille hosti fidem habuit, factum est, vt superior inferiori occasioné dederit vincendi. quid? parum in aduersis: nihil in rebus prosperis hosti est credendum. Nunquàm enim minus fidem præstat, quàm cùm maximè videtur esse officiosus. Sic Cambyses Medorum Rex, munerum mittendorum nomine, exploratores extrusit, qui res Æthiopum proderent.

Quòd periculosius miles pugnat cum terrore, quàm cum Hoste.
Elog. X X I.

NOn tam acris, & vehemens, quàm subitus, & inopinatus impetus hostem perterret. Plus enim est sæpè in periculi opinione, quàm in periculo horroris. species, & imago pingitur *per Elephantum sui auersum: fugæq; propensum*. cum verbis. INANES TIMIDI VIRES. sic enim Elephantus Suem timet, vt citra periculum, statim in ipso suis intuitu, fuga, salutis quęrat præsidium. quid? id loquitur demũ insigne, Imperatoris esse, quia vis repentina plena est terroris, nihil non præter hostium opinioné moliri. docuit id aliquando Iphicrates Dux Atheniensiũ. Nam cùm sibi videretur odorari socios finitimos factiones cũ hoste machinari, classem suã hostili habitu extrusit, atq; ad eos, quos perduellionis nomine habebat suspectos, vela fecit. vbi igitur mox tanquam charus, expectatusq; effuso gaudio excipitur: ibi repente perduellionũ risus omnes in maximos luctus conuertit. Nam ex templo deprehen-

prehensa eorũ Castra restinxit, & deleuit, atq; eorum oppidum solo adæquauit. Idq́; iustè magis, quàm atrociter Iphicrates. Nam tá capitale proditionis est crimen, vt meritò proditor patriæ, etiam ab hoste ipso, cùm eam prodiderit, iuguletur: sicuti patet Tarpeiæ exemplo, quæ à Sabinis è medio est sublata.

Quòd Hostis non solum ferro: sed etiam fame sit opprimendus.
Elog. XXII.

NOn postrema laus est militis in sobrietate posita. Nam dum voluptatem odit: gestit vbi cum fame, & siti, sibi est digladiandum. iure contra tanquam animo, & paruo, & prauo despicitur, cui venter potius imperat, quàm ratio. Quare neq; aduersa, neq; contraria ei magnoperè sunt metuenda, qui facem arcet cupiditatis. *Insigne constituitur per Candelam in vitrea Phiala. sub aquis ardentem.* cum titulo. NON NOCENT CONTINENTI. Etenim si in vase vitreo, & oblongo, nec modice lato ingeratur Candela accensa, ita vt ima pars Candelę assere insita, vasis orificio sit affixa, vase sub aquis posito, non ingreditur aqua: sed cum intuentium admiratione, videtur ex Candelæ splendore ardere. quid? qui in gyro cõtinetur rationis, non læditur contrarijs, quia ijs scit benè vti: milite incontinente contra nihil est in bello desperatius. Nam ei fames omni hoste est intolerabilior. Itaq; Q Marius aduersus Cymbros, & Teutones pugnaturus, tempus ijs ademit cibi sumendi: firmatũ contra cibo milité ante castra collocauit, vt per loci interuallũ, quo vtraq́; acies inter se dirimebatur, Exercitus hostiũ suo frangeretur impetu, pugnans magis cũ fame, q̃ cùm hoste. ijs etiã hoc adiecit incõmodi, quòd aciẽ sic ordinarit, vt cum aduerso Sole, vento, & puluere æquè cogerentur cõfligere, atq; cũ armato inimico, quæ res ad Marij gloriã non

exiguus

exiguus acceſſit cumulus. non enim minus Imperatori eſt glorioſum hoſtem conſilio fallere, quàm viribus ſuperare.

Quòd Victoria cadat in armis, qui cadit animo. Elog. XXIII.

COmmunis hoſtis in armis eſt metus. plures enim quàm vis ipſa armorum conſternit. Quare procul, citra etiam periculum, contra hoſtes eſt accerſendus. Nam ea timoris eſt peſtis, vt animi ſimul, & corporis vires abſorbeat. figura pauoris, & inſigne exprimitur *per Elephantum iuxta flumen*. cum titulo. TIMIDO ROBVR INANE. Elephas enim vbi in limpido flumine, ſui videt imaginem, conſternitur metu. Quare Indorum Populi ſi quos fluuios cum Elephantibus tranare parant, nubilas noctes, & Luna carentes obſeruare ſolent. ſed quid ego hæc de Elephante? ſicuti flumen neſcit ſurſum fluere: ita nec vir timidus id poterit vnquam quod magnam, elatumq́; eſt, pertingere. boni igitur eſt Imperatoris, in ipſo pugnæ incendio metum ſerere, quò Victoriam poſſit metere. Laudatur itaque Minutius Rufus Imperator, qui cùm à Scordiſcis, Dacisq́; pręmeretur, quibus impar erat viribus, Victoriæ ſpem omnem in hoſtium terrore collocauit. fratrem igitur, paucoſq́; equites vna cum pleriſq́; Æneatoribus in Sinuoſis montium iugis latere iuſſit, cum mandato, vt cùm cernerēt ſignis collatis confligi, mox faciem quandam figurarent noui aduentantis Exercitus. Æneatores igitur cùm Cęlum ipſum complerent clangore tubarum, & armorum ſonitu, atq; montium iuga, & horrendo, & horrido ſtrepitu reſonarent: hoſtes imagine aduentantis armatæ multitudinis perterriti, ordinibus relictis, vltrò in fugam ſe dedere. Non igitur multitudo terrorem: ſed terror vincit multitudinem. Quare qui in Bello terrori imperat, Victoriæ Magiſter eſt, & dominus. Animi

quippè

quippè virtute paratur Victoria: amittitur vitio. Hoste autem aut superato; aut Exercitu fortiter seruato, strenuis Ducibus, itemq; militibus præmia ad cęterorum animos excitandos largienda sunt, vt P. Decio, eiusq; militibus, sicuti refert Liuius, fecit Populus Romanus. Nec paruũ precium capit, qui largitur, cùm ipsa largitio auctoramentũ fit amoris simul, & seruitutis.

Quòd artis sit in Bello, ex detrimento lucrum capere. Elog. XXIV.

QVemadmodum minus lumen, maiori hebescit lumine: nec splendor vllus est Lychni in aperto Sole: ita neque in virtute, voluptatis: neque in arte, laboris vllus est sensus. Nam ars omnes absorbet rerum asperitates. Quare non est Imperatori minor gloria arte hostem perdere, quàm fortiter dimicando superare. Nihil enim ei in Bello est difficile, qui artificio fallendi est eruditus. figuratur id *per Caprimulgum inter Capras expressum.* cum dicto. LORVM EX IPSO SVMIT BOVE. Auis enim hæc insidiosa quadam beneuolentia gestit Caprarum societate, earumq; sugere vbera, quod vbi impetrauit, statim Caprarum vbera exarescunt, & Capræ simul occœcantur. Quorsum? officit plus in Bello insidiosus amicus, quàm hostis apertus. facit enim sæpè non pugnando, vt summum inimici munimentum, ei sordidum fiat monumẽtum. Nec infida solum, vt loquitur imago, sed exitiosa etiam est dissimilium societas. exemplum arte simulandi imbutum habemus ab Alexandro Macedone. Hic enim ex Epirotis contra Illyrios phalangem habitu Illyriorum instruxit, atque dispositis insidijs, iussit vastare suam, idest Epiroticam regionem id Illyrij cùm viderent fieri, atq; suorum habitum, & insignia recognoscerent, sua præsidia esse existimantes ipsi item tanquã communis fortunę socij, ad vastandos inimicorum agros concurre-

currerunt,eòq; ſecurius,quòd præcedentes veluti pro explora-toribus habebant, à quibus ex induſtria in loca iniqua dedu-cti, omnes per inſidias reſtincti ſunt, & deleti: ſicq; Alexander ex accepto triumphauit maleficio: beneficium verò ab hoſte allatũ,hoſti vt docet imago,capitale reſtituit, & perniciosſum. Magna in eo Alexandri gloria: ſumma Illyriorum infamia. Nã qui in bello rerum ſunt neſcij, atque in primis Hiſtoriarũ igna ri, quoniam prudenti conſilio deſtituuntur, ipſi Principes ſe ſuumq; principatum in ſummam calamitatem trahunt.

Quòd Spes, & Metus ſæpè in bello exarmet Armatos. Elog. XXV.

DVo ſunt in Bello, niſi adſit prudentia, pernicioſiſſimi Cõ ſules: Spes, & Metus, quibus apud hoſtes corruptis, ea omnes occœcantur dementia, vt minimè norint ſuis vi ribus,contra inimicos vti. figura reſonat, & imago. *per Ouem à Lupo apprehenſam*. cum dicto. TIMORIS COMES STVL-TITIA. Ouis enim ex intuitu Lupi,ita metu conſternitur, vt quod ſciat,neſcire videatur. Nam cùm animantes omnes cur-ſus velocitate ſuperet,quaſi ſui oblita, fit Lupi currere neſcien-tis præda. Quorſum? qui in bello nouit hoſtes,& ſpe, quò ve-lit,& metu vnde velit,deducere,ei explorata eſt Victoria. Ho-ſtis enim duobus his dominis obtemperans, tanquam mente captus, nihil non in ſuam perniciem machinatur. Monſtra-uit id aliquando Iphicrates Athenienſis apud Cherronenen-ſium. Nam cùm in mari intelligeret Lacedæmoniorum Ducẽ Anaxibium Exercitum pedeſtri itinere ducere:is firmiſſimam manum militum eduxit è nauibus,& inſidijs, qua hoſtis iter ha bebat,collocauit: naues autem procul in alto tanquam onuſtas milite oſtentari iuſſit: itaque Lacedæmonij,& periculum è ma ri timentes,& ſpem in terra ſequẽtes, atrociſſimas pęnas incõ-

ſideratæ ſuæ dederunt opinionis. Nam ſtatim circunuenti ad internecionem ab inimicis ſunt è medio ſublati. quid? num itaq; & ſpem, & metum exterminemus? extenuari fortè: exterminari certè non poſſunt, niſi cum vita, ipſi affectus. Si tamẽ Poetis credimus. Nam Lutum eum Prometheus, ex quo hominem finxit, non macerauit aqua, ſed lachrymis: nec ignis ille, quem mutuatus eſt à Luna fuit ignis elementaris, ſed cupidinis. Quocirca communis vitæ, inter mortales, cancelli omnes dolore, & voluptate tenentur incluſi, quorum alteri metus: alteri ſpes ſumma affinitate eſt conſtricta.

Quòd amicus inſidioſus magis ſit metuendus, quàm hoſtis apertus.
Elog. XXVI.

A Nemine magis in bello cauendum eſt, q̃ ab amico inſidioſi. Siquidem inimicus amici figura adumbratus, bis agit hoſtiliter, ſemel quia fallit: iterum quoniam lædit. Hunc qui cauere volet, caueat in primis, oculis, & auribus, quibus nouit, & vocem, & vultum accommodare, fidẽ habere. inſidioſus eſt aurium ſenſus: oculorum ſæpè minimè verus. effigies, & ſimulacrum conſtituitur apertum, & euidens *per Baculum rectè in Aquis fixum, qui tamen ſemper cernitur reflexus.* cum dicto. OCVLORVM FVTILE IVDICIVM. Nam plura ſolent interdum oculi videntibus velata, quàm reuelata reddere. oculorum igitur inſidijs Thymarcus Aetolus adiutus victoriam contra Samnites reportauit. Occiſo enim Charmade Ptolomæi Regis præfecto, is chlamyde eius, & galero ad Macedonicum habitum ſe ornauit, mutatiſq; ſignis, tanquã Charmades ad inimicos nauigauit. hoc errore, & victus, & deceptus ſimul eſt hoſtis. Nam Thymarchus pro Charmade in Samniorum portum receptus, eum nõ ſolum occupauit, ſed etiam hoſtem

ſtem truculenter profligauit. Accedit ad artis gloriam cum celeritate cura ſolers, & diligens. Etenim nullus fuiſſet, in fraude fuco locus, niſi fucus ipſe colorem accepiſſet ex celeritate, quæ de cæde Imperatoris, velocior fuit omni rumore.

Quòd Hoſtium humanitas in Bello, omni immanitate ſæpè magis ſit timenda. *Elog.* XXVII.

NEque exploratores in Exercitu deprehenſi: neq; ſeditioſi milites ſemper ſunt capite damnandi. Nam illi, ſi & copioſus, & rectè inſtructus eſt Exercitus, per eũ ſunt circunducendi, ac benignè, vt Xerxes de Athenienſium exploratoribus fecit, dimittendi, qui famam rei, terroremq́ue augeant. Hi verò indemnati pęnas luent ſui ſceleris, ſi nomine certaminis, hoſtibus obijciantur, & in acie cędendi deſerantur. ſic enim Hieron, vt eſt apud Polybium, deleuit ſeditioſos. Hic calumniã vitauit crudelitatis: ille gloriã nocendo adeptus eſt humanitatis. cur nocendo? quia res eſt in Bello, omni periculo capitalior inſidioſa hoſtium, in hoſtes humanitas. Nam eius aſcentatio, qui rem non ſolum fraude definit, ſed etiam diſcrimine, in eorum aſtricta tenetur perniciem, qui exitium non tam ſine dolore hauriunt, quam cum voluptate. vidi in ſtragulo ſextili picturam diſciplinæ huius colore expreſſam, in qua *Aſpis Tauri talum mordicus tenebat.* cum dicto. SINE DOLORE. Dicta enim eſt Aſpis ab aſperitate veneni, quę etſi vim omnẽ vincit remedij, ſine ſenſu tamen interimit doloris. quadrat in adulatores, quorum morſu appetiti ſine dolore, vel etiam cum voluptate pereunt. quare deterior eſt morſu Aſpidis, Adulatorum aſſentatio. Quos enim Aſpis momordit, eos tantum ſomno correptos tollit è medio ſine angore: quos autem perdit adulator, ſuo etiam geſtiunt malo. Nihil eſt igitur

in bello hosti, vel adulari, vel benefacere, nisi letali mulso hostem ingurgitare. sic Alexander Magnus oppugnaturus Leucadiam, vitam ex hostibus multis concessit, vt eam eriperet vniuersis. Etenim ante quàm eam obsideret, frugum copia, reique frumentariæ numero redundantem prius Castella omnia, quæ erant finitima, cepit: omnesq; ex his nulla facta cæde, passus est Leucadiam confugere: non vt inimicis parceret: sed vt alimentis inter multos celerius absumptis, facilius vniuersos absumeret. Siquidem penuria facilius vrbes validas, quàm pugna euertit. est enim omni ferro, inter hostes sæuior fames. Cæteris quippè casibus dies remedium affert: penuriæ tantum certa est desperatio.

Quòd Simulatione ars militaris sit educanda. *Elog.* XXVIII.

DIfficile quis in eo superatur, quod bene didicit: facileq; in rebus vniuersis errat, qui scire se autumat, quæ nescit. Quare in Bello maximè laudatur ars simulandi. Nihil enim minus ab hoste fit, q̃ quod maximè fieri cernitur: nec vnquam respondent vltima primis. *Id Pica humana verba imitas sua figurat imagine*. cum dicto. DISSIMILIS PRINCIPIO EXITVS. Nam cùm alitis eius sit garrire, nouit tamen humanas voces fingere: cumq; ex anteriore parte sit candida: atra tamen desinit in posteriore. quid? parit simulator rerum optatum ingressum: egressum inauspicatum. hinc vetus Pythagoræ Prouerbium, minimè gustandum ex ijs, quibus nigra est cauda. quia res est insidiosa Simulatio, qui simulationis non nouit, & cauere insidias, & instruere, nulla hic arte pollet belligerandi. Nec enim alia ratione, Pica sacra est Marti, nisi quia ars militaris simulãdi artificio maximè est erudita, quo qui est instructus hosti infausta oĩa aucupatur ex optatis, gratisq; principijs: semperq; aliud molitur, q̃ quod machinatur. vnus instar

omnium teſtis eſt P.C.Scipio. Nam cognita difficultate expugnandi Delminum, quia ad eius propugnationem, finitimorum locorum omnis confluxerat multitudo: ſimulauit ſe finitima velle inuadere oppida. euocatis igitur ſingulis ciuibus ad ſingulas ſuas ſedes defendendas, tum Delminum vacuum auxilijs, nullo negotio cepit. in quo Imperator non exiguam victoriæ: magnã etiam ingenij laudem meruit. Nam ſimulatio omni arte, ad noua excogitanda eſt ingenioſior. Quare nemo bonus eſt miles, qui eam in Bello, nõ ſibi comparat præſidio. Etenim ſine ea, bene pugnare eſt difficile: qui autem malè pugnat, non ſibi ſolum: ſed etiam vniuerſo Exercitui officit. Pars enim non poteſt ſine totius offenſione, lædi: ſitq; iccircò, vt pro hoſte ſit habendus, qui ſe in Bello negligit.

Quòd in armis vincat, non qui viribus: ſed qui conſilio ſit ſuperior. *Elog.* XXIX.

QVemadmodum in obſidione, temperantia eſt abundãtiæ loco: ita conſilium in impreſſione vim obtinet armati roboris. Siquidem neque vnquam periclitati ſunt fame, qui norũt frugalitatem in copia, ſeruare: neq; armis ſunt victi, qui non ignorant hoſtẽ conſilio vincere. Duo autem ſunt decertandi genera, vnum per animi virtutem: alterum per virium robur: in altero Vlyſſes, in altero Achilles: in vtroq; maximè viget ſapiens. adumbratur id ſuo colore, & figura, *per Pharetram Spiculis grauidam cum arcu ſimul expreſſam*. cum titulo. COMINVS, ET EMINVS. Pharetra enim animi: Spicula conſilij: Arcus, qui ab arcendo dictus eſt, quòd procul arceat hoſtes, victoriæ in ſacris Ægyptiorum literis, habet interpretationem. Nihil igitur in armis valentius eſt conſilio, quo tanquam Spiculo ęquè armati, atq; inermis poſſunt pręcordia pe-

netrari, nec non eminus hostes superari. docuit id aliquando Scipio. Nam Annibale in faucibus Italiæ, extrema omnia machinante, is cum Exercitu in Aphricam se recepit, Carthaginẽsesq; necessitate impulit, vt Annibalem reuocarent, sicq; ex domesticis finibus hostile bellum in Aphricam transtulit: nec eo consilio Italiam solum liberauit: sed etiam hostium vim, & impetum omnem euertit. Non enim est roboris: sed consilij periculis consulere: non viriũ vincere, sed ingenij: vincit enim in armis, nõ qui neruis, & uiribus: sed qui ingenio plus potest. Nã in Bello inter prudentiam, & pecuniam hoc interest, quòd illa imperat: hæc cedit superiori: quòd illa non potest: hæc potest eripi, & surripi. Quia amicum Deo est consilium, nulla in armis iratorum fax: nulla pacis procella, nulla denique perditorum furia reniti potest sapientum consilio.

Quòd Imperatori firmissimum sit præsidium in hostium terrore positum. Elog. XXX.

Est boni Imperatoris in conflictu, non adeò suis militibus animum addere: quàm adimere inter pugnandum hostibus. Nam in pugnæ incendio audacia victoriam: terror etiam inanis Stragem parit. effigies simulacrumq; constituitur ex Cuculo in hasta abiecta sedente. cum dicto. TERIT, QVOD TERRET. Est enim Cuculus inter aues maximè timidus: atq; pariter ad minimos quosq; labores omninò perditus, nedũ ignauus. Itaq; cùm laborẽ in cubatione Ouorũ refugiat, sua Oua in Curucæ nido supponit. Nihil .n. nouit Cuculus, pręter nomen suũ, quo semper se cõmendat, canere. quorsum? nihil est rationi tã consentaneũ, q̃ vt is in rebus operosis, quẽ terror inuadit laboris, hastã abijciat operę. Itaq; Annibal cũ minus valeret viribus, terrorẽ hostiũ ad pugnã sibi cõparauit pręsidio. In nauali .n. pugna Eumenẽ Pergami Regẽ, quẽ vi sustinere nõ

poterat,

poterat, metu disiecit. siquidem fictilia vasa plurima Serpentũ varietate referta, dum arderet conflictus, in hostium classem coniecit: quibus perterritus hostis, non adeò ardebat hostem ferire, quàm Serpentum discrimen cauere. Itaq; hostis tanquam non aduersus classem vnam, sed geminam plurimnm sibi res facesceret negotij, etsi robore virium erat superior: arte tamen victus cessit inferiori. Quocirca quia ars arte, sicuti clauus clauo, pellitur: Exercitus neque in Castris: neq; in itinere faciendo sine artis præsidio regebatur à Cyro: quem solebat etiam in progrediẽdo componere: ordines seruare: singulorum Ducum, & Centurionum certa signa distinguere, vt non solum dignosci, sed etiam ad omnes occasiones parati possent haberi.

Quòd humanitas Principis acres sæpè habeat reprehensionis aculeos. Elog. XXXI.

SI quis à me quærat quænam via, in Bello, tendat ad Victoriam, non qua, respondebo, sulcatur Æquor, aut transgrediuntur Montium iuga: sed vna extat patientia, qua omnes superantur difficultates. quid dicerem offensiones? Principi inter petulantes, & infestos longè gloriosum est magis petulantiæ crimen humanitate, quàm animaduersione corrigere. Pingitur id *per Aquilam*. cum titulo. NON CAPTAT MVSCAS. Neq; Testudo aculeos insectorum: neque vir magnus morsus infimorum hominum. quia illa, testa: hic armatur patientia. Neq; enim maledici maledictis corriguntur: sed vt feræ Bestiæ cibo: ita immanissimi quiq; humanitate cicurantur, & beneficio. docuit id aliquando Xenophon. cum enim Equo veheretur, & pedites iugum quoddam occupare imperaret, sensit qui morosius dicerent facilè esse sedentem tam laboriosa pedibus imponere. nec dictum is, nec auditum dissimulauit: sed

repentè ex Equo desilijt, atq; militem gregarium Equum conscendere iussit: plenoq; cursu ad iuga contendit. quid? victus pudore miles, cuius aculeum exacuebat risus omnium, spontè Equo descendit. Xenophõtem verò vix vniuersi perpulerunt, vt in Equum ascenderet, & labores armati Ducis, ad operam re seruaret necessariam. sapienter ille quidẽ. Nihil enim est Principi morum facilitate ad gratiam accommodatius. præsertim si, vt Cyrus cõsueuit, vulneratos milites in prælio, curet, foueat, & cũ Medicis, dum vulnera tractantur, adsit egestatis Medicus.

Quòd popularis gratia, Principis liberalitate sit nutrienda. *Elog.* XXXII.

AD arcendam vulgi procacitatem, & petulantiam, omni arte potior est Principis liberalitas, & beneficentia. Potest enim leuissimorum hominum hoc genus maleficio irritari: non potest beneficio non curari. insigne fingitur sua quasi facie *per Calathum Racemorum plenum.* cum titulo, DEOS HOMINESQVE PLACANT. ea enim est Raccemorum vis, vt ex intimis hominum sensibus angores pellat animi: hominesq; ex asperis, & maleuolis, mites reddat, & beneuolos. ideòq; Racemi Sacri sunt cum vite Lyæo: latinè Patri Libero. Nihil igitur neq; Imperij populari gratia: neq; ad popularem gratiã liberalitate fingi, & excogitari potest expeditius. Quare Philippus Macedonum Rex, cùm audisset aliquãdo Pythiam quendam bonum pugnatorem alienatum sibi, quòd filias tres inops vix aleret, nec à Rege iuuaretur: hortantibus quibusdã, vt eum è medio tolleret, quid inquit, an si partem ægrã habeam corporis, abscindendam ne, an curandam censeatis? curandam certè. Pythiæ igitur inuidiam, non grauius aliquid decernendo, curauit: sed bene merendo restinxit. Nam eũ ascitũ

ijs donis ornatum à se dimisit, vt summa industria, pariq; fide Philippum deinceps coluerit. Non minus doctè ille, quàm liberaliter. Nam diligi Princeps, nisi diligat ipse, non potest. vt.n. hostes armis, sic subditi beneuolentia, & vincuntur, & vinciuntur. est igitur liberalitas multis nominibus virtus Principis: primũ quia amor Populi, diuturni Imperij est fundamentũ: deinde qm̃ neq; Deus, neq; Princeps dãdo potest aut miser, aut prodigus fieri. Nam vterq; eorũ, quæ largitur, remanet dominus.

Quòd in Bello duo optimi sunt digladiandi Consules, Locus, & Tempus. *Elog.* XXXIII.

QVemadmodum nascendi, ita varia, & multiplex castramentandi est ratio. Nam alius, aliud parit locus. Sic olim Romæ obseruatum fuit, in Appiorum genere, omnes semper ambitiosos fuisse: Valerios populares: Brutos constantes: Fabios Patriæ studiosos: Scipiones bellicosos: ac denique Claudios superbos. quid? magna, vt generis, sunt loci, in quo quid fiat momenta. Nemo quippè vincere in bello didicit, qui suo loco castra non benè norit ponere. Non enim maiora ex militibus, quàm ex loco, & tempore præsidia petuntur Victoriæ. Figuræ color virtute diffusus, nõ fuco illitus cernitur *per Lupum noctu aduersus Boream ad prædam gradientem.* cum verbis. VICTORIÆ VESTIGIA. Lupus enim artem prædandi metitur, & loci, & temporis discrimine. siquidem nunquam prædatur nisi, & noctu, & in remotis à suis Catulis, locis: semperq; contra ventum, ne à Canibus sensiatur, ad prædam contendit. quid? tanta vis est, in Lupi vestigijs, vt interimat quicquid pede pręsserit: eòq; Lupus, quasi Leonis pes est nominatus. Nec alia de caussa, opinor Marti olim erat Sacer, quàm vt intelligeret Imperator firmissima belli præsidia ex loco, & tẽ-

pore esse petenda. itaq; Annibal ante pugnam omnia momenta obseruabat temporum. Nam confligendi cum hostibus tunc maximè tempus rebatur idoneum esse, cùm vel miles adhuc Tyro esset, vel collectus in vnum non esset totus Exercitus: aut cùm abesset Dux ab Exercitu: aut deniq; cùm hostis de conflictu minimè cogitaret. Temporis igitur occasionem semper ob seruabat: loci opportunitatem nũquam negligebat. itaq; apud Cannas cùm comperisset Valturnum amnem, contra reliquorum Fluuiorum naturam, ingẽtes auras flare, quæ arenarum, & pulueris vertices agerent, sic direxit aciem, vt tota venti vis à tergo suis: Romanis in oculos incideret, & ita vt quasi occœcati cogerentur in tenebris pugnare cum videntibus. loci igitur pręsidio adiutus, tam admirabilem adeptus est victoriam, vt Victoriæ nomen strage superarit, & cędis magnitudine.

Quòd in socijs negligendis, simulatio officij non sit negligenda.
Elog. XXXIV.

QVoniã optima prognostica futuræ Victorię præ se fert, vt solitus est Cyrus dicere, militum alacritas in certamine capescendo: nihil Imperator ante præliũ omittere debet, quod ad alacritatem faciat animorum: semperq; nouare debet aliquid, quod animos attollat militum. Quiaq; socijs in periculo auxilium petentibus nefas est negare: conferre interdum perniciosum: artis erit apud illos gratiam aucupari auxilij, sine auxilio. alterum ne ius violatum videatur societatis: alterum ne Imperatoris comminutus, & inutilis reddatur Exercitus. Pigmẽta in regijs tabulis, artis eius retinent lineamẽta *per Arborẽ Puniceam, quæ cuneo ex Pino per mediũ sit transfixa.* cũ verbis. INTEGRITATE DESTITVTA MELIOR. Natura enim ita comparatum est, vt, sicuti scribit Basilius, si cuneus

eiuſmodi in acidas Punicas impingatur, illæq; arbores per medi-
diam medullam ſeparentur, ex acidis, & auſteris, ſuauia, & dul
cia gignant mala. Artificioſa verò ſeparatio, quæ omni coniũ-
ctione eſt amabilior. In moribus diſciplina eſt Catonis. Hic
enim cùm vaſtaret Hiſpaniam Ilergetes, qui amici, & ſocij erãt
Populi Romani, legatos miſerunt, auxilia qui peterent. Cato ve
rò ne aut ſubſidio negato, ſocios à ſe abalienaret: aut deducto
ipſe ſui Exercitus vires eneruaret, fecit nihil faciendo, vt vtriq;
ſatisfaceret. Tertiam enim ſuorũ militum partem cibaria por-
tare, & naues aſcendere iuſſit, cùm mãdato, vt vbi rumor apud
ſocios percrebuiſſet auxilia aduentare, ſtatim tanquam tempe-
ſtatis vi compulſi retrogrederentur. Ita & Ilergetes ſimul reti-
nuit amicos, & hoſtium ſimul fregit conſilia. Non Catonis ſo-
lum: ſed antiquitatis etiam eſt documentum. Nam cur ab ea
fingitur Mars cum Venere rem habuiſſe? quia certè quidem bo
ni eſt Imperatoris, amicos gratia retinere: inimicos armis per-
dere, quiaq́ue eius eſt in amore odium: in odio amorem ſimula
re. Nam qui Princeps in Bello, conſilij ſui arcana vult latere, illa
neſcit niſi ſimulatione, & diſſimulatione tegere. Quare in ex-
peditione fugam ſimulat: in fuga, quæ ſunt ad expeditionem
parat. Hinc, vt trito fertur ſermone Prouerbio, qui neſcit ſi-
mulare, minimè nouit imperare. Stolidis igitur, & imperitis
omnis ad artem imperandi clauſus eſt aditus: quia imperans
non ſolum in fronte, ſed etiam à tergo debet oculos habere.

Quòd & amici, & hoſtes ſuperentur ferendo. *Elog. XXXV.*

NIhil laudabile magis eſt Principi, quàm propriam ſem-
per vitare culpam: ſæpè ferre alienam. Nam qui alio-
rum errata diſſimulãdo neſcit interdum tegere: ſuam
cauſſam potius euertit, quàm alienam corrigit. Malus enim eſt
vir-

virtutum minister, qui nescit mala pati. Rei eius pictura recreantur oculi, *per Armenium iuxta Caui ostium cœno obsitum*. cũ titulo. NON LÆDI, SED FOEDARI TIMET. Huic enim animali quod spurcum est, & sordidũ sic displicet, vt Limo ante latibuli ostium illito, capi se à venatoribus, q̃ eò contaminari malit. quorsum? nihil est patientia, nisi ars mortem, doloremq; pro honestate ferẽdi, quàm qui habet non mori, sed fœdari timet. Quoniã igitur culpa est in eos animaduertere, quos in officio possis humanitate retinere, sapientis est quandoque aliena errata dissimulare. præclarum est Q. Maximi Imperatoris testimonium. Nam cùm intellexisset Statilium nobilem, ac rebus præclarè gestis Equitem clarum de transfugiendo ad hostes cogitare, eum ad se accersiri iussit, accersitumq́, coram laudauit, cum sui excusatione, quòd pręinuidia commilitonũ, virtutes eius ad id tempus ignorasset, tam donato ei, & Equo, & auro obtinuit, vt quem ex conscientia trepidum asciuerat, lætum dimitteret. ex dubio igitur deinceps non minus fidum, q̃ fortẽ habuit Equitem. Nemo igitur ritè nouit habenas tractare Imperij, nisi is, cuius animus aduersus mala omnia obduruit patientia: cuiusq́; humanitate ex tristibus læta reddant omnia. Itaq́; Cyri exemplo Exercitus Ministri: Fabri, Medici, Chirurgi, Tubicines, Caduceatores, Cornices, qui etiã machinas vehunt, & strenui quiq́; milites à forti, & strenuo Exercitus Duce honorandi sunt, & ad epulas inuitandi.

Quòd ex infelici, felicem pugnam ars pariat castramentandi.
Elog. XXXVI.

NOn corrupta largitione rapiuntur artis suffragia: sed labore, quasi licitatione penduntur: emunturq́; ingenio, & industria. Nec ars solum in Bello requiritur pugnandi, sed etiam locum ad pugnam eligendi, quo ante, & à

tergo

tergo ſit tutus Imperatoris Exercitus. loquitur id, & picta, & *ficta Amphisbenæ imago.* cum dicto. VTRINQVE SVPERIOR. Serpens eſt in Libyæ deſertis, duo habens capita: vnum in vna: alterum in altera corporis extremitate. quorſum? qui prudens eſt non patitur Exercitũ in loco permanere, qui hinc, inde non benè ſit munitus, quæ res nõ poſtrema eſt in arte militari. Itaq; Marcus Curius cum videret Phalangi Pyrrhi longè, latèq; patẽti non poſſe ſe in amplo, & ſpatioſo campo reniti, dedit operã, vt in ijs locorum anguſtijs confligeret, in quibus hoſti ſua impedimento eſſet armatorum multitudo. hac arte hoſtem protinus fugauit, fugatumq; nullo propè negotio trucidauit. Siquidem nihil eſt imbecille magis in bello, milite timido, qui dum timorem fugit, minimè fugit periculum. Etenim timor non in periculis: ſed in hominum habitat præcordijs. Quare ſemper ferè fit, cùm timor morbus ſit rationis, vt ibi potiſſimum timidus perhorreſcat, vbi maximè audendum eſt: minimumque ſit periculi.

Quòd Robur arti: ars cedat Imperatoris Ingenio. Elog. XXXVII.

RES magnæ, & difficiles in bello non virium, ſed artis, & ingenij ſuperantur adminiculis. Nam vires ingenio: non ingenium in armis cedit viribus. Pingitur inſigne. *per Aquilam in Cerui Cornibus inſidentem, Ceruumque citato curſu roſtro lacerantem.* cùm inſcriptione. CONSILIVM PRO VIRIBVS. Hæc enim Ales magnis congreditur animantibus: vt Ceruo, cuius cornibus inſidẽs plurimo puluere de induſtria, refertas alas in oculos eius excutit, cæcoq; curſu animantẽ præcipitem agit, nec antè inſtare deſinit, quàm mortua fiat præda. eò id ſpectat, vt intelligant mortales Imperatoris eſſe, non adeò robur hoſtium timere, quàm artem eius, & ingenium. Apertũ,

& eui-

& euidens est Cleonenis Lacedęmonij, vt ab aliorum infinitate recedam, testimonium. Nam is aduersus Hippiam Atheniensem, qui ab Equitatu firmus erat, atq; ob id inimico terrori, planicié, in qua dimicaturus erat, stratis refersit arboribus, viamq; Equiti auiam fecit, pediti verò breuem, & expeditam ad cladem hosti inferendã. Quare nihil est in arte periculosum, quæ remedia omnia parit periculorum. quid dicerem laborum? nihil est tam operosum, & difficile, quod artis præsidio nõ reddatur expeditum, & facile: nec arte leuantur Solum labores, sed etiam grati redduntur, & iucundi.

Quòd non solum Ius, sed etiam Imperium iaceat sine obsequio.
Elog. XXXVIII.

QVia veluti quoddam Imperij Sacrarium est obsequiũ, Modestinus I.C. Sanxit legibus, vt qui in Bello rem à Duce aut prohibitam faceret, aut imperatam negligeret, capite multaretur, etiam si res feliciter cesserit. Modestini est edictum: factum T. Manlij Torquati. Nam cum Patris iniussu Filius aduersus hostem, à quo prouocatus fuerat, pugnasset, eòq; occiso Equestria spolia victor ad Patrem tulisset: subito eum, quòd aduersus edictum suum, & rei militaris disciplinam fecisset, virgis cæsum, in ore, & oculis totius Exercitus, securi iussit percuti. Non erat tunc tempus digladiandi. Nunquam autem errat qui tempori obtemperat. Argumenti color, & species cernitur *Echini imagine iuxta latibulum duo habens orificia*. cum dicto. EX OBSEQVIO TRANQVILLITAS. duas enim cubili fenestras facit, alteram Austrum versus: Boream versus alteram, quaq; parte ventum futurum cognoscit, fenestram claudit, alteram recludit. quorsum? is demum, qui paret rationi, ab omni immunis est iniuria. quid dicerem mãdato?

dato? qui tollit obſequium in bello, ius omne dirimit Imperij. Quare qui iura in armis violat, obſequij, non eſt dignus venia. Nam piaculum, in quo diſcrimen volutatur publicę ſalutis, omni ſupplicio eſt atrocius. Neglecta verò in ratione ciuili, obedientia, quia detrimenti cauſſam porrigit: non exitij, expianda eſt potius exempli gratia, quàm ſupplicij. Solet enim qui neſcit legi parere, facile cupiditatum lenocinijs ad omnia flagitia adrepere, non moratè agere: ſed quaſi mollis, & lubricus, quò rapit libido, diffluere.

Quòd interdum non minora ex celeritate, quàm ex arte ipſa ſumantur adiumenta Victoriæ. Elog. XXXIX.

EST Imperatoris temporum Anguſtias celeritate compenſare. Nam celeritas ad rerum maturitatem, non ſolum tarditatis: ſed etiam temporis remedium eſt, & medicina. Pingitur, & illuminatur ſententia *Accipitris figura Coturnicem tenentis.* cum inſcriptione. NON EVADIT. eſt enim is tãtæ velocitatis, vt inde hyperbolica orta ſit parœmia, ocyor Accipitre. Tantum autem eſt ex velocitate, ad victoriam præſidij: tantumq; ad virtutem bellicam Imperatori glorię, vt Rex Antiochus velocitatis auram anhelans, Accipitris delectatus ſit cognomine. Concipit enim Celeritas in bello non ſolum virtutem, ſed etiam virtutis admirationem. itaq; ab Antiquis laudatur Caſſius, & iure quidem. etenim cùm Bruti, & Caſſij Exercitus, in ipſo belli ciuilis incendio, per Macedoniam iter facerent: priorq; Brutus ad fluuium, in quo Põtem iungi oportebat, perueniſſet, Caſſius tamen, & in efficiendo Ponte, & intraijciendo Exercitum præceſſit. Nec id cum parua laude. Nã vt mora in deliberando: ita celeritas probatur in conficiendo. Siquidem, vt ex Solis acceſſu, & receſſu, quæ è terris gignuntur

omnia

omnia aut meliora, aut deteriora fiunt: ita ex Principis diligē tia,& negligentia vniuersa vel pelluntur, vel accersuntur Reip. mala.

Quòd in Bello valeat plus, non qui sit potentior, sed peritior.
Elog. X L.

IN Bello Victoriam parit non Numerus militum, sed Virtus: non robur,& impetus: sed ars,& industria. Insigne constituitur *per Gallum album iuxta Leonem fugientem.* cum titulo. NVLLA ROBORIS AVCTORITAS. Leo enim Gallum Gallinaceum præcipuè album maximè perhorrescit. ille robustum virū, quia Herculi: hic doctū adumbrat, quia Apollini est Sacer. ex hac igitur cernimus imagine neruos, & vires armatorum militum, arti, & industriæ in Bello cedere. quod aliquando, vt testaretur Idomeneius Clypeum gestabat Gallo insignitum Gallinaceo. Hic enim, quia animantium omnium est pugnacissimus, artem non potest, non adumbrare militarē. Nam ars sola nouit errata omnia non solum oppugnare: sed ēt expugnare. loquitur id etiamnum Epaminūdas Dux Thebanorum. Hic enim quatuor millibus hominum tantum, Lacedemoniorum Exercitum XXIV. millium peditum: Equitum mille sexcentorum superauit. Aliud enim est, vt inquit Xerxes in Exercitu habere homines: aliud milites. Nam apud illos numerus: apud hos virtus tantum sufficit. vt enim ab vno Lupo mille fugātur Pecudes: sic vni forti viro vix vlla timidorum multitudo satis est. Ea enim est armati Principis intelligentia, ex qua tanquam ex virtutum omnium officina, imperij manat sanitas, hoc est consilij lumen, & robur virium, quæ veritate, tanquàm Nectare nutriuntur, & Ambrosia. Nam vt intelligentia virtutis, ita intelligentiæ procreatrix ipsa est veritas: qua nihil, neque domi, neq; militiæ est valentius. Bellè id omne vno

Puteani resonat nomine. Etenim vt Græcia sæpè vsurpatur pro Græcis, quæ Græcorum est domicilium, ita Puteus, in quo olim sua veritati erat Ara, passim pro veritate sumebatur. vnde Puteani, quasi veritatis Antistites, & Ministri, nomẽ suum sunt sortiti. Nam Veritas ab antiquis non solum Dea constituebatur: sed etiam in imo Putei tanquàm in delubro recondito, & retruso, occulta, penitusq; abdita seruabatur, ne à quoquã mortalium cerni posset, nisi lampadibns quinq; accensis, quæ sunt hæ: Ars, Scientia, Prudentia, Intelligentia, & Sapientia. Itaq; Fani Præsules, qui Veritatis lampades, sui ingenij accendebant lumine: quiq; fanum Deæ Puteum ex opaco, & obscuro, suis luminibus apertum reddebant, & dilucidum, à Puteo, Puteani sunt nominati: quorum nomen non tam est gloriosum, quàm Personæ etiamnum ingenio, & doctrina præclaræ. Missam facio in eo genere longam sapientum seriem: *Erycium autem Puteanum* nuper Mediolani Historiographum Regium, & Artis Oratoriæ interpretem, nunc in Louaniensi Gymnasio artis eius Decus, & ornamentnm, vnicè colo, & obseruo. Nam ei doctrinæ, & ingenij gloriam qui non tribuit, tanquàm iniustus rem retinere videtur alienam. Nec tanta est viris in foro doctrinæ gloria, quanta est in Bello inscitiæ digladiandi infamia. Itaq; in Macedonia lex erat, qua qui nullum hostem interfecisset, capistro cingi, vt infamis cogebatur: Iberis verò gloriæ loco, mos erat, vt tot Obelisci circa Sepulchrum defuncti erigerentur: quot hostes è medio sustulisset.

Quòd Obsequio gloria pascenda sit imperij. *Elog. XLI.*

NIHIL in arte militari est laudabilius obsequio. Crescit enim, & decrescit imperij gloria, non eũ Imperatoris auctoritate, sed cũ obsequij, inter milites obseruãtia, & sedulitate.

te. Nam si in belli incendio, obedientiæ ars desideratur, & industriæ, nullos fructus Imperator ex disciplina nanciscitur militari. Etenim nisi in Bello adsit obsequium, tumultus potius dici potest, quàm Bellum: sin viget obsequium, fit rerum exitus maior omnium opinione. Argumenti color, & species cernitur *per Ouum in Phiala positum, cuius os sit perangustum.* cum verbis. PER ANNVLVM TRAHITVR. Nulla enim magis angusta est, quàm virtutis via. Virtuti igitur qui paret, nullis ad gloriam rerum intercluditur angustijs. illustre est monimentum. Nam Ouum aceto ad triduum, maceratum, sic cortice integro, & contrahi, & protrahi potest, vt facilè per orificium Phialæ deducatur, quod inde aqua gelida aspersum statim pristinam formam recipit, & duriciem. Quorsum? Artis gloria est obsequium: ars obsequij commendatio. Nam arte in Bello, remota, nihil inter Paganum, & militem fit discriminis. Artem igitur rei bellicæ qui possidet, ei in bello etiã hostilia obediunt. omnia conuicit id aliquando Themistocles Dux Atheniensium. Nam cùm videret vtilissimum esse Græciæ aduersus multitudinem Xerxis nauium, in Angustijs Salaminis decernere: nec id suis suadere posset, simulata proditione, misit qui Xerxi indicarent ex Græcis plures de fuga cogitare: proinde si amans esset Victoriæ, pugnam accelerarent. Hostis igitur hoc solicitatus nuncio, animi pendens noctem ne Græcus euadat, trahit insomnem: plurimaq; opera defatigatur in statione custodiæ. Themistocles interea curat, vt omnes sui milites integris viribus, cum hostibus vigilia, & labore fractis, loco, vt statueret, angusto confligerent. in quo Xerxes sua multitudine auxilij loco, vltrò obrueretur. Nihil igitur Imperatori non feliciter cedit, qui fortunæ parum: arti in obeunda re bellica, plurimum tribuit. idque & in pugna, & extra pugnam. Nam obsidio eius vrbis, quam cito capere volet, fame est vrgẽda, & premenda:

menda: curandumq́; est, ne obsidētibus annona deficiat. remissio enim, aut negligentia obsidentium, obsidionem tandē reddit inutilem. Sic Capitolium olim, vt refert Liuius malè à Gallis fuit obsessum.

Quòd Imperator intelligens ex hostium commodis sua pellat incommoda. Elog. XLII.

QVemadmodum malè imperāti infelix est obsequium: ita qui imperanti prudenter, obtemperant, felices redduntur, & beati. Semen igitur, & caussa publicæ felicitatis est in arte imperandi, & intelligentia posita: quam qui habet, nouit in Bello inhonestis honestè: & periculis tutò vti, in quo caput, & fundamentum est communis vitæ, & salutis. Sua id adumbratur imagine *per Leonem, qui Simiam deuoret.* cū dicto. EX MORBO SALVS. Nam cùm febri exardescit Leo, etsi res est infamis Simia, sordes tamen suæ infirmitatis sanguine abstergit Simiæ: eiusq́ue pabulo statim conualescit. quorsum? est boni Imperatoris ex turpibus ansam capere honestatis, atq; aduersa omnia in Bello, lucro habere: itaq́; Philippus Macedonum Rex cum Illyricis bellum gerens, vbi animaduertit frontem hostium stipata esse firmissimo milite, is latera infirmiora hostium, robustissimis viris ex toto Exercitu collectis inuasit, turbataq́; acie tota, hosti non sine strage plurima, extorsit victoriam. Quare non robore: sed arte in Bello est dimicandum. quicquid.n. Romanos: Allyrios: Mœdos: Persas ad summa Imperij fastigia euexit, id omne ex arte manauit rei Bellicæ. Duo autem in Imperio, præsidij genera cùm sint necessaria: roboris vnum: prudentiæ alterum, illo ad obsequium: hac ad imperādum Princeps magis vtitur. Itaq́; Athenis olim cùm Iphicrati, & Timotheo Ciues Charetem hominem robustum adduxissent, atq; talem Imperatorem constituendū censerent,

ſerent, tum Timotheus, non per Deos inquit, ſed talis ille ſit, qui Imperatori geſtaturus eſt ſtragula: Imperator verò conſilio, non corpore cæteris præſtet oportet. Nam rudis, & imperitus nihil non mali ominatur.

Quòd nunquam infirmus ſit Exercitus, qui arte magis, quàm ferro eſt munitus. *Elog.* XLIII.

SIcuti artis eſt ex plantis infructuoſis reddere frugiferas, ita ingenioſi Imperatoris eſt, ex illis interdum imperij auxilia capere, qui obſunt imperio, atque ex deſperatione anſam rapere Victoriæ. conſtituitur inſigne, per *Salicem Perſica mala ferentem*. cum titulo. ARTIS FELIX EXITVS. Nam Salix tenebrata, ramoq; Perſici arboris per eam deducto, vbi ſic coaluerint, vt vna planta fiat ex duabus, ex ſterili redditur feraciſſima: miraq; cum iucunditate Poma Perſica ſine oſſibus parit. cedit igitur in rerum incommodis, neceſſitas arti: non ars neceſſitati. quoniam autem ſine arte ſæpè magna in multitudine, eſt ſolitudo, rudes in Bello, minimè ſunt timendi. Nam paucos natura: omnes ferè viros parit ars, & induſtria. Itaque Papyrius curſor cùm diſpari Marte aduerſus Samnites ſibi manus eſſent confligendæ, iuſſit, vt Calones omnes, & Agaſones mulos conſcẽderent, ramosq; per terram cum fragore trahentes à colle tranſuerſo, magno cum ſtridore, & tumultu decurrerent, quibus in conflictu, proſpectis, proclamauit victorem adeſſe Collegam, ſuoſq; ſimul hortatus eſt ne alteri relinquerent, ſed præoccuparent Victoriæ gloriam. hoc fuco Romanis fiducia: Samnitibus terror animi tantus inuaſit, vt è veſtigio caperint hoſti terga dare. hac arte victi ſunt Samnites, quos & robur, & apparatus fecerat ſuperiores. Nam apud eos funditorũ: ferẽtariorum, & eorum omnium, qui eminus feriunt magnus erat in aggrediendo, & fugando Exercitu vſus: cominus autem

ferientium,& gladijs rem gerentium vſus in fundendo,profligando,cædendoq; Exercitu maior.

Quòd in Bello, robur virium cedat arti. *Elog.* XLIV.

CVr Martianus I.C. ſeruos ab omni militia repulit? quia certè quidem Ars militaris eorum eſt impatiens, qui eruditum magis habent palatum, quàm ingenium. Si enim ſeruus,& fœmina perſonę ſunt ſine capite,hoc eſt ſine cõſilio,& mente, non poteſt ab ijs virtus militaris non exulare. Nam artis eſt ſimul,& ingenij,hoſti grata potius, q̃ vera, dum opinionis errore ſeductus irretiatur, inſidiarum laqueis,oſtentare. Itaq; etſi Daci:Medi: Thraces deniq; ita fuerunt bellicoſi,vt Martem apud ſe natum eſſe non vererentur aſſerere: maiorem tamen ſpem in arte fallendi,quàm in virtute pugnandi, ponebant Victoriæ. Hæc enim commune militi cum hoſte: illa priuatum tantum hoſti facit periculum. Imago figurari, & quaſi animari videtur *per Pardum Lupo,alijsq; feris aſtantibus Beſtijs*. cum dicto. EMPTA DOLORE VOLVPTAS. Pardus.n. ſui odore,& ſuauitate procul abſentes inuitat feras Beſtias,quas mox ad paſtum inuadit.Hinc natum eſt in fraudulentos,& verſipelles Prouerbium:Pardi exuuium induere. Non quia varijs maculis diſtincta eſt Pardi pellis: ſed quoniam Beſtijs ad prædam fucum nouit machinari. quo fit vt aſtuti omnes, & fraudulenti verſipelles ſint nominati. in quo magna eſt gloria virtutis bellicæ. Nam is demum nouit ex hoſte victoriam reportare, qui non ignorat hoſtem fallere. docuit id aliquando Q. Metellus. Hic enim in Sicilia bellum gerens contra Aſdrubalem, propter ingentem Exercitum atque c x x x. Elephantos, quaſi iam ſuperatus: quæ à nullis gentibus potuerat accipere, ab arte accepit præſidia. Hic enim terrore ſimulato,

quaſi iam in deſperationem adductus intra Panormum copias tenuit, foſſamq; ingentis altitudinis ante ſe duxit: conſpecto inde Exercitu Aſdrubalis, qui in prima acie Elephantos habebat, mandauit haſtatis, vt tela in belluas dirigerent: ſtatimque ſe in tutum reciperent. hac ludificatione Elephantes irritati, atque plurimis telorum vulneribus concitati, ſe vnà cum rectoribus in ipſam foſſam præcipites egerunt. in qua vt primùm illaqueati fuerunt, partim telorum multitudine confecti, partim retro in ſuos acti totam aciem turbarunt. tunc Metellus quam affectabat nactus occaſionem, cum toto Exercitu erupit, & aggreſſus à latere Penos occidit, ipſiſq; vnà cum Elephantis potitus eſt.

Quòd inſcitia in Bello, omni hoſte ſit Capitalior. Elog. XLV.

SIcuti Mineruæ, ita Martis Schola totum ſibi vendicat hominem. Namæque ingenij nerui, atque vires corporis deſiderantur in re militari. Etenim ex inſcitia, belli omnis infelix redditur exitus. *id in Cæpæ figura notat inſigne.* cum dicto. HINC LACHRYMÆ. Argumentum Cępa habet inſcitiæ, quia ita Cœlo eſt renitens, vt Luna decreſcente creſcat, & creſcente decreſcat. Nullum enim maius eſt ignorantiæ teſtimonium, quàm ab eo, quod cęleſte eſt, & diuinum diſſentire: nullum grandius doloris, q̃ ignorantia fundamentum. Itaq; vt ciet Cępa lachrymas, ita nullus ferè, niſi dolore, finis clauditur ignorantiæ. Leo igitur Imperator, vt miles omnes induſtriæ vires ad artẽ bellicã contenderent, lege cauit, ne miles eſſet alienarũ rerũ, aut conductor, aut procurator, aut fideiuſſor. metuebat enim ne intermiſſo armorum vſu, ars in milite relangueſceret bellica. Nã ex arte victoria: ex inſcitia belli manat Calamita, Artis quippè præſidio Viriatus ex latrone

Dux Celtiberorum euasit, Romanosque aliquando superauit. Hic enim cum ijs aliquando congressus simulans se equitibus concedere, eos vsq; ad immensam quandam loci voraginem, & periculorum gurgitem, inani quadã aura felicitatis allexit, at vbi vidit Romanos palude plurima, & locorum ambagibus implicatos, ipse per solidos, & sibi notos tramites euasit, hostemq; ignarum loci, omniq; difficultate implicatum occidit. Nec solum discordias, & seditiones apud hostem norat serere: sed etiam apud socios tollere proseminatas: in suspicione enim seditionum eam tundebat incudem, vt viri Principes Populo gratiosi aut occiderẽtur, aut amouerentur. Nam illis sublatis, vt Cornelius Tacitus refert, nihil Plebs grande audet machinari.

Quòd hostis grauius animi perturbatione oppugnatur interdum, quàm ferro. *Elog.* *XLVI.*

QVoniam nihil est affectus, nisi veluti quædam citra vinum, temulentia: ex affectu lumen omne restingitur consilij. consilio autem sublato nullus est virtuti, plurimus dementiæ, in quo consistat locus. Nã fax furia: turbo vesanæ cupiditatis, & rationis loco. Imago sententiæ huius, & similitudo figuratur per *Hippopotamum, qui patrem occidat.* cum titulo. PERTVRBATIO, RATIONIS INTERNECIO. Hæc enim Animans matris exardescens, amore, Patrem, vt Matrem ineat, interimit: quid? cùm fiat homo ex ratione tanquàm ex parente: trucidatur tamen ratio à perturbato homine. illa animans similitudinem habet Tauri fluuialis: magnitudinem Elephantis: iubam equi, ac deniq; Caudam Apri: homo verò perturbatus nullam immanitatem non induit ferę Bestię: omneq; simul exuit consilij, & rationis lumen. Hostem igitur, qui nouit in Bello animi perturbatione exagitare: non ignorat

vincere: Testis, ne longè abeam, est Annibal. Hic enim aduersus Iunium Dictatorem pugnaturus, nocte intempesta sexcentis equitibus imperauit, vt in plures turmas distracti per vices, sine intermissione, circa castra hostium, se ostentarent, tanquã machinantes hostem castris exuere: his suspicionum aculeis, & percitus, & simul perterritus Imperator Exercitũ animo excubare iubet. ita per totam noctem Romanis in vallo, statione, ac pluuia, quæ fortè continua fuerat, plurimoq; labore, & vigiliarum solicitudine fractis, cùm Iunius receptui signum iam dedisset: Annibal suos, quos per otium, & quietem confirmarat, eduxit, castraq; inuasit. Quoniam autem in animi perturbatione, nulla sedes est quietis, qui per animi perturbationem hosti tollit quietem, facit, vt hostis à seipso, & afflictus, & profligatus magis ad sui cædem, quàm defensionem sit paratus. Nam qui in Bello à consilio, & ratione recedit, nullam vitę suæ horam videt, qua alterum pedem in Cymba Charontis non habeat.

Quòd simulatè militum culpa interdum sit ab Imperatore tegenda, & laudanda. *Elog.* XLVII.

EST Imperatoris vulnus interdum dissimulare iniuriæ. Nã sicuti res augent secundæ: ita aduersæ, dignitatis comminuunt gloriam. Nec vnquam ferè antè solent ab Imperatore deficere, quàm ei aliqua iniusta sit dedecoris macula. Adumbratur *id Roboris imagine, cuius truncus in gyrum cortice sit enudatus.* cum titulo. PERICVLOSE DETEGITVR. Natura enim ita comparatum est vt, cùm arbor omnis, Subere excepto, tum Robur potissimum, quod planta est Iouis. Cortice in circum detecto, necessariò pereat. quid? qui in Bello Imperatoris dignitati derogat Imperatorẽ euertit. Quare eius interest, vt si quæ fortè infliguntur iniuriæ maculæ, eas simula-

tione tegat, & dissimulatione. Itaq; Lucius Sylla cùm præfectus eius, comitante non exigua militum manu, ad hostem transfugisset, pronunciauit, id iussu suo factum esse: fidemque eorum laudauit, qui non vererentur dubiam suam habere salutem, dum hostem modo fallerent, ea ratione militum animos non tantum ab ægritudine, & metu alienauit: sed etiã spe insidiosæ cum hoste amicitiæ recreauit. Ne igitur formido militum animos inuaderet, Præfecti perfidiã laudauit, vt egregium facinus. Nam animi perturbationes sunt tanquàm Bestię ancipites, & vtraq; sede vtentes. modo enim solent cum ratione ad ardua euolare: modo cum sensibus ad ima procumbere. quod omne eò pertinet, vt persuasum nobis habeamus, tales in Exercitu reddi milites, qualis ipse est, à quo reguntur, Imperator. Est igitur in loco dissimulanda: in loco minimè Principi viro ferenda iniuria. Cautum enim est, ne quis, in benè constituta Rep. propter beneficia in publicum collata, impunitatẽ scelerum consequatur, vt videre est apud Herodotum de Intapherne, qui à Dario punitus est.

Quòd boni sit Imperatoris interdum dissimulando errantes in viam reducere. Elog. XLVIII.

NIhil ad vincendum, vinciendumq; homines, viriũ plus habet, quàm Oris gratia, & morum facilitas. Nam vt hamo Pisces, sic humanitate officiorum, suauitate cõdita capiuntur homines: quodq; neq; vi, neq; dolo assequi possumus, id gratia plerunquè nullo negotio extorquemus. Effigies simulacrumq; cõstituitur *per Rhombum, qui Mugilem mordicus teneat.* cũ verbis. FACILITATIS TROPHÆA. Rhombus enim, qui in delicijs habetur, etsi Piscium est tardissimus, Mugilem tamẽ omnium velocissimum suę facilitati facit pręda.

dam. Magnus quippè amor est Sophista, qui sæpè exorat, quod minimè orat. Sic Persarum Dux Datames. cùm enim Bellum contra Authofradatsem in Capadocia gereret: vbi comperit partem Equitum suorum transfugere ad hostes: cęteros statim secum accelerare iussit, qui cùm Traufugas est assecutus, collaudauit eos, vt viros Principes, hortando vt sicuti alacriter præcessissent: ita pariter forti animo hostem adorirentur. quid multa? apertæ Ducis humanitati occulum cessit militum scelus. victi enim pudore eò facile consilium criminis abiecerunt, quòd rebantur minimè adhuc esse deprehensum. Quare vbi culpa consuetudine peccandi, non est inueterata, corrigitur interdũ magis dissimulando, quàm ipsa vlciscendo piacula. quorsum? in bello, humanitas: in victoria, clemẽtia maximè vtilis est Imperatoris. Vrbe enim capta, si à victore promulgatur, ne quis, præter armatos, violetur: facilè ea res reliquos oppidanos exarmat, & à propugnaculis, vt Fabius fecit Anxure capto, discedere Compellit.

Quòd Imperatoris sit cauere, ne in aduersis miles cadat animo.
Elog. XLIX.

BOni Imperatoris est, eam incudem tundere, vt militibus in Bello, crescat animus cum periculo semperq; etiam in ipsa clade, ijs spem ostendere rei bene gerendę. Nam bene instituti Exercitus non frangitur animus vulnere, sed corroboratur insigne, & monimẽtum fingitur per *Chrystalli pilam Solaribus radijs oppositam, cui ex aduerso adsit pagina alba*. cum titulo. CANDOR ILLÆSVS. Ignis enim omnis, qui ex Sole gignitur in vniuersam materiam, præter quàm in candidam accenditur. quorsum? est virtus viri boni armatura, quæ neque igne, neq; ferro penetrari potest. viro enim bono, quo nihil est

candi-

cādidius, nihil accidere mali poteſt, quia malo nouit bene vti, quod tam bonum eſt, quo nihil melius. Teſtimonij loco iam eſt Cn. Manilius. Hic enim cùm aduerſus Hetruſcos pugnaret, grauiterq; eius collega Fabius, qui ſiniſtrum cornu ducebat, eſſet vulneratus: ſtatim totū animo cōſternatum recreauit Exercitum. Nam cùm milites ſublatum è medio Conſulem crederent: ſpemq; ob id Victoriæ abieciſſent, occurrit cum turmis Equitum, clamitāns, & collegam viuere, & ſe dextro cornu viciſſe. hac conſtantia redintegratis ſuorum animis, hoſtes vicit ſuperiores. Pluris enim eſt in Bello, animo forti, quàm corpore vti robuſto. Quare nihil magis in armis, quàm metus improbatur. Non enim quia res ſunt difficiles, eas ſæpè timeat mortales: ſed quoniam timent, redduntur difficiles. itaq; virtus Principis potiſſimum eſt fortitudo, cum res ſit Imperium non ſolum difficilis, ſed etiam terribilis. Quocirca ſicuti portus maris nunquam, vt inquit Thucydides, eſt ſine præſidio relinquendus: ita nullum Bellum ſine arte magiſtra, plurimaque animi virtute eſt ineundum.

Quòd Imperatori tempus conſerendi manus cum hoſte, anſam porrigat Victoriæ. Elog. L.

QVoniam qui Bello eſt ſine animo, & viribus, fœminam potius ſapit, quàm virum: magni ad Victoriam intereſt, vt milites à labore integri, hoſtem rerum aſperitatibus factum, debilitatumq; vigilijs inuadant. Itaq; eo tempore potiſſimum cum hoſtibus eſt confligendum, quo hoſtes in Exercitu ſint viribus eneruati: animo fracti, atque inedia, & langore oppreſſi. Etenim qui vir animi, & corporis deſtituitur viribus, etiam in viri figura naturam retinet fœminæ: nec animum habet in pectore clauſum: ſed in imis talis ad fugam expoſitum.

positum. Cernitur id oculis in naturæ Schola per *Murenam à Vipera compressam*. cum dicto. NESCIT NON SVBIICI. In Murenarum enim genere, vt Macer ait, apud Plynium, nulli mares reperiuntur: sed ex Serpentibus concipit: ideoq; sibilo solent à Piscatoribus euocari: Animam præterea habent Murenæ in cauda. Nam caudæ semper: nunquam capitis ictu ferè intereunt. quorsum? quia pauore, animi defatigatione iactura fit virium: quantum Imperator detrahit hostium animis, & viribus: tantum adijcit suis militibus. Itaq; C. Marius, victis prælio Teutonibus, nec adhuc omnino Exercitu deleto, quia nox prælium dirimerat, acre, & expeditum pro tempore cepit consilium. Nam hostium Exercitum paucis circundans militibus, hostem per totam noctem sublatis clamoribus, territari iussit: stantemq; atq; insomnem detineri, vt postero die, cum eo manus confereret, qui paratior esset ad iacendum, quàm ad pugnádum. Quare quemadmodum nautica res nec quouis anni tépore: nec ab imperitis: nec pari animorum obstinatione, atq; pedestre Bellum geri, & administrari, vt scribit Polybius, debet: ita ad extorquendam in acie hosti victoriam neq; tempus, neque locus, neq; occasio semper diem postulat: sed è vestigio, in arena consilium sumitur victoriæ.

Quòd ex locorum præsidio, non solum oretur, sed etiam exoretur Victoria. Elog. LI.

ILle demum in Bello, ab hoste est tutus: qui nouit locorum præsidijs bene vti. Nam qui suo loco manus censerit cum hoste, non solum ab eo adiumenta haurit salutis: sed etiam ornamenta virtutis, pingitur id in regijs insignibus *per Hirundinem, quæ in circum gyrum uolitans, uim, & impetum accipitris euadit*. cum titulo. SEDES SALVTIS LOCVS. Nouit enim

Hi-

Hirando Sinuoſos circa rerum anfractum, volatus, quos Accipiter alitum omnium velociſſimus minimè tenet. itaq; locorum præſidio, nunquam accipitris fit prȩda. habet igitur in Bello locus ſuas cautiones, quibus miles cautus ab hoſte redditur. vnus prȩter cæteros teſtis eſt Iphicrates Athenienſis. Nam cum in vaſto, & aperto Campo caſtra haberet, accipiſſetq; ab emiſſarijs Thraces ex montibus, per quos vnus patebat deſcenſus, noctu ad diripienda caſtra aduolaturos, clam moſſit Exercitum, & in montis radicibus ex vtroque viæ latere, qua Thraces iter facturi erant, hinc inde collocauit. Hoſtis igitur anhelans ex tempore opprimere Iphicratem, atque caſtris exuere, in quibus multi ignes ſpeciem præ ſe ferebant magnæ multitudinis, facile locorum inſidijs eſt illuſus. Nam ibi repentè Iphicrates hoſtem à lateribus adortus ad internecionem profligauit. In omni igitur locorum diſſidio, ſemper eſt cur Imperator animi pendeat. Nam multa ſæpè ex eo ſunt amputanda: nō pauca ſemper inſerenda: in quibus omnibus nunquam non eſt minuenda nimia credulitas. Hæc enim lamiarum more, tanquam pueros, ante quàm periculum ſenſiant, homines abſorbet credulos. quorſum? Thracum prudens erat conſilium: ſed quia Iphicrati notum, inutile. Itaq́, exploratoribus, qui mentem hoſtium ueram referant, magna præmia, vt Fabius exploratoribus Cluſinis fecit, ſunt danda.

Quòd Imperator vincat fugiendo, ſi modo nouit fugere. Elog. LII.

IS demum in Bello hoſtem nouit fugere, qui ſedendo fugæ omnem exæquat celeritatem: quiq́, aut ſtando fugit, aut eò euadit, quò non patet inimico aditus. ſuo id colore, ſuaq; quaſi facie adumbratur *Noctuæ, & Cornicis, quæ ſibi inter ſe capitales ſunt inimicæ imagine*. cum titulo. STANDO EVADIT.

cum

cùm enim intestino ambæ illæ alites inter se ardeant odio, atq; altera Solem, altera Lunam timeat, Noctua in tenebris, Cornicis: Cornix in aperta luce, periculum, & impetum fugit Noctuæ: atq; alia alio hosti insidiatur tempore. quid? non vacat in Bello sua arte fuga. Nam manibus: non pedibus fugiendum est: non corporis celeritate, sed ingenij. de altero iam non laboro: alterius præclarũ apud Pœnos extat testimonium. Hi enim classe aliquando superati cùm è faucibus Romanorum euadere non possent, eosq; velis remisq; instantes horrerent, periculi Exitum nacti sunt non ex fuga: sed ex arte fugiendi. siquidem ex industria naui repente fracta, tanquam in vada incidissent, & scopulosa loca, simularunt naufragij periculum, atque in eo maris sinu, locum vadosum hærentes imitati, effecerunt, vt dũ victor hostis commune timens periculum, cursum reuocaret, tuto euaderent. Romanis igitur ea arte non solum auctoritas attenuata est, & imminuta: sed etiam ipsa fortuna prorsus inclinata. Quare etsi in iure armato cautum est, vt qui in acie fugam prior fecerit, spectantibus militibus, ad aliorum exemplum, capite puniatur: ea tamen fuga, quæ non timoris, sed virtutis est socia: quæq; hostem spe victoriæ euertit, maximè semper in strenuo duce, est laudata.

Quòd Imperator Hosti stragem sæpè ex spe infligat commodi. Elog. LIII.

NOn est bonus Imperator, cui in Bello sæpè non formidolosa sint magis bona, quàm mala. Nam in bonis, hostium latẽt vt plurimum insidiæ, in malis vis, quia non fallit, minus officit aperta. Imperatoris est igitur animum, in rebus prosperis remittere: attollere in aduersis. siquidem earum plerunque rerum, quibus gestit Exercitus, asportationes,

&

& exportationes totum eneruant Exercitũ, ſuoq; enudant animo, & robore. inſigne, & *monimentum Viperæ conſtituitur imagine, quæ Fagi attingat ramuſculum*: cum dicto. EX COPIA RERVM, INOPIA. Nam cùm fagus à verbo Græco φαγω comedo ſit dicta, eò quòd olim ab ea cibum capiebant homines: ita tamen eſt Viperæ aduerſa, vt ſi eam attigerit, ſtatim ſenſus omnes, cum viribus amittat. Quorſum? nihil magis hoſtes perdit quàm bonorum, quibus neſciunt vti, non ſolum luxus, ſed etiã appetitus. Teſtes euidentiſſimi occurrunt modo Thebani. Nã cum Portum Sycioniorum nulla ui redigere in ſuam poteſtatẽ poſſent: nauem ingentem armatis cõplerunt militibus, re inſuper expoſita frumentaria, vt hoſtem mercis ſpecie fallerent. ſpẽ igitur rei frumentariæ hoſti cùm oſtendiſſent, cuius laborabãt inopia, ab ea parte murorum, quæ procul aberat, pauci in littore, quaſi ad mercaturã ſe conferentes apparuerunt. quibuſcum, & negotiatoribus ſimulata rixa, non leuis excitatus eſt tumultus. Sycionijs igitur ad dirimendum iurgium aduocatis, Thæbanæ naues, & Portum vacuum, & Vrbem ab ipſo pręſidio nudam ſtatim occupant. Hoc quippè error in fraude affixit: hoc ſimulatio ſemper conflauit, vt quod veſana cupiditate decepti probemus: id ſtatim ægrè, & fruſtra deteſtemur reſipiſcentes. Seductio enim ſemper habet boni colorem, vt alterum cùm appetant: in alteram facilè incurrant homines.

Quòd nulla fraus ſit capitalior, quàm quæ latet in beneuolentiæ nomine. Elog. LIV.

NEmo in Bello, rem benè gerit, niſi qui male fidit. quare cù m fides maximè habeatur amori, qui ſtudet cauere a mara, fucum in primis, caueat debet amoris. Nam ex beneuo lentiæ, & beneficientiæ blandimentis oẽs ferè con-

texun-

texuntur fallaciarum laquei,& corruptelarum illecebræ.ſuis id inſignibus,& infulis figuratur *per Aues, iuxtà nuces Methellas, conſopitas*. cum titulo. INSIDIOSA BENEFICENTIA. Aucupes enim his illecebris aues capiunt. Nam illæ, ſi nuces eas, quarum maximè ſunt aſcidæ,edant:repentè & ſtupore,& ſopore oppreſsæ nullo negotio capiũtur:præſertim ſi Opio, & Meri fęcibus admiſceantur. Non alio figura pertinet, quàm ꝙ omnes ferè inſidiæ in amoris tegumentis deliteſcunt, & beneficentiæ. Nec difficile eſt id ex Samiorum clade reguſtare. Philippus enim ex eorum oppido excluſus, ad Apollonium oppidi Præfectum,cui Samij parem, cum ſummo amore habebant fidem,cõfugit.fecitq́; vt oppidanis pro fide redderet perfidiam, ei quippè muneribus corrupto perſuaſit, vt plauſtrum lapide quadrato oneratum,in ipſo vrbis ingreſſu, & veſtibulo, quaſi rotarum aliqua deficiente, permitteret iacere,quo claudi prohiberentur portæ.is deinde cõfeſtim ſigno dato inſecurus opidanos circa impedita oppidi clauſtra illos trepidantes oppreſſit. Qui igitur Princeps ſtudet in vrbe, periculorum flammas reſtinguere,is in primis ab inſidioſis caueat amicis: nec fidem cuiquam niſi exploratam habeat. ea de re Leo Imperator, Baſilij filius nocturnas vigilias vrbis Conſtantinopolitanæ, vt experiretur, noctu regia ſolus egreſſus eſt: duasq́; vigilias muneribus incognitus corrupit,& euaſit: à tertia autem captus, & in carcerem ductus verberibus cæſus eſt. poſtridiè in Regiam reuerſus priores,fiſco bonis aſcriptis,exilio multauit:poſteriores laudibus,ac opibus extulit.

Quòd beneficij ſimulatio vias omnes nouit, ad hoſtium inſidias.
Elog. *L V.*

QVia fraus,commodi eſt finitima, nihilq́; in Bello ad fraudem propius accedit,quàm quod appetitur commodum:

dum:

dum: qui bonus eſt Imperator, ſemper in ipſo metuit commodo. Nullum quippè officium eſt tam ſolers, & diligens, quòd, ſi deſideretur fides, non reddatur infauſtum, & exitiale. quid officium? in ſede etiam quietis, non quies: ſed dolus ſæpè collocatur, qui quietem omnem euertat. figuratur id *Elephanti imagine, qui ad capeſſendam quietem, dum arbori adhæret in calce latenter ſemiſciſſæ, ſtatim ruit ſimul cum arbore.* cum inſcriptione. RES INSIDIOSA FIDES. Doli odor eſt in ſpecie, & figura boni: ſed fugiens in homine imperito. qui igitur in armis ſapit, ea etiam ſuſpecta habet à quibus vitæ aucupatur auxilia, & cõmoda. Nam inſidiæ nullo magis commendantur, quàm beneficentiæ colore. Non vulgare eſt Tarenti teſtimonium. Nam Annibal, vt Tarentum occuparet, quod à præſidio Romano, Duce Liuio, tenebatur, Eoneum quendam Tarentinum hac arte ad proditionem inſtruxit, vt ille noctu venandi gratia procederet, quaſi id per hoſtem, interdiu non liceret. egreſſo igitur ipſe Apros ſubminiſtrabat, quos ille tanquam facta præda, Liuio offerebat. id autem cùm ſæpius factum eſſet, & ei ex conſuetudine, liber factus eſt ingreſſus vrbis, & egreſſus: interea Annibal nocte quadam venatorum habitu Pœnos comitibus eius immiſit, qui cùm onuſti venatione, recepti eſſent à cuſtodibus, protinus facto impetu, illos trucidarunt, portisq; recluſis receptus eſt cum exercitu Annibal: qui Romanos omnes iugulauit. quorſum? graue Principi crimen infligitur ex credulitate, qua qui laborat, in tot ſe periculorum ingurgitat voragines, quot ab ipſo hoſte capitali vix ſunt metuendæ. Dolus enim in armis ſemper honori eſt habitus. Itaque olim apud Perſas lex erat, vt exploratores, qui clam ad hoſtes ire, & redire conſueuerant, quique eos fraudulento commodo ſeducerent, publicis alerentur ſumptibus.

Quòd

Quòd hostis timidus neminem magis, quàm se ipsum cauere debeat. Elog. LVI.

DVplex in Bello hominis est armatura, vna, qua corpus: altera, qua animus tegitur. illa ex ferro: hæc constat ex virtute: quam qui habet, non solum non perturbatur, sed etiam perturbationum omnes vincit procellas, & tempestates. effigies, & simulacrum spectatur *per Halcionum nidum in medio Mari situm, qui ex pampinis, & spicis sit ad serti figuram contextus.* cum dicto: MIRA HINC TRANQVILLITAS. Halciones enim veluti quodam naturæ miraculo, in mari nidificant, & per dies quatuordecim, dum extruduntur Pulli: Mare nulla turbatur procella: sed tranquillum redditur, & pacatum. Quid igitur? vbi habitat fortitudo, ibi non solum Bacchi fructus adsunt, & Cereris: sed etiam inde omnia pelluntur procellarum pericula. Quare nihil est, quod aut vir fortis metuat: aut imbellis non perhorrescat. Etenim nisi hostilis animus attingat virtutem: solus pauor ad expugnandum hostem sufficit. Quare qui artem habet hostes terrendi, artem pariter habet eos vincendi. Testis est Philippus Macedonum Rex. Nam cum Trinassum Castellum nulla vi expugnare posset, aggere ante muros obducto, simulauit agi cuniculos, ea specie Castellum oppugnandi, territus hostis, vltrò in eius deditionem venit, quem viribus superabat. Itaque non ab hoste: sed ab animi sui vitio victi Castellani pęnas dederunt neglectæ virtutis. Si pęna tamen est dicenda: Nam duplex est ratio, vt scribit Polybius resipiscendi: vna, qua homo proprijs calamitatibus edoctus: altera, qua aliorum strage admonitus resipiscit.

Quòd nihil ad militum disciplinam accommodatius sit exemplo Principis. *Elog.* LVII.

SVmma in armis laus est intelligentiæ, rerum discrimen cõgnoscere: in Principe verò alijs ostendere. Nam facilius oculi, quàm aures erudiuntur hominum. Hæ enim sæpè suspitionem: illi semper fidem faciunt. id in Insignibus, quasi suo vultu, & facie cernitur *per Poculum Hederaceum Vino distillans*. cum dicto. NVLLA NISI MERA FIDES. Nam si in eo Poculo Vinum ingeratur dilutum, pura in eo remanet aqua, transfluit Vinum merum. quid? ad tractanda Imperij gubernacula, Syncera requiritur virtus: non adulterina, aut comminuta. Hæc enim priuatum: illa commune magis tuetur bonum. exempli loco est Alexander Macedo. Nam cùm aliquando per deserta Africæ loca Exercitum duceret, qui loci siccitatem, sitisq; ardorem vix ferre poterat: milites ad tolerandam sitim verbis non hortatus est: sed oblatam sibi à milite in Galea aquam, maximè sitiens, in ore, & oculis omnium effudit. Hoc exempli testimonio non antè militibus sitis inculcauit tolerãtium, quàm suam fecit. Neq; enim ei par videbatur, vt ijs virtute esset inferior, quibus Imperio erat superior. itaq; ea ratione simul militibus temperantiam maximè commendauit, & quod commendabat se ante alios scire, facere docuit. cur commendauit? quia vbi voluptas temperantiæ cedit, ibi maximè gestiunt mortales in aduersis. Sapienter id suo exemplo. Nam vt à rationis auctoritate recedam, Theodosius Imperator nihil militibus imperabat, quod non ipse primùm alacriter conficeret, & ita strenuissimi militis munia, & præclari Ducis curas simul obiret.

Quòd in Bello cedant vires arti, non ars viribus. *Elog.* LVIII.

INertia militum dedecus eſt Imperatoris. Nihil enim eſt vita, quam trahit Imperator, niſi totius Exercitus inſtructio, & diſciplina. Nec arte quicquam Imperatori eſt antiquius, quia in Bello, non vincit qui poteſt plus: ſed qui plus intelligit. Argumenti inſigne coloratur *per Piſcem Varum, qui Ranam inuadit fruſtram Arundinis ore tenentem*. cum verbis. CEDIT IMBECILLIORI. cùm enim illæ animantes capitali inter ſe flagrent odio. molitur Varus qui ſuperior eſt viribus, Ranam pro eſca deuorare: Rana verò, quod præſidium non poteſt à corporis viribus, impetrat ab arte: Sumpto enim modico Arundinis Vari impetum eludit. Nam Varus ſimul atq; Arundinem tangit, Rana incolumi, interit. id eò pertinet, vt putemus, nihil arte in Bello, eſſe formidabilius. Vulgata, & omniũ ſermone trita Pyrrhi eſt auctoritas: qui ſolitus eſt dicere delectoris eſſe robuſtos tantũ deligere milites: Imperatori verò fortes, & belligerandi gnaros reddere. Nihil quippè eſt, vt Q. Metellus in Bello Iugurthino docuit, ad arcendam militum ignauiam, Imperatoris diſciplina, & virtute firmius: q̃ qui miles habet Hippocentauri redditur ſimillimus: quippè qui cùm hominis prudẽtia, manibusq; tùm Equorum velocitate, & viribus vtitur, vt & fugientes aſſequatur, & cũ expectãtibus acriter cõgrediatur.

Quòd virtus militaris paſcenda ſit labore, & patientia. *Elog.* LIX.

FLos virtutis, & ornamentũ gloriæ vna eſt patientia. Nam difficultates rerũ omnes ſuccumbunt patientiæ: non patientia difficultatibus. Hoc ſentientes Ægyptiorũ Sacerdotes, Hieroglyphicũ patientiæ fecerunt tergus Crocodili. Nã

ſicuti

ſicuti id tãta obriguit duritia, vt ferreos omnes reſpuat ictus: ita patiens poteſt laceſſi iniuria. lædi verò, quia ea redditur melior, minimè poteſt. Patientiam igitur ab Exercitu qui tollit, maximum animi munimentum tollere cenſetur: Etenim facilè timent hoſtilia, qui non ferunt ardua: nec ſciunt horribilia pati, qui minimè norunt patientes eſſe algoris: inediæ, & laboris. Qui igitur Imperator ſtudet formidinem ex animis abſtergere militum: ita milites exerceat oportet, vt aſſueſcant victus difficultatem inedia: labores tolerantia, ac demum pericula oĩa ſuperare virtute. Duo enim ſolum ſunt, qui ad felicitatem tendũt, tramites, labor, & tolerantia. Rei eius pictura, non ſine quadam iucunditate tenentur oculi, *quæ præſepe figuret, & quo villus pendet Lupinus: Boſq; ſimul cibo abſtinens*. cum dicto. LABOR, SINE PATIENTIA INANIS. Res bellica ex labore maximè creſcit, & inediæ patientia. Villus enim Lupi, qui ſacer eſt Marti, inediam: Bos, qui cum homine miniſter eſt Cereris, laborem adumbrat, ſine quorum adminiculis, nulla belli eſt vtilitas. vt bellè ipſa docet imago. Nam Villo è præſepi Suſpenſo Lupino Bos, qui laboris, in agricultura, homini eſt ſocius: adeo inediæ etiam fit patiens, vt nunquam antè, quàm aut recedat Bos, aut Villus amoneatur cibum capiat. quid? labore tempore pacis: patientia tempore belli, res creſcunt vniuerſæ: atque vtriuſque præſidio ſimul, virtus optimè procedit militaris. Hæc ſunt incunabula artis bellicæ, quæ Philippus Macedonum Rex ex Martis Schala accerſiuit. Nam vbi Exercitum conſtituit, vehiculorum vſum omnibus interdixit: Equitibus non amplius, quàm ſingulos Calones habere permiſit: peditibus autem denis vnum, qui molas, & funes ferret: in æſtiua euntibus xxx. dierum farinam humeris portare imperauit. Homo enim laboribus impatiens, quia res eſt laborioſa virtus, cenſetur magis ad vitium, quàm ad

virtutem idoneus. Militi verò sine virtute, non magis arma, quàm Boui clitellæ videntur consonare. paratior enim est ad iustitiam, cuius gratia, belli disciplina inuenta est, exulcerandam, quàm ad sanandam. Itaq; Prodicus refert Herculem, vt primum sapere cœpit, exijsse in solitudinem, atque ibi sedentem diu secum, multumq; dubitasse, cùm duas dubias, & ancipites cerneret vias: vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi præstaret; at demum illam refugit, quia est insidiosa: hanc arripuit, quoniam nulla est, nisi virtutis, quæ in Cœlum tendat semita.

Quòd ibi ius vigeat bellicum, ubi timore tenetur stipatum. Elog. LX.

QVemadmodum in officio, ius: ita in iure retinet mortales vindictæ metus. quare illa in Principe, probatur vindicta, in qua ius neq; relangescit indulgentia: neq; effertur crudelitate. illa quippè qui labitur, condonando derogat legi: hac qui seducitur, legem nō colit obsequio, sed obruit scelere. Seueritate autem Iudex non sęuus redditur, sed semper verus. Nec enim supplicij fructus est pęna peccantis: sed peccati correctio, & medicina. in Argumenti figura, nec flos, nec color deest disciplinæ, *in qua libri spectantur Absynthio aspersi.* cum titulo. DISCIPLINA INCORRVPTA. Nam libri reconditi cum Absynthio, vt vestes neque à muribus attinguntur: neq; à tineis exeduntur: obest enim Absynthij amaror Bestijs: prodest hominibus. eius enim succus aluum abstergit, sensusque & oculorum, & aurium, qui duo sensus satellites sunt virtutis, & doctrinæ, maximè exacuit. quorsum? res est amara vindictæ pœna: salutaris tamen, & fructuosa: præsertim si ea ad paucos: terror eius ad multos pertineat. Hoc sentiens Clearchus Lacedæmoniorum Dux solitus est dicere Exercitui Imperatorem potius, quàm hostem esse timendum. signi-

ſignificabat autem eos, qui in prælio dubiam mortem timuiſſent: certam, ſi officium deſeruiſſent, manere cum dedecore. in quo vno Clearchi laus non eſt exigua. Nam qui in periculis neque ſuam, neq; amicorum vicem ſentit, is præ ſtupore, ſenſus omnes videtur amittere Virtutis. fit igitur, vt qui præclari ſint ingenij, omnes ferè in aliorum expiãda piacula, ſint efferueſcentes, & ſtomachoſi. Nam ex animi motu, celeritas clareſcit ingenij: qui nati omnes videntur ad imperãdum. Etenim optimus imperij cuſtos eſt metus. Itaq; Paulus Æmilius nocturnas vigilias ſine armis fieri, & inermes milites vigilare iuſſit, vt attentius ſomno, veluti quodam timore excitati reniterentur.

Quòd Prudenti Imperatori locus ipſe plus afferat præſidij, quàm ingens hoſtium numerus detrimenti. Elog. LXI.

QVia id omne ferè bene cedit, quòd ſuo fit loco, optimus in bello, Victoriæ Magiſter eſt ipſe prælij locus. Nullus enim hoſtis tam ferus eſt, & immanis, quem ipſe ſi ad artem accedat, non norit frænare, & domare locus. Nemo quippè in armis vincit, niſi qui facit, quod locus exigit: nemoq; ante rerum nanciſcitur imperium, quàm ei loci ſecundet obſequium. Argumenti extat imago, *& ſimilitudo per Aquilam, quæ Pilæ innitens oculos in Solem aduerſum habeat coniectos.* cum verbis. PRVDENTI VTRINQVE AVXILIA. duplex enim eſt mũdi globus Elementaris, & Cæleſtis, quo qui nouit vti, nihil ex ipſo mundi globo poteſt capere incommodi. Non inane eſt Lacedęmoniorum teſtimonium. Nam quòd ex ijs trecenti tãtum, contra innumerabilem Perſarum multitudinem, loci beneficio freti, manus conſerere nõ perhorruerint, res magni fuit animi: quòd verò vicerint, ſumma loci occupati gloria. Thermopylas quippè occuparant, quarum anguſtiæ non

amplius, quàm parem numerum cominus pugnantium poterant admittere. Hac arte facti in congressu cum hostibus numero pares: eis non difficile fuit hostes, quibus erant virtute superiores, trucidare. cui igitur in Bello ars non deest loci deligendi, ei virtutis sic aspirat afflatus, vt vix incussum contra impetum hostium, vlla nota faciat.

Quòd simulans in Bello fugam, sæpè hostem euertat insequentem. Elog. LXII.

RES est, in secunda Belli fortuna, periculosa, hostem sequi fugientem. Nam & sæpè insidiosa est fuga, nunquam appetenda. Itaq; Lycurgus suis cauit legibus, vt qui Imperator hostem prælio fudisset, cedentem minimè occideret. idq; duplici ratione: vna, vt hostis in fuga spem poneret salutis, paratiorq; esset ad fugiendum, quàm ad pugnandũ, altera ne miles per insidias ab hoste falleretur fugiente. Nã vbi Imperator hostem maximè fuco molitur perdere, ibi vt plurimum hosti solet cedere. *Rei eius species, & color cernitur imagine Scarabei, qui se submittat Aquilæ*. cum verbis. NON CEDIT: SED CÆDIT. Scarabeus enim cedendo clam se implicat Aquilæ pennis, dum in alitis nidum inferatur, ex quo, vbi locum dedit Aquila, mox de sublimi eius præcipitat Oua. Quorsum? cauendum est ab ijs, qui facilè in conflictu cedunt. Nam id faciunt, vt eos perdant, quos cedendo videntur refugere. Vetus est Romuli non solum auctoritas, sed etiam exemplũ. Hic enim per latebras dispositis insidijs, cùm fidenas inuasisset, simulata fuga, hostes temerè insecutos, in ipsas, quas tetenderat, perduxit insidias. sic eos effusos, & discipatos vndequaq; adortus antè oppressit, quàm plagas, in quas inciderant, potuerint cognoscere. Nec fuit Romulo in simulandi artificio Q. Fabius

Maximus diſſimillimus. Auxilio enim Sutrinis miſſus aduerſus Hetruſcos, vbi res collatis ſignis decerneretur, hoſtium copias omnes in ſe conuertit: deinde quaſi timore percitus, in locum editum, ſimulata fuga, ſe recepit. At ſtatim deinceps in ſubeuntes hoſtes irruens, nō aciem ſolum ſuperauit, ſed etiam caſtris exuit. quid? quia perſona ſine fide eſt hoſtis, ſemper in Bello aliud debet, quàm quod facit, machinari. Quare boni Imperatoris eſt etiam in ſuo Exercitu, ſi fiant perfidi, & trasfugæ, eos laudare, atque aſſerere id fieri ſuo iuſſo. ita enim illos apud hoſtes, reddet perfidiæ ſuſpectos: reliquorumq; militum defectionem, vt Tullus fecit, reddet irritum.

Quòd hoſtile conſilium nunquam Imperatori non debeat eſſe ſuſpectum. Elog. LXIII.

HOſti non rara, ſed nulla fides eſt habenda: nec parua ab eo, ſed ſumma timenda ſunt mala: in quibus repellun tur facilius aperta, quàm cauentur oculta. Nam qui vincit conſilio, non poteſt non vincere viribus. *id loquitur etiam muta, & elinguis imago, quæ Rhinocerontis iuxtà Colum iugulati figura exprimitur.* cum verbis. ROBVR IMPAR CONSILIO. Hæc enim bellua etſi eſt immaniſſima, nec vi vlla poteſt capi: capitur tamen ab imbelli virgine, quæ in loco ſedēs deſerit vocem modululādo tollit in auras: haſtulaq; peracuta vtitur pro colo, ex qua fuſus pendet cum ſtamine. Nam eius voce, & ſpecie ſic permulcetur Rhinoceros, vt omni depoſita feritate, ad puellam accedat, ſtatimq; in ſinu puellæ, & gremio grauiſſimo obruatur ſomno, ex quo à puella nullo negotio, illa ceditur Beſtia, quæ ne ab Elephante quidem vllo hoſtili impetu poteſt ſuperari. quorſum hæc? non obſcurum eſt naturæ teſtimonium: & apertum, atque euidens exemplum exiſtit mortalium, ſem-

per eum in armis vincere, qui pollet consilio. Itaque Arabum cum iam explorata hostibus esset consuetudo, qua de aduentu inimicorum, interdiu fumo: noctu igne significare instituerāt: mandauerunt, vt sine intermissione ea facerent, aduentantibus verò hostibus, ea intermitterent. Hac calliditate consilij, eis res cessit feliciter. Nam hostes cessantibus luminibus, existimantes ignorari aduentum suum, auidius ingressi per insidias, sunt oppressi. fallit igitur hostis dum licet: optat verò vt semper liceat. in quo nisi temporis, loci, occasionis, & personarum obseruata ratione, tota ars fallendi redditur inutilis, vel etiam, vt docet Polybius, ipsis auctoribus noxia, & periculosa.

Quòd vix vlla sit ars vincendi, quæ non sit artificio simulandi erudita. Elog. LXIV.

Aliud in Bello est fallere: aliud mentiri: aliud prodere. Nam qui fallit, non dat fidem, sed eludit: qui verò mētitur, quam habet venalem, accipienti non præstat fidem: qui autem prodit, ius omne cum fide euertit. Hoc malitiæ tantum: illud, atque alterum inter hostes, artis magis esse videtur. Etenim nec verum quis hosti tenetur dicere: nec quod res est reuelare: sed artis velare inuolucris, & ita vt alia res aliud, quàm quod est, semper appareat, figurata, & quasi animata: Spectatur arguměti imago per *Lampadem ibi accensam, ubi omnis adsit colorum varietas*. cum titulo. HONESTVS VERI FVCVS. Nam si viridis existat Lampas vitrea, & perlucida, vt pertranseuntes radij medij, colore inficiantur, & oleo infundatur viridi, atq; lychnus eiusdem fiat coloris. Hæc quandiu in tenebris ardebit, tandiu omnia quæcunque aderunt, sine discrimine, præ se ferent virorem. sed quid ego hæc? non solum honestæ, sed etiam iucundæ sunt, quæ in Bello, hostium sensibus

fiunt

fiunt præstigiæ. in quo præter Imperatores cęteros, laudatur Annibal. Nam vt reliqua omittam, ad Trasimenum, cùm arcta, & angusta quædam via à radicibus montis, in campos apertos tenderet, hostem Romanum à vero sensu abalienauit. etenim quasi territus fuga simulata, eo tramite in campum patentem euasit, ibiq; castra posuit, nocte verò dispositis insidijs, partim per collem, qui imminebat, partim in lateribus angustiarum, prima luce, obscura quoq; nebulę caligine adiutus aciem direxit. Flaminius interea suorum tollebat animos, atq, veluti fugientem hostem insequens, statim loci angustijs interclusus nec ante prouidit insidias, quàm à fronte, & à tergo atq; simul à lateribus circunfusus ad internecionem cum Exercitu cæderetur. quid igitur? ne dolus armatorum manum euertat, vnicū aduersus hostem munimentum est diffidentia. ignorat enim pugnare, qui, veteri prouerbio, nescit Vulpinare cum Vulpe. quoniam itaq; facile is proditionis nomine suspectus est, qui hoste vtitur familiariter: boni est Imperatoris curare, vt quos inter hostes in primis timeat, aliqua sibi cum eis deliberationis ergo, intercedat consuetudo. ea enim arte Annibal redditus est Regi Antiocho suspectus.

Quòd Imperatoris sit quos hostibus mouet risus, conuertere in gemitus. Elog. LXV.

ET Bestia, & homo spe aliqua oblectatus facilè decipitur. Nam multi spem, quę vix vnquam est sine fuco, & fallacia: pauci officium, in quo ingenuus color est veritatis, sequuntur. Quæ igitur hosti in Bello, spes ostenditur, magna est fraudis illecebra: fraus verò, vt plurimùm Victoriæ magistra. Quare in Imperatore fons, & caput gloriæ, in eo maximè consistit, vt ibi hostis gestiat, vbi ei sit ingemiscendum, ibiq;

audeat,

audeat, vbi res, locusq; postulat, vt timeat. *Aspersa sunt suo colore argumenti pigmenta, per Pauonis, in fastigio domus, pupillantis imaginem.* cum verbis. EX CANTV MÆROR. Nam Pauo, vt scribit Paracelsus in libro de Præsagijs, siue vt interpretor, de Superstitione veterum; si extra consuetum sibi à natura tem pus præscriptum cantat, mortem præsagit Domini. Non est igitur difficile ex ipsis pigmentis odorari, quàm res sæpè sit infausta, qui ab hoste hosti fit concentus, & consensus, quàmque insidiosa sit spes, quæ ostenditur. Testis est Memnon Rhodius, cùm enim in nauali Bello haberet ducentarũ nauium classem; is ne hostem terreret sua multitudine, vel potius, vt ei animũ ad pugnam adderet, ita classem constituit, vt pauci nauium má li, cęteris demissis apparerent: hostes autem procul conspicati paruum arborum numerum, & ex eo nauium quoq; paucitatẽ esse existimantes, certamen non recusarunt, imò gestientes prouocauerunt, qui inde à pluribus circunuenti, non sine magna strage sunt superati. Arte igitur in Bello, tegenda est simulatio. Nam suspitione quod caret, fraudi est opportunum.

Quòd Imperatori res sit æquè formidolosa hostium desperatio, atque audacia. Elog. LXVI.

DVo Imperatori ab hoste sunt semper cauenda, desperatio, & audacia. Illa enim fortes ex timidis. hæc ex victis victores sæpò facit. Ita quippè natura comparatum est, vt è dolore sæpè eundat, qui doloris est impatiens. *id Cerui pictura notat, ex imago, qui Spiculo transfixus Herba Dictamũ ore teneat.* cum dicto. NATVRA LÆSIS MEDICINA. Hæc enim animans, etsi est timidissima, ex accepto tamẽ vulnere, & salutem, & animum simul recuperat Dictami præsidio. quid? natura timidissimus quisque fortis redditur ex desperatione.

tione. Præclaram eſt Annibalis: non obſcurum C. Cæſaris teſtimonium. ille enim ad Traſimenum cùm incluſi Germani eſſent, atq; præ deſperatione, acerrimè pugnarent, deductis ordinibus, ei abeundi poteſtatem fecit: quos inde ex deſperatione ad ſpem redeuntes ſtrauit, ſine ſuorum ſanguine. Hic verò itẽ Germanos vitæ, & ſanguinis propter deſperationem, non liberales iam, ſed prodigos, cùm inſanire magis, & furere videret, q̃ pugnare, ijs fugiendi copiam fecit, fugienteſq; perſecutus, ſine ſuorum cęde omnes concidit. Sapienter quidem vterq;. Nam contra deſperatum hoſtem, & æque ad mortem, atq; cędem paratum, non niſi plurimo ſanguine emitur Victoria.

Quòd Hoſtis deſperatus, quia in extrema ſe immergit pericula, ſit cauendus. *Elog.* *LXVIII.*

ACres duo ſunt ad pugnam aculei, & ſtimuli, ſpes, & deſperatio. Nam illa animo integros: hæc lapſos ad prę lium incendit. Nec ſolum ex deſperatione redintegratum timidorum animus: ſed etiam earum rerum, quæ nullæ ſunt, manat copia. Imago conſtat ex *Arbore Citrina, quæ Pruni ſurculo ſit inſita*. cum verbis. ADERVNT NON SPERATA. Hęc enim planta Pruna tam hyberno, quàm eſtiuo tempore feret. Arbor enim hæc toto anno perpetuæ cùm ſit fecunditatis: fructus ſemper, vt docet Didymus gignet ſubnaſcentibus alijs, & tempeſtiuis, & tardius. quid? quod nefas eſt à natura ſperare: id ſæpè ſolemus alia via extorquere: ſicq; ſolent animo, prę timore lapſi, animum in deſperatione recuperare. Quare Imperatori eſt ſtudendum, vt ſemper cum timido: nũquam cum deſperato Exercitu manus conſerat. Vetus eſt Themiſtoclis diſciplina. Nam victo Xerxe volentes ſuos Pontem rompere, prohibuit ne facerent: docuitq; tutius eſſe eum extrudi ex

Europa,

Europa, quàm cogi ex desperatione pugnare. ad eum igitur misit, qui indicaret, in quo teneretur periculo, nisi fugam maturaret. Quocirca etsi nunquam, vbi res ferat hosti tetror non est infligendus, est tamen semper desperatio cauenda. siquidem res militaris est à natura: præter naturam autem desperatio. Nam cur neq; latrones, neq; prædones hostes dici possunt: nec qui ab ijs capiuntur eorum serui? quia militia omnis cùm sit ex iure gentium, impatiens est iniuriæ. itaq; hostes, vt definit Vlpianus erant, aut quibus Populus Romanus: aut qui Populo Romano Bellum indixerant.

Quòd ante pugnam hostis metu sit etiam inani ad labores, & vigilias solicitandus. Elog. LXVII.

NIhil est neq; in hoste detestabilius: neq; in milite gloriosius timore. Hostis enim timidus, vbi nihil est mali, ibi sæpè plurimũ solet excruciari: magisq; in ocio secum, quàm in conflictu, cum inimico digladiari. Miles verò dum non periculum, sed dedecus timet, in timore omnia conglobata tenet virtutis bellicæ præcepta. Est igitur boni Ducis, hostibus periculi: militibus infamiæ terrorem excitare. Licet id non solum ex artis militaris præceptis audire: sed etiam in veterum monimentis, sua figura expresum videre. *Ciconiæ imagine anguem rostro tenentis.* cum inscriptione. EX TIMORE VICTORIA. Hæc enim Ales tam seuerè contra Serpentes militiam exercet, vt æque à suo alitum Exercitu, atq; à Serpentibus velit timeri. Nam omnibus rostro tanquam classico ad regiones purgandas conuocatis, quæ nouissimè aduenit, cæteræ tanquàm ex ducis edicto, eam discerpunt, & lacerant, & ita vt reliquæ tarditatis vindicta perterritæ, ad omnes difficultates promptæ reddantur, & expeditæ. Quiaque horridiora sunt magis,

magis, quæ sunt improuisa, hæc ales siue discedat, siue adueniat, id nocturnis facit temporibus, atque adeo scitè, vt nemo adhuc mortalium eam viderit, vel ad nos aduentare, vel à nobis discedere. sola quippè alitum, quæ gregatim volant, noctu videt, quæ terrori est non videntibus. quorsum? postulat ars, & institutum rei bellicæ, vt hostis etiam ante pugnam maximè conflictetur terrore. Testis est Titus Quintius Cos. Nam cùm Valsci Castra aggressurus esset, cohortem tantum in statione detinuit, reliquum Exercitum ad quiescendum dimisit, æneatoribus imperauit, vt vallum insidẽtes Equis circum irent, tumultu, & tubarum sonitu horrida omnia crepantes. Hac belli inferendi facie, & simulatione cùm detinuisset per totam noctem hostes, non vigiles, sed etiam circa plurima laboribus distentos: prima luce rerum oneribus, & vigilijs fractos est adortus. facta igitur eruptione eneruatos, & trepidantes simul nullo negotio vltrò ruentes prostrauit. Præclarum quippè est scire ab ipso hoste suppecias capere, atq; fraudem, qua hallucinantur, auxilij loco habere. Quare nunquam non frangendæ sunt ante prælium vires hostium: semper contra militum, vt consueuit Philippus Rex Macedonum, ante, quàm vel iter, vel pugna ineatur, reficiendæ.

Quòd Imperator fictis interdum auxilijs vti norit, pro veris. Elog. LXIX.

VT animus militibus adderetur, lex olim erat Athenis, qua cauebatur, vt eorum filij, qui cecidisset in Bello, à Rep. alerentur dum ętas ferret: deinde armatura, muneribusq; donati, cum paternæ virtutis encomio ad suos mitterentur. Itaq; apud eos sic vigebat rei Bellicæ, vt non periculum in Bello, sed culpam timerent: studerentque pugnare cùm hoste

hoste inferiore, sæpè aperto marte: cum superiore nunquàm nisi occulto. Nam pauciores numero, & inferiores viribus, interdum facti sunt artis præsidio, superioribus pares. Non mutum & elingue redditur Insigne per *Columbam, quæ ramusculum Rutæ Syluestris gestet collo alligatam. iuxta aufugientem Mustellam.* cum titulo. TIMOR SVFFICIT. Mustellæ enim natura adeò Rutam perhorrescunt, vt si appensa fuerit Columbarijs, eius odore territæ prohibeâtur in Columbaria adrepere. quid? hosti plus interdum officit mali suspicio, quàm ipsum malum. docuit id aliquando Phares Dux Atheniensium. Etenim cùm expectaret auxilia, & vereretur ne interea contempta suorum paucitate, ab hoste castris exueretur: plurimos ex suis militibus, per aduersam partẽ nocte missos iussit, qua præcipuè conspicui essent hostibus, redire in castra, & nouarum virium speciem præbere. Itaq; Simulatis auxilijs hostem remoratus est, donec instrueretur veris, & expectatis. ex quo intelligimus Imperatoriam Virtutem ea arte esse delibutam, quę potest hostibus spem modo concitare: modo ab inceptis animo elatos metu reuocare. Annibal igitur, vt refert Polybius, cum grande aliquid machinaretur cõtra hostes, tum solet in hostium Exercitu, famam spargere sui interitus, aut infirmitatis.

Quòd ex occasione res difficiles reddantur sæpè faciles, & expeditæ. *Elog.* LXX.

EA, quæ vulgò fieri posse negantur, nullius rei pręsidio fiunt facilius, quàm occasionis. In Bello igitur, vbi manu confligendum est, non exiguum auxilium ex loci: magnum ex temporis: summum verò ex occasionis beneficio accersendum est. Nihil enim est tam difficile, quod ei non reddatur facile, qui vti nouit occasione. Insigne & monimen-

tum

tum vidi in textili pictura figuratum *per Cicadas ex Arbore, Sole ardente canentes.* cum verbis. NIHIL OCCASIONI DIFFIcile. Etsi enim Cicada ore, spiritu, faucibus, & lingua caret, sine quorum adminiculis cantus nullus edi potest ab animantibus: nouit tamen aculei occasione modulari, quo tãquam plectro Cithara, tota cum omnium admiratione, redditur sonora. quorsum? sunt rerum omnium momenta, in quibus occasio residet rei bene gerendæ, obseruanda. idq; in Bello potissimum. Testis est Aristippus Lacedæmonius. Hic enim cùm Tegeam vi nequiret expugnare, ansam accepit vrbis ineundę ex quadam religionis celebritate. Nam festo quodam die, quo Tegeatarum omnis multitudo ex vrbe effluxerat, ad celebrandum Mineruæ Sacrum, iumenta saccis frumentarij palea refertis onerauit, onustaq; per milites Tegeam misit, qui negotiatorum specie in vrbem dimissi, portas inde Aristippo, eiusq; copijs aperuerunt. Quid? res est, in tempore, dolus ingenij: artis dolum occultare: hostem vtroq; euertere, gloriæ. Nec tamẽ adeò in Imperatore ingenium laudatur, quàm in Teagetis stupor, & ignauia reprehenditur. Nam quæ vrbs, in Bello, frumentum nõ sibi comparat necessarium: ea vincitur sine ferro, suoq; absorbetur abdomine. Quare non solum fortis, sed etiam prudens sit oportet Princeps, fortis quia Principis fuga in armis, integram hosti relinquit victoriam: prudens quoniam paruis occasionibus, & insperatis ab hoste oblatis, vel eripi tota, vel cõminui potest vis Imperij.

Quòd fames hostes magis euertat, quàm ferrum. *Elog.* LXXI.

ILla demum inexpugnabilis est ciuitas, quæ arte simul, & virtute tenetur cicumuallata. Siquidem nec ars dolo decipi: nec virtus vlla vi cogi potest. sententiæ color, & facies *in figuris*

expri-

exprimitur Cephali, & Mugilis imagine. cum verbis. NEC FERRO: NEC FAME. Cephalus enim fame cogi non potest, quia suo se mucore sustentat, atq; ieiunitate potius, quàm cibo uescitur: Mugil autem & ferri vim, & dolum arte quadam eludit. Scit enim in esca hamum, insidiasque latere. itaq; cibos cauda citra periculum excussos tuto capit. sed ne memoretur insigne, qui hostis ferro non potest: sæpè expugnatur fame. exẽplum est Fabij Maximi. cùm enim hostes summo societatis fœdere inter se essent coniuncti, nec armorum vi possent deleri, is vastatis Campanorum agris, ne quid ad obsidionis calamitatem superesset, recessit tempore sementis, vt frumento quod reliquum erat, satione absumpto, hostis grauiori conflictaretur egestate, & inopia: reuersus inde ineunte vere nata protriuit. fame igitur oppressi, qui ferro non poterant domari, in Imperatoris, & ditionem, & deditionem venerunt. quid facias in re tam varia, & ancipiti? cum hoste tam vafro, & versipelle? qui omnia pericula timet, nihil aggreditur: qui nulla, facilè perditur. Magna cæpta cum magnis periculis sunt coniuncta: nec statim rerum totus euentus, aut exitus percipi potest. quid igitur? præstat vt Xerxes, apud Herodotum loquitur, pro virtute, periculi, quàm virtutem, pro periculis, non curare.

Quòd Imperator in Bello nunquàm id minus faciat, quàm quod molitur. Elog. LXXII.

ILle demum in armis bonum se præbet Imperatorem, qui videt in tenebris, auditq; in silentio, & facit interdum, vt non tam præsens abesse, quàm absens adesse videatur. eius quippè est tanta arte, & industria hostium consilia inuestigare, vt nihil intelligendo, omnia intelligat. Suo id pigmento coloratur *per Arcis fenestram, quæ Pyramidi forma ad corradiantem Solem sit*

expo-

exposita. cum titulo. VIDET NON VIDENDO. plena est Imperatoriæ virtutis, & gloriæ figura. Nam si loci alicuius spiraculis omnibus obturatis, fenestra tenebrato pariete in rotundę Pyramidis formam sit extructa, cuius basis Solem: conus verò cubiculum aspiciat: sintque è regione parietes albi, fit, vt in secessu quis omnia conspiciat, quę foris aguntur: nec minus, quàm Sol ipse in platea videat. Sapit hoc insigne Imperatoriã prudentiam. Nam Romani iccircò suos Imperatores vocabant Prætores, vt admonerētur hoc suo nomine se æq; in Prætorijs quid leges, atq; in armis, quid iura militaria exigant, procul debere videre: in quibus oĩbus singulare lumen requiritur, nõ Solis, sed prudentiæ. in quo laudatur, in primis, Pericles Atheniēsium Dux; sic .n. in armis se gerebat cum hostibus, vt oĩa ignorãdo, nihil ignoraret. in oppugnatione igitur Ciuitatis, cùm eã vi capere non posset, commentatione ludicra expugnauit. Nocte .n. ab ea parte murorũ, quæ Mari adiacebat, classicũ cani, clamoremq; tolli iussit, quasi in eam partē impetus omnis rueret, & impressio. Hostes perterriti dũ feruent, feruntur q; amentia, existimantes illac in oppidũ accessum patere, relinquũt portas, per quas Pericles destitutas præsidio, irrupit: Hoc igitur ingenij splendore, quo sola illuxit Victoria, ex illa belli flãma, periculoq; euolauit, atq; periculum omne in hostes retorsit, alio alios multans supplicio. Quanquã .n. Transfugæ, & perduelles sunt puniēdi, non tñ ea pęna, quæ, vt videre est apud Thucydidē, aut consilio lapsos in desperationē adigat, aut alijs talē Principē esse persuadeat, à quo nulla delicti venia impetrari possit.

Quòd acria, & acerba sæpè in Bello, sint negligenda.
Elog. LXXIII.

SEmper ferè alio gradu virtus militaris: nunquam non eadem semita procedit. Nescit enim de via prudentiæ, quæ

rerum agendarum,& vitãdarum est magistra, deflectere. Itaq; Hostes modo voluptate: modo dolore seducit: facitque, vt pro consilio, fucum capiant consilij. Adumbratur *id Hirci imagine Planta Rutæ in horto, cæteris corrosis*. cum verbis. PERDIT INCONTINENTEM. Nã Ruta Hirco: virtus militaris incontinẽtia Militi est exitialis,& perniciosa. sola igitur, inter plantas, cęteris exarescentibus, vita superat. Hæc quia à Hirco nõ attingitur: illæ qm̃ quicquid Hircus in Horto momordit, id omne interit. quorsum? gustũ non habet virtutis militaris, qui est incõtinens, quiq; stare nescit in cõsilij claustris, sed opinione potius seducitur, q̃ ducitur ratione. exemplũ est Thrasybuli Milesiorũ Ducis. Hic .n. vt portũ Sycioniorũ occuparet, ad pugnã terrestrẽ oppidanos irritauit. omni igitur è Portu, tanquã ad periculi grauitatẽ, ascito milite, eũ, cõuersis in classem militibus, occupauit. Quare non sunt, in Bello, pericula, ex hostiũ fide curãda. Nam hostis simulandi artificio eruditus, nihil sæpè magis solet, in Bello, affectare, quàm quod maximè videtur negligere. quid? nunquam non acerbè,& crudeliter contra hostes: semper benignè, & liberaliter erga subditos agendum est. Nam cùm Imperatoris vis omnis in obtemperantium conspiratione, & consensu sit posita, Cauendum est Imperatori, vt apud Liuium Centuriones Appio responderunt, ne milites contra se nimia irritet sæuitia.

Quòd Imperator res difficiles cedendo, faciles sæpè reddat, et expeditas. Elog. LXXIV.

MAlorum pessimum est, quod in Bello, capitur ab hoste beneficium. Nam cùm grata, optataque amico facit, tum maximè fundamenta iacit cladis eius,& exitij. figuratur in pigmẽtis iudicium,& insigne, *per vterum Leporinum*

Vesti

Vesti muliebri annexum. inſcriptione addita. MORS, ET VITA. Nam ea natura eſt vterus Leporinus, vt ventri mulieris impoſitus ante rem veneream, valeat ad conceptionem, poſt verò conceptionem, partum abigat. Quare animaduertendum eſt, cui quid detur. Etenim idem alteri ad vitam: alteri ad exitium ſæpè porrigitur: fitq; vt grauiter noceat, quod beneficij loco habetur. exemplum eſt memoria dignum Ageſilai Lacedæmoniorum Ducis. Nam cùm Phocenſes obſideret, intelligeretque eos, qui in præſidio erant, teneri patriæ, & ſuorum deſiderio, atque Ciues pariter grauari exterorum militum incommodo, fecit inimicis morem gerendo, vt inimicos maximè profligaret. Paulum enim regreſſus, tanquam aliò ab alijs pręmentibus negotijs retractus, copiam abeundi obſeſſis fecit, non multò poſt reuerſus, Phocenſes præſidio deſtitutos, non minus facilè, quàm glorioſè debellauit. Nec Phocentium ſocij tamen bellum deſtiterunt redintegrare. Nam conſtantiæ eſt poſt cladem acceptam, hoſti non ſtatim cedere: ſed vrgenti fortiter reſiſtere, atque collectis viribus illi obuiam ire. Siquidem Romani, quemadmodum tradit Polybius, nulla clade cogi potuerunt, qua propè ſæpè reſtincti fuerunt, quin ſemper Carthaginenſibus forti animo reſiſterent.

Quòd non minoris artis ſit hoſtem de ſententia, quàm ex arce munitiſſima, detrudere. Elog. LXXV.

VBi hoſtis proſpero fortunæ flatu vtitur: ibi reflare vidētur, qui ſecundi ſunt Venti ab armato inimico. Nam ita natura comparatum eſt, vt contraria infringantur contrarijs. Quare Imperatoris eſt ſemper hoſti mentem inanem ingerere, quò nihil minus, quàm quod velit, moliatur.

Nihil autem eſt tam incredibile, quod arte non reddatur probabile. effigies, & ſimulacram *conſtituitur Amphoræ inuerſæ imaginæ, quæ ſit vitrea, & colli prolixi, quo aquam attingat in æneo vaſe feruentem*. cum titulo. PRÆTER OPINIONEM. Etſi enim inoleuit apud omnes ſententia hæc, plurimis rationibus inueterata, quòd grauia tendant deorſum: Amphora tamen ſic cōpoſita aquam abſorbet efferueſcentem: & ita, vt ſurſum cernatur tendere. quid? hac imagine admonemur omnia naturæ: naturā verò arti cedere: nihilq́; Imperatori, qui arte vigeat, eſſe difficile, hoſtem ſua opinione fallere. Idq́; olim Galli ſenſerunt, Populo Romano Magiſtro. Nam Romani, Capitolio ab ijs obſeſſo: in extrema iam fame, Panibus hoſtes inſultātes, quaſi telorum inopia appetiuerunt, ſignificātes ſibi arma magis ad præliandum, q̃ Commeatum ad vitam trahendā, deficere. ſicq́; in ipſa fame, & inopia profuſionem ſimulando, famem, & inopiam vitarunt. Hac enim arte, & Galli decepti conſilium abiecerunt obſidionis, & Romani faces incenſas ad vrbis exitium, reſtinxerunt. Quoniam igitur in armis, neq; robur valet ſine conſilio: neque conſilium, ſine robore: conſueuit Liſander dicere, Imperatorem æque Vulpis, atq; Leonis exuuio indui oportere, vt alterius audacia hoſtes perterreat: alterius aſtu non tam decipiat, quàm capiat.

Quòd Imperatoris ſit non adeò ſuum tegere, quàm Hoſtium detegere conſilium. Elog. LXXVI.

NIhil magis hoſtem in Bello debet latere, q̃ conſiliū Imperatoris. Nam conſilij prudētia, niſi deliteſcat, fabula redditur ſine argumēto, & exitu. Quare Imperator oīa ignorat, q̄ nō nouit ſimulare: nihil cōtra nō intelligit, qui ī armis ſimulādi artificio eſt eruditus. Hic .n. ſolus nouit in intimos hoſtiū ſenſus penetrare, atq; qđ appetit inſerere. *Inſignia, et* lumi-

lumina ſpectantur *Amygdali imagine expreſſa, quæ Amygdala gerat literarum notis inſcripta*. cum verbis. NESCIVNT LATERE. Siquidem Amygdala ſi per biduum, aut triduum, vt ſcribit Democritus, ſint macerata, indeq; leuiter teſta fracta, in nucleis aliquid ſtylo acuto exaretur, non nihil profundè, atque mox linteolo claudantur, adulta ex eo ſemine arbor, inſcriptos dabit fructus, fietq; quod ſub teſta latet, perſpectum, & cognitum. Quorſum? Sapientis eſt in Bello noſce, & recondita enucleare, & enucleata recondere. Teſtimonium eſt C. Lælij. Hic enim ad Syphacem profectus legatus, quoſdam ex tribunis, & Centurionibus ad formam, & figuram domeſticæ ſeruitutis, exploratores vnà ſecum duxit: inter quos L. Staterium, quia ab hoſte quodammodo videbatur recognitus, accepta occaſione, plurimis plagis affecit, atque occultandæ conditionis cauſſa, inhoneſta omnia crepans fecit, vt tanquam ab Hero malè acceptus, ab hoſte humanius exciperetur: omniaq;, & videret, & audiret, quę populo expediebant Romano. ſed quid ego hęc de C. Lælio? quia in Bello prodeſt: ſemper in Imperio prodeſt ars ſimulandi. Nam vbi Reſp. ex parua fit magna, & ex tenui, diues: ibi in ea, & ſimultates ciuium inter ſe, & ambitioſa de Principatu certamina, ac denique ſeditiones, vt ſcribit Polybius, oriri ſolent.

Quòd nihil faciendo, acerrimè ſæpè agat Imperator.
Elog. LXXVII.

QVoniam ea res feliciter cedit, in armis, quæ in hoſtium ſuſpicione minimè cadit: non tam vtile eſt ſæpè hoſtem vi frãgere, quàm glorioſum, inopinatum opprimere. Nullum quippè eſt virium robur: nulla præſidij ſedes: nullus hoſtium impetus, qui ab Imperatore non infringatur, ſi

consilium modò norit fuco tegere. Est argumenti color quadã venustate *diffusus, Imagine Crocodili iuxta Nilum iacentis*. cum dicto. PIETAS INSIDIOSA, ab animantis fraudulentia intelligimus nihil fraudi posse reniti. primum quia Crocodili lachrymæ veteri Prouerbio, in eos quadrant, qui cùm maximè nocent: id agunt, vt prodesse videantur: deinde quoniam dum vitam agit, nullum finem crescendi facit. Astu tamen magis, q̃ viribus freta persequentes fugit: fugientesque ante blandè tractat, quàm deuoret. quid? est fallacia in Bello, magni præsidij loco. Itaq; P. Scipio in Hispania cùm conspiceret Asdrubalem Pęnorum Ducem Ieiuno Exercitu, in aciem mane processisse, is quasi timidus suos in horam septimam cõtinuit milites, quibus imperauit, vt cibo firmati darent se quieti: cùmque hostes inedia, siti, mora, atq; armorum incommodis defatigati Solis æstum amplius ferre non possent, seque iam conarentur in castra recipere: tum subito copias eduxit, & commisso prælio vicit. Quare nihil est hosti, sapiente Imperatore formidabilius. Nam solus ipse sibi sufficit, quando eius sunt quæcunque hostium sunt bona. Etenim cùm ita hostes ui fatuet, vt ijs quæ sunt minimè videantur, & maximè videantur, quæ non sunt, illos omnes quò vult ducit, & vnde vult deducit. quid multa? fraudulentus in hostes Imperator, beneuolus in suos milites sit oportet. Beneuolentiam autem militum Imperatori conciliat benigna esculentorum distributio: partitioq; ab eo inter milites facta, ad eos aut viritim, aut turmatim è sua mẽsa missa: vel ad cęnam eorum cũ Imperatore, vt refert Xenophon inuitatio.

Quòd Milites, Imperatoris, non Imperator militum vti debeat consilio. Elog. LXXVIII.

NIhil est neque domi: neq; Militiæ potius consilio. Nam in prospera fortuna, est ornamentum: in aduersa malorũ

om-

omnium remedium. Quoniam autem Imperator mens eſt totius Exercitus: Imperatoris verò corpus Exercitus, res eſt infauſti ominis, Imperatorem militum: nō milites Imperatoris auſcultare conſilio. Nam Imperatoriæ Virtutis eſt tantum, in armis viros procreare. pigmenta in regijs tabulis ſpectantur, in quibus *Gallinarum Oua ſunt fimo tuſo aſperſa*. cum dicto. BIS NASCI GLORIOSVM. Oua enim ſubſtratis pennis, & circumpoſitis in Catino, ſi collocãtur, ita vt turbinatior pars Ouorum, ſurſum emergat, atq; vicenis quatuor horis, alternis vicibus, reuoluendo innouentur, vbi bis deni dies lapſi fuerint, pulli ſine matre rimis fatiſcunt. Quid? non magis Pallas ſine matre ex cerebro Iouis eſt nata: quàm viri ex conſilio Principis. vt enim duplex eſt pulli ortus, vnus ex matre: alter dum ex Ouo excluditur: ita Mares, bis cēſentur naſci, ſemel natura, qua ignaui, iterum virtute, qua viri redduntur, quaq; detracta, viri eſſe deſinunt. Cùm igitur Imperator in Exercitu faber ſit virorum, ſemper Miles Imperatoris: nunquam Imperator militum ſtare debet iudicio. Non obſcurus teſtis eſt Cn. Pompeius. Nam cùm miles ei minaretur ſe pecuniam erepturum, quam ferret in triumphum, atq; proinde Seruilius, & Glaucia hortarentur, vt eam diuideret, ne ſeditio fieret: affirmauit non triumphaturum ſe, ſed potius moriturum, quàm vt ſententiæ ſuccumberet militum. Non enim baculus ſolum Imperij eſt Imperator, ſed etiam dignitatis, & conſilij publici. Nec vllum maius boni Imperij eſt firmamentum, quàm ſi alij Principis: non Princeps aliorum nitatur conſilio.

Quòd Imperatoris ſit Artem ingenio: difficilia omnia arte ſuperare.
Elog. LXXIX.

MAgnum eſt Imperatoris encomiū alios, & docere, & dedocere. Nam plura ferè in Bello, ſunt reſecanda, quàm

inſerenda. Quare non minus interdum glorioſum eſt Imperatori clara obſcurare, quàm obſcura illuminare. eſt in pictis tabulis imago, veluti quidam ſententię vultus, *in qua paries exiſtat cui faces duæ adhæreant, quarum vna reſtincta ſit, altera accenſa.* cum titulo. AD VTRVMQVE PARATVS. Nam Corębus aliquando apud Peloponneſum Populum, vt oſtēderet Imperatoriū eſſe hoſtes fallere ſimul, & erudire. ſolet facem accenſam aduerſus parietem reſtinguere: moxq; reſtinctam ex eodē pariete, quem leuiter tangebat, accendere. id cùm nemo pręter Corębum præſtare poſſet, prodigij loco ponebat Populus. At re tandem deprehenſa, animaduertit id non eſſe difficultatis: ſed polituli, & limatuli ingenij, facere, vt omnes admirarentur, quod prorſus vacaret admiratione. Nam parietis parte ſulphure clam illita, nemo, re incognita: ipſe facilè parieti admotam accendebat facem, quia tangebat metam. quid? Imperatoris eſt, & ſcire, & facere, quæ nec ſciunt, nec faciunt homines cæteri. Quare ad præclarum facinus, Imperatori vnius diei vſura ſufficit: vniuerſis militibus plurima vix ſufficit ætas. id exemplo magis, quàm voce docuit aliquando Poſthumius Conſularius. Nam quod totus nunquam effeciſſet Exercitus, id ille breui quaſi temporis abſoluit momento. In dubio quippè, & ancipiti Marte, cùm milites ſæpè, ac diu cohortaretur, interrogatus demum à militibus quid imperaret, vt me reſpondit ſequamini: arreptoq; ſigno hoſtes primus inuaſit, quē qui ſecuti ſunt, non niſi victores cum eo redierunt. Magno igitur animo Imperator ſit oportet. Nam omnia Imperatoriæ virtuti cedere nō coniectura proſpicit: ſed experientia, ætas omnis videt. Siquidem magna imperia armis potius, & bellis in vicinos: quàm pacis artibus, & concordia cum vicinis, vt Romanum docet Imperium, nominis & famæ gloria claruerunt.

Quòd

Quòd Imperatori sit gloriosius aurum non cupere, quàm possidere.
Elog. LXXX.

BOnis Imperatoribus rerum tenuitas ad gloriam accedit cumulus. Nam miser est is, cui non sufficit, quod virtuti satis est. quid miser? imò infelix. Cur enim olim animalia rapacia reiecta sunt à sacrificio? quia auari, & cupidi homines non placant, sed irritant superos. Hinc Pythagoricum vno omnium ore, & sermone percrebuit Prouerbiũ: Animal vngues aduncos habens ne nutrias. quid? est homo rapax, & auarus alijs semper infestus, sibi etiam sæpè exitiosus. Rei huius color, & species spectatur in pictis, fictis, cęlatisq; tabulis: *in quibus Vitis Cantharo vini aspersa cernitur.* cum titulo. PERNICIOSA AVIDO. Suscepit enim natura, vt si Vitis, quę propter humidi auiditatem, nullum vnquam crescendi finem facit, Vino infundatur, statim exarescat, quemq; peperit, aduersus se succum habeat. quid? Auaro nemo vnquam peius facit, quàm qui ei pecuniam ministrat. Nam Auari egestas morbus est: copia interitus. Auaritiæ igitur non solum crimine: sed etiam suspicione vacare debet Princeps. Testis est Cn. Scipio. siquidem post res prosperè in Hispania gestas, tam pauper, & inanis decessit, vt ne pecunia ei quidem sit relicta, quæ sufficeret in dotem filiarum. eas igitur propter inopiam dotauit Senatus. Non enim ille præclarum ducebat auro abundare: sed aurum habentibus imperare.

Quòd ars quædam sit spem quandam salutis, hosti in fuga ostendere.
Elog. LXXXI.

FOrtibus viris crescit cum periculo animus: timidis cum periculi cadit suspicione. Quocirca in Bello, maximus fu-

gæ auctor, & opifex metus est, non periculum. fortes igitur pugnando: timidi fugiendo salutem quęrunt. vidi in stragulis regijs, cùm adhuc puer essem, Bruxellis insigne monimentum. Nam in Textili *pictura Cerui eminebat imago, Catuli latratum fugientis.* cum verbis. TRIMOR PRO CALCARIBVS. Est Ceruus cornibus armatus, sed animo ad pugnam planè destitutus. Itaq; salutis præsidia dum quærit in periculis, redditur fugacissimus. ex quo vetus inoleuit Prouerbium, vt vir Ceruinus dicatur, qui in Bello ad fugam, non ad pugnam sit paratus. Hoc autem crimine haud scio an quicquã sit Imperatori apud hostes, optabilius. Nam hostis fugiens sibi periculum: cęteris terrorem parit. vrgeri igitur ad fugiendum debet stimulis: nõ debet arcari, ne fugiat vinculis. Testis est ipsa Antiquitas. Nam & Scipio Aphricanus solitus est dicere hosti non solum dandã esse viam fugiendi, sed etiam muniendam. At in hostili timore, Cauenda est Imperatori, timoris socia desperatio. Etenim nascitur ex desperatione non modo audacia, quæ timori est cõtraria, sed etiam furor, qui ex abiectis, & timidis, fortes, & terribiles hostes facit: Clausis igitur hostibus, interdum ad fugam, iter aperiendum est. Nam desperatio hostium, ad extrema omnia tentanda furori, & insaniæ est finitima. Non solum dedecus in Bello; sed etiam caussa dedecoris fugienda est. Nã cur viro forti horribilius est in manus hostium venire, quàm mori? quia honestè quis potest mori: non potest non turpiter hosti parere. Itaq; & Brutus in Philippis, & Cato Vticæ, & pleriq; alij victi mortem sibi consciuerunt.

Quòd Imperator nouit etiam auram rumoris sibi comparare subsidio. Elog. LXXXII.

PAratur in Bello Victoria, prudenter potius, quàm acriter pugnando. Nam exit semper ingenij notis magis insignita,

ta,

ta, quàm armis decora Victoriæ gloria. Etenim is sæpè, qui magna contra hostes molitur, ludit operam: qui contra parua ludendo attentat, potitur victoria. facit ad *rem Imago Salamandræ, & figura, qua Sus cernitur se ingurgitare.* cum titulo. AVT NIHIL, AVT OMNINO. ea enim est Salamandræ natura, vt ijs, à quibus attingitur sit exitiosa: ijs verò à quibus exeditur, innocua. quid? vt illa, sic Imperator vincit sæpè leniter agendo. Traditur enim ab Æliano Sues Salamandra impunè uesci: at vbi quis earum carnem, quæ Salamandrã deuorarint, ederit, præsentaneo veneno correptum interimi. vis ea igitur in Bello vitanda est, quæ hosti prodest: & ea lenitas contra appetenda, quæ nocet. sed quid ego hæc? quia arma sæpè cedunt verbis, non difficilis est in arte, tanquam in herbis, coniectura, quæ prælij fruges sint futuræ. Nam inanis etiam Victoriæ fama, hosti interdum affert terroris plus, quàm ipsum periculi incendium. Quare sunt procul spargendæ illę voces, quas longè remotas, hostis auribus cum terrore hauriat. Testis M. Liuius. Etenim fuso Asdrubale cùm amici insisterent, vt hostem ad internecionem prosequeretur, absit dixit: fama enim illa hostibus nocebit plus, quàm ipsa Victoria. insidiosum igitur est beneficium, hostem fugientem interdum non sequi. Hùc accedit, quòd qui dispersis militibus sequitur hostem, sępè quam accepit, hosti concedit victoriam. in medio autem certamine, laborãte acie, vota legitima Deo pro victoria sunt faciẽda: atq; postea à victore Deo, vt Romulus Ioui Statori fecit, persoluẽda.

Quòd hostis lapsus consilio, ab omnibus ruat præsidijs.
Elog. LXXXIII.

NIhil in armis est periculosius, quàm robur virium, sine cõsilio. Nam vis omnis expers consilij, sua ruit mole. Qui igitur solers est, & diligens Imperator, hosti non solum consilium:

lium: ſed etiam tempus extorquet conſilij capiendi. Etenim qui inimico armato moram ad deliberandum concedit, inimicum is non deliberantem inueniet, ſed fallentem. Nulla igitur virtute diſciplina militaris magis creſcit, quàm celeritate. eſt teſtimonij loco in veterum monimentis, & inſignibus *Equi Phalerati*. cum dicto. QVO OCIVS, EO PRÆCLARIVS. Non enim alia cauſsa Equus apud Veteres belli fuit monimentum, niſi quod iumentorum omnium ſit velociſſimus: eiusq́ue curſu pugnæ tarditatem, quæ rei bellicæ eſt inimica, corrigamus. quid? nouit hoſtem: geſtitq́; contra eum, victoria, atque omninò natura eſt bellicoſus. Nam vt Apes ex Bobus mortuis: Veſpæ ex Aſinis, Serpens ex humano Cadauere: ita ex Equo, vt refert Iſidorus, gignuntur Crabrones, qui inſectorũ ſunt belliсoſiſſimi. Itaq́; irritare Crabrones, veteri Prouerbio, in eos quadrat, quibus iratis ſi repugnes, magis prouoces, neque ſine tuo malo diſcedas. vbi igitur in armis conſulueris: ibi maturè opus eſt facto. Non eſt ſine fide, & teſtimonio auctoritas. Nam L. Pinareus in Sicilia, præſidio Hennæ præfectus, quas claues portarum penes ſe tenebat: repetentibus Magiſtratibus Hennenſium, ſpatium poſtulauit vnius noctis ad deliberandum, indicat interea militibus, quid velit: præcipitq́ue, vt armati poſtero die ſignum expectent. prima igitur luce aſſiſtentibus militibus redditurum ſe claues dixit, ſi idem omnes Hennenſes cẽſeant, ob eandem cauſſam, vniuerſa multitudine in vnum coacta, & idem flagitante, vbi promptam, & apertam videt à Rep. defectionem, ſigno dato, vniuerſos Hennenſes occidit. fuit igitur illis mora, quam hoſti ad deliberandum conceſſerant, exitioſa. ita enim arte militari comparatũ eſt, vt quicquid hoſti proſit, id militi noceat: quodq́ue huic ſit vſui, id alteri detrimentum afferat.

Quòd

Quòd qui Imperator nouit hostem terrere, non ignoret vincere.
Elog. LXXXIV.

MIlites in statione, pœna, & timor: in expeditione spes, & præmium faciunt meliores: Dolus Principis in pugnæ incendio ex inferioribus reddit superiores. Adũbratur id *Equi ob stupescentis, et Asini alacris imagine, adiectis utriq. pro pabulo Ferulis*. cum verbis. VIRES SINE ANIMO INVTILES. Ferulæ enim Asino gratissimæ sunt ad pastum: Equo præsentaneo veneno. Hoc igitur cibi genere Equus territus primas, in contentione pro pabulo, relinquit Asino. quid? magna pars est Victorię, hostem quoquo modo terrere. Exemplũ est Valerij Leuini. Hic enim in prælio, quod contra Pyrrhum gerebat, hoste gregali occiso gladium errore adhuc distillanté sustulit tanquam Victoriæ trophæum, Exercitumque omnem in opinionem traxit à se Pyrrhum esse interemptum. Hostes igitur repentè tãtus Pauor inuasit, vt quam erant ingressi viam Victoriæ, deserentes, in castra animo fracti, consternatiq; se receperint. suis igitur alacritate: hostibus metu iniecto vicit. Nam quos timor occupat, eos ex strenuis, imbelles reddit omnes, & ignauos.

Quòd Imperator multa sæpè concedit hosti, vt hostem euertat.
Elog. LXXXV.

NVmquam hostem peius fallit Imperator, quàm cùm pessima quæque bonorum figurat imagine. Quare artis est interdum omnia ad arbitrium, & nutum hostium effingere, eosq; rumores spargere, qui illorũ optatis consonent. Nulla enim vis in Bello magis officit, quàm quæ ma-

ximè

ximè eſt occulta. Argumenti huius pictura tenentur oculi *per Anguillæ complexum cum Serpente.* cum verbis. VENENI LATENTIS NVLLA MEDICINA. Semper enim latitat Anguilla. Hæc enim nec viua cum vllo Piſcium verſatur, & mortua ſola Piſcium non fluctuat. cùm autem natura ſit lubrica, & anguis venenati ſocia, à cuius ſimilitudine Anguilla eſt dicta, hominem adumbrat, qui fluxæ ſit fidei, quiq; nec lædit, nec læditur, niſi per inſidias. Nam captare Veteri Prouerbio Anguillas, in eos quadrat, qui vt alijs obſint, nihil, quod purum ſyncerumque ſit, admittunt: ſed omnia turbando, pericula tenebris obuoluunt. quid multa? non eſt bonus Imperator, qui fumos hoſti non norit vendere. Docuit id aliquando Harridas Rex Moloſſorum. Nam Bello circonuentus ab Arde Illyrio, cui diſpar erat viribus, ſimulauit, nihil apud ſe non eſſe imbelle: atq; omnia ſimul in armis frigere: famam item ſparſit regiam Gazam, vimq; omnem auri, & argenti in vicinam regionem Ætoliam ſe propter metum amoliri. ipſe interea in montibus, & ſinuoſis viarum ambagibus, omnes ſinus, & angulos plurimis referſit inſidijs. Illyrij hoſtem tanquam in re militari Hoſpitem, & Tyronem irridentes apertè horrida omnia crepãt: atq; ne Moloſſorum Theſauri ab Ætolis occuparentur, veluti ad prædam feſtinantes nullis ſeruatis ordinibus, accelerare contẽdunt. tum Harridas Rex vbi videt diſſipatos, atque viarum, in montibus ſinuoſo anfractu impeditos, ſtatim eos ex inſidijs oppreſſit: ingentemq; eorum ſpem cladis magnitudine exęquauit. erat enim ille cuiuſlibet rei ſimulator, & diſſimulator: domi benignus: militiæ acer, & acerbus. Nunquam enim in Caſtris diſciplina vigebit militaris, ſi Imperator, vt patet Manlij Torquati exemplo, vel amiciſſimum ſoluat legibus.

Quòd

Quòd Imperatori vox vna interdum prosit plus, quàm hosti armato ferrum. Elog. LXXXVI.

FRaus in Bello, breuis est, & compendiaria ad victoriam, semita. Quare artis est semper hosti falsam opinionem, tanquam venenatam aliquam potionem, in dubio Marte ministrare. Adumbratur *id Speculi inter hastam, & gladium suspensi imagine*. cum inscriptione. COMINVS, ET EMINUS. Etenim nunquam quod res est in Bello, semper quod non est apparere debet. id bellè per Speculum. Nam ea est Speculi natura, vt ex eo sinistra ex dextris, & dextra ex sinistris appareant: summaq; ex infimis, & infima ex summis. nec alia, puto, caussa, Pallas, apud Veteres, vitreo armatur Clypeo, quàm quòd virtutis bellicæ sit proprium hostem semper fallere: alio tempore cominus, alio eminus pugnando. fucum enim hosti qui facit, quod verum est, erigit trophæum. Testimonium est Melanthi Atheniensium fortissimi Ducis. Hic enim inter hostes prouocatus à Rege Xantho Bęotio cum in singulare certamen descendisset, quas inimici vires non poterat corporis robore: artis vicit præsidio. Etenim vt primum cominus stetit, iniquè dixit, Xanthe, & contra fidem facis. Nam aduersus solum cum altero in arenam descendisti. tum admiratus ille, quisnam sibi atergo adesset, osque vt videret, cùm auertisset hostis, repentè auersum ferro traiecit. Est igitur in Bello, credulus omni surdo deterior. quid dicerem tardo? aliud est morã trahere: aliud auribus fraudem cum interitu haurire. Hùc accedit quòd Xanthus ille pœnas dedit suæ arrogantiæ. Nam superbia Regum, maximè etiam potentum semper ibi ferè deprimitur, vbi animo attollitur, vt patet etiam Xerxis exitio.

Quòd

Quòd in Bello Cos artis, & ingenij sit metus supplicij.
Elog: LXXXVII.

GEnus omne hebescit acuminis, nisi arte, veluti quadam cote, limetur. quid hebescit? qui in armis artē pugnandi negligit: pugnæ amittit Victoriam. Siquidē multi præmij spe: non pauci supplicij metu: omnes ad acriter contra hostes insistendum arte reguntur. Rei effigies, & imago spectatur in *Equi figura, cuius Clunes Lupus mordicus tenet.* cum verbis. VIRESCIT VVLNERE. Nam ita natura comparatum est, vt Equus is, cui Lupus morsum inflixit, veluti quosdā Martis igniculos, cui Lupus sacer est, cum morsu, & cicatrice recipiat: reddaturq; ex eo vulnere, pugnacissimus. quid? nihil est potius in Bello, quàm eos morsu quodam & timoris, & doloris ad virtutem cogere, quos nec spe, nec præmio queas in officio retinere. exemplum est Philippi Macedonum Regis. Nam veritus ne Impetum Scytharum sui sustinerent, fidissimos Equitum à tergo posuit, præcepitq; ne quem commilitonū ex acie fugere paterentur: atq; non hærentes, è vestigio trucidarent. Hoc igitur metu perculsi milites, in eam opinionem sunt ingressi, longè esse satius fortiter pugnando gloriosè mori, quàm à suis non sine infamia, & dedecore trucidari. Ita Scipio apud Numantiam cùm auersum suum videret Exercitum, pronunciauit sibi pro hoste futurum, quisquis in castra rediret: Quid igitur? omni laude digni sunt illi Duces, quorū milites ad modestiam, labore, & industria instruuntur: in prælio suppliciorum metu, ad obedientiam compelluntur. in quo semper cauendæ sunt clandestinæ militum factiones. Nam vt magna imperia semper diu durant, quæ nulla seditione laborant intestina: ita eo contaminata crimine, statim dissoluuntur.

Nam

Nam longè ciuium seditio est deterior, quàm hostium capitale bellum.

Quòd nullum bellum tanto ardeat odio, quod ex iustitiæ non deferuescat opinione. *Elog.* LXXXVIII.

IVs militare, ius est gẽtium: cuius maximè interest iniuriam propulsare, atq; vim vi repellere. in iure igitur militari nullus est sceleri, in quo consistat, locus. Nemo enim magis ab vllo hoste, quàm qui sceleratus est, à se ipso lęditur. miles ne igitur sceleratus? minimè quidem. quia vitam ex iure militari nõ agit. quid? nemo miles est, qui non sit fortis: nemo fortis, qui non sit iustus. quoniam nihil est Iustitia, nisi imbecillitatis medicina. *Dogma eminet in Palmæ insignibus, & imagine, quæ non solum frugibus, ex arido solo, sit referta, sed etiam aduersus pondus sibi impositum erecta.* cum dicto. EX INIQVIS VICTORIA. Nihil neque domi, neque militiæ non superatur Iustitia. itaq; olim Palma apud Græcos, & Romanos, quæ iustitiæ est Symbolum, passim vsurpabatur pro Victoria. Hinc veteri Prouerbio, Palmam quis dicitur ex hostibus reportare, qui hostes non oppugnat: sed expugnat. sola enim Iustitia ex iniquis, æqua reddit omnia. id Arbor figurat Palma. Solo enim gaudet sabuloso, & rigido: pondereq; graui aliquo pressa, ei cedit pondus: nõ ea ponderi. Quid? nihil est tam controuersum, & turbulentum, quod vel ex ipsa iustitiæ opinione, non reddatur tranquillum, & pacatum. exempli loco occurrit Imperator Cæsar Augustus Germanus. Nam in Bello Germanico, eò cognomen meruit Germanici: quòd ferocissimos hostes capere malebat Iustitiæ opinione, & æquitatis amore, quàm vi cogere, & dolo fallere. Cùm igitur in finibus Gabiorum Castella poneret, pro fructibus eorũ locorum, quæ vallo vastarat, pretiũ solui iussit,

ne videretur Iustitiam oppugnare: sed pro Iustitia propugnare. Nam aliud est bellum inferre, aliud alienum rapere. Itaq; sola Iustitiæ fama, & virtutis, cuius opinione etiam hostium mentem imbuerat, omnium fidem sibi astrinxit.

Quòd Hostis vnus occultus noceat plus, quàm multi noceant aperti.
Elog. *LXXXIX.*

BOni est Imperatoris nullum bellum attentare, quod non queat, aut vi, aut consilio conficere. Nam vbi Victoriam attingere vna nō licet, alia aggrediendum est via. *Argumenti figura representatur Ciconiæ imagine, quæ pede Serpentem: rostro folium teneat Platani.* cum inscriptione. VI, ET DOLO. Serpentes enim hęc ales aperto Marte, inuadit: insidias verò Noctuarum retundit insidijs. Itaq; aduersus Serpentum multitudinem Ciconię nutriuntur à Thessalis, quos absorbet, & deuorant: Noctuarum autem dolum, quæ Ciconiarum nidis, pullisq; insidias tendunt, sic illudunt, vt Platani folijs in nidum portatis, ipsæ sua arte pereant Noctuæ. Nam repentè ex herbæ eius sensu torpescentes, pęnas luunt suę fraudulentię. sed quid ego naturæ moror exemplo? Nihil, in re bellica dolo, ad hostium euersionem, est expeditius. Testis est vnus instar omnium Cyrus Persarum Rex. vnius enim Zopyri dolo Babiloniam, quam vniuersa armatorum manum non potuerat, multum, & diu pugnando, capere, breui cępit interuallo. Quare res non coniectura iam, sed veterum oculis, manibusq; tenetur: maiora contra amicorum dolum, quàm aduersus vim hostium, in Bello, desiderari præsidia. Vbi autem non insidiosæ beneuolentiæ datur locus: sed impressioni occultæ, est boni Ducis, vt eius aduentus possit latere, hostes omnes, qui occurrunt, aut retinere: aut specie latrocinij fugare: vt occide-

re:

re: ipſum verò Exercitum, quàm celerrimè traijcere, ordine tamen ſeruato, atque vt Annibal Tarentum capturus fecit, ita Exercitu diſpoſito, vt nemo vagari: paucis locus, quò iter tenditur, ſit notus.

Quòd Amicitiæ inſidioſæ officiant plus, quàm inimicitiæ apertæ.
Elog. X C.

Egeſtas eſt animi: infirmitas ingenij, atq; mentis vecordia quædam verum in Rep. amicum à falſo non dignoſcere. Nam quæ Reſp. in inſidioſum amicum confert beneficium ab eo, præmij loco, refert maleficium. quid? non minimi eſt amare ingenij. Nam in amore plurimę ſunt cautiones. Nemo enim tā ferus eſt, & immanis, qui feritatem nō augeat, ſi locum modo norit dare ficto amori. *Effigies ſententiæ, ſimulacrumque effingitur, Aſpidis imagine, in menſæ apparatu, circa patinas prorepentis.* cum titulo. FVNVS, AMORIS FVCVS. etſi enim nihil eſt ferocius Aſpide, nullumque de morſis ab eo, eſt remedium: vnde morſus Aſpidis, in malum, quod neſcit curari, natum eſt Prouerbium: ficto tamen interdum amore, addit ad crudelitatem etiam inſidias. Legimus enim Aſpidem ab Ægyptiaco vico quodam patriæ religionis ſuperſtitione tam familiariter fuiſſe alitam, vt ad menſam aſſiduè aduentaret: verùm non multò deinceps Hoſpitis filium ab ſobole eſſe ſublatum. Quorſum? maturæ quaſi legibus cautum videtur, vt nemo hoſti poſſit, ſine ſuo detrimento benefacere. Exemplum eſt Dyoniſij. Hic enim multis Vrbibus captis, cùm Rheginos aggredi vellet, qui vbertate frugum, & copia affluebant, ſimulauit pacem, imperauitq; ab eis, vt ſibi ad bellum commeatum ſuggererent. compos itaq, factus voti, atq; iam exhauſto oppidanorum frumento, aggreſſus vrbem alimētis deſtitutam, exercitu

obsessam fame,& inopia rerum facilè oppresit. ex quo intelligimus,ei non esse difficilè vincere, cui facilè est inimicorũ animos amoris specie fallere: atq; quocunq; res postulat, flectere. quid? vt amor fundamentum est coniugij: Humani generis coniugium: ita amoris fucus,vt inquit Plato, lues est, & contagio omnis humanæ societatis.

Quòd fumus, metuentibus sit pro Incendio. *Elog.* XCI.

IBi in Armis facilè ad Victoriam patet aditus, vbi inter hostes datur timori locus. valet etiam timor inter scopulos, & vada,vbi nullus est ferri vsus. Quare qui verus Sol est Victoriæ, in ficto etiam sæpè elucescit pauore. Artis igitur est ea moliri,vt etiam citra periculum, metuat hostis. Adumbratur id *in pigmentis Bouis imagine fœnum in Cornu gerentis*. cum dicto. ACVTIVS GLADIO. olim Bobus Cornupetis fœnum pro signo, Cornu appendebatur: quo sibi cauerent, qui fortè occurrerent. id ne falsò, an verè fieret,parui videtur interesse. Nam omnes æquè cauebant. Nec enim minus homines timidi ex signo periculi commouentur: quàm viri fortes ex ipso periculo. Docet id Pelopidas Thebanus. Nam Magnetum duo oppida simul oppugnaturus, non longo locorum interuallo,sibi inter se distantia: illa ex futili, & inani oppidanorum horrore in suam potestatem venire coegit. Alterum enim cum obsideret, præcepit vt ab alijs castris,quatuor Equites coronati, omniq; lętitia gestientes,quasi victorię nuncij ad se venirent, cuius opinionis errore, vt hostem imbueret, Syluam, quæ in medio erat, incendi iussit, cuius flamma vrbem finitimam præ se ferebat ardentem: præterea quosdam milites captiuorum habitu iussit per medios trahi. Hoc spectaculo territi,qui obsidebantur, metuentes sociorum

vicem,

vicem, vltro in deditionem venerunt. Nam cùm ex opinione periculum, non ex periculo opinionem examinarent, ipsi vltrò ex felici, & fausta, infelicem, ac funestam asciuerunt fortunam. Nec ad terrorem Hostes tantum fallunt signa: sed auctores etiam, ad gloriam si nesciant vti. Nam inuidiam, & exilium sibi statim conciliant: qui etsi Reip. sunt vtiles, cæteros tamen nimia sui ostentatione, atque inani quadam glorię aura videntur velle anteire: quæ certè res, vt refert Thucydides, Alcibiadem perdiderunt.

Quòd Imperatoris sit, aliud id pectore clausum, aliud in ore promptum habere. Elog. XCII.

QVi captat insidias, fugit quæ populi, & oculos, & aures offendat, blandèq; omnia molitur. Itaque hosti ne in ijs quidem, quæ neq; ab oculorum, neque ab aurium comprobatione abhorrent fides est habenda. Nam hi duo sæpè sensus perniciosissimi sunt fraudis satellites. *Dogmatis insignè, & monimentum effingitur apertum, & euidens per Rete Piscibus refertum.* cum titulo. MICANDO, ET SILENDO. Pisces enim noctu flamma falluntur accensa: interdum magis silētio. quid? qui apud Hostes, oculorum sensus, & aurium nouit fallere, nouit pariter hostes vincere. Docuit id interdum Phormion Dux Atheniensium. siquidem cùm depopulatus esset Calchidensium agros, Legatis eorum de ea re quærentibus benignè respondit, atque ita humaniter, vt oculis, & auribus nihil non plenum haurirent pacis, & concordiæ. Nocte verò sequenti, qua illos dimissurus erat, finxit sibi literas esse redditas, quibus à Ciuitate reuocatus cogeretur ab instituto Bello recedere, ac paululum regressus dimisit Legatos. His igitur omnia in tuto esse renunciantibus, & abijsse Phormionē asserentibus Chalciden-

ses partim spe oblata humanitatis: partim abducti Exercitus metu liberati, vrbem iam plurimo onere fessam suis liberarunt custodijs. Phormion autem subito, vbi sensit vrbem ab omni præsidio esse nudam, eam cępit repetere, eaque nullo negotio, quia vim prohibere non poterat, est potitus. Qui igitur studet obrepere ad Victoriæ gloriam hostium errore: is maximè solet simulare, & dissimulare, & ita vt cùm acerbè, & hostiliter agat: tum demum benignè, & humaniter videatur agere. semper igitur adsit dolus in Bello: nunquam non absit scelus oportet. Nam Principum scelera non relinquit inulta Deus, vt suo loquitur exemplo Agrippina mater Neronis, quæ cùm multos occidisset, tandem à filio occisa est: Nero verò in desperationem adductus à seipso.

Quòd non bonus sit Imperator, qui non summas ex aliena culpa capiat vtilitates. *Elog.* XCIII.

NVlla maiora armorum petuntur præsidia, quàm ex gremio Martis, hoc est ex artificio simulandi, & dissimulandi. Nullæ enim in Bello res sunt tam abiectæ, in quibus ipse dolus ad vincendum notas non semper relinquat expressas artis, & ingenij. Hac disciplina instructus Imperator nouit ex perfidorum maleficijs, remedia indagare: laudandoque perfidos seuerum, & acerbum de perfidis suppliciũ sumere. Argumenti species figuratur *per Vulpem iuxta Coruos mortuam se simulantem.* cum verbis: PERICVLO VENALES RELIQVIÆ. Solet enim Vulpes fingere se esse mortuam, vt alites spe prædę aduolantes in suam prædam conuertat. Quid? non solum est vtile, sed etiam gloriosum fraudulẽtos sua fallere fraude. Non vulgare exemplum est Annibalis. Hic enim cùm non ignoraret aliquos ex suis militibus nocte proxima

transfugisse: exploratoresq; hostium in suis castris delitescere, palam pronunciauit contra ius, fasq; esse transfugas vocari solertissimos milites, qui ipsius iussu exierint ad excipienda hostium consilia. His exploratores auditis ad suos retulerunt, quę pronunciarat Annibal: tum comprehensi à Romanis transfugæ, auribus amputatis, & naribus ad Annibalem remissi sunt. ita res est gloriosa, dubia inter hostes excitare, & odia prosemi-nare. Hoc qui præstare non ignorat, nouit item è periculo, tanquàm è faucibus Fati omnia eripere, atq; simul publicæ restituere saluti. Nec tam callida, quàm gloriosa fuit vindicta Annibalis. Nã vt strenui milites præmijs ad virtutem sunt hortandi: ita improbi à vitio suo publicis supplicijs sunt reuocãdi.

Quòd apud clandestinos hostes, nullum præsidium eo sit firmius, quàm quod in obscuro latet mendacio. *Elog.* XCIV.

EIus demum ars in Bello maximè laudatur, qui nouit insidiosi periculi flammã aduersus auctores accendere. Est enim non solum ingenij, sed etiam prudentiæ, cũ occultis inimicis humaniter agendo: clam hostilia omnia machinari. Præclarum igitur Imperatoris Elogium est, simulandi, & dissimulandi artificium. Cernitur *id in figuris Apum imagine, quæ sceptro insideant.* cum titulo. ALIVD, QVAM IN ORE. Apem Veteres Reges fecerunt Symbolum. nec inconsideratè. habet enim mel in ore: aculeum in recondito. ex quo non difficilè est odorari, sæpè Principis esse, grata palam fundere: clam verò aculeos suæ seueritatis distringere. sic Diodorus. Hic enim cùm Amphipolim præsidio tueretur, & duo millia Thracum perfidiæ nomine haberet suspecta: periculosumq; esset eorum crimen, quorum in vrbe par, cum voluntate, erat potestas, detegere, & dissimulare: vtriusq; periculum ingenio superauit. est

enim mentitus paucas hostium naues proximo littori appulisse, easq; diripi posse. illi prædæ cupiditate incensi Diodori facilè probant consilium. Nam apud eos, caussa Belli ex lucro: non lucrum ex Bello pendebatur. Auari enim qui sunt, non quæstum officio: sed officium quæstu definiunt. spe igitur quęstus inani delusos Thraces ex vrbe, vt amicos emisit, vt inimicos deinde clausis portis, tanquam eiectos non recepit pellenda est igitur è Rep. tanquàm capitalis securis Magnatum superbia. Nam prima coniurationum caussa, & origo, vt notat Polybius, fuit, eorum in nobiles contumelia, qui Plebem, ob nobilium intolerabilem superbiam, in societatem sui consilij asciuerunt.

Quod Imperatoris sit, hostes infatuando, artem pugnandi dedocere. Elog. XCV.

EA ingenij laus est in Imperatore maxima, quo Hostis sic decipitur, vt cùm se ad suum munus, pēsumq; reuocat, nihil moliatur, nisi quod sibi msgis, quàm inimico officiat. Non enim exigua est gloria hostem ferire ferro: magna vincere consilio: multo maxima sic infatuare, vt suo se iugulet gladio. Effigies, & Insigne *constituitur Damæ imagine, quæ in Syluis, Spiculo traiecta, agit animam*. cum verbis. DEFENSIO FATVI EXITIVM. Dama enim contra se alit cornua, quæ ad sui præsidium accepit à natura. Nam arcus, quo illa in Syluis traijcitur, fit ex Caprinis cornibus. quid? imprudentissimus quisq; à nemine magis, quàm à seipso læditur. Testimonium est Titurij Sabini. Hic quippè aduersus Gallorum ingentem Exercitum, ita constituit militem iuxtà munimenta, vt timore fractum, & abiectum: reiq; eius augendę caussa, per fugam misit, qui affirmaret Exercitum Romanum in extrema iacere despera-

ſperatione: nec eum iam de pugna, ſed de fuga, qua ſuæ ſaluti conſulat, cogitare. Barbari itaq; ſpe elati Victoriȩ auidè magis, quàm conſideratè ad manus ardent venire. quare lignis, ſarmẽtis ſe onerant, quibus foſſas compleant, ingentiq; curſu ad caſtra Romanorum accelerant. Titurius verò, vbi eos videt ſine ordine bacchantes, nec adeò è curſu relangueſcere, quàm ſarcinarum oneri ſuccumbere, eduxit è colle aduerſus hoſtes omnes copias: multisq; Gallorum cȩſis: plurimis captis, reliquos in deditionem venire coegit. Hic ille eſt Imperator, qui æquè milites in honore, atque artem habebat militarem. Nam dum ſibi videntur à Duce contemni: Boni, vt eſt Cyri apud Xenophontem, ſententia, deſinunt eſſe alacres, & ſtrenui: ignaui verò redduntur deteriores.

Quòd ad artem non parua: ad Victoriam magna ex temporis præſidio accedant momenta. Elog. XCVI.

NEmo magis artem tenet digladiandi, quàm qui ita digladiatur cum hoſte, vt hoſtis aduerſus ſe vires, armaq́ue gerat. Nec difficilè id ab arte impetrat, qui ita hoſtem nouit ad pugnam cogere, vt hoſtis ſemper alieniſſimo pugnet tempore. Sua id reprȩſentatur imagine. *per Baſiliſcum ſe è Speculo luſtrantem*. cum verbis. SVIS PERIT VIRIBVS. Nam in Baſiliſco, quem Plinius Regulum vocat, tãta veneni vis eſt, vt ex reflexis oculorum radijs, ſi Speculũ intueatur, ſeipſum interimat: ſolo intuitu hominem tollit è medio: Serpentesque ſuo oris afflatu. quid? is demum alieniſſimo hoſtium pugnat tempore, qui cogit hoſtes arma aduerſus ſe diſtringere. omni cura igitur ab Imperatore temporum adiumenta ſunt procurãda. exempli loco occurrit Iugurtha: Nam ſemper ferè ſolet die inclinato cõmittere prælium, vt ſi frãgerentur ſui, noctis tene-

bras

bras haberent ad delitescendum: sin vincerent hostis loci ignarus obscura adiuuante noctis caligine, facilius trucidaretur interceptus: Nec ad hanc rem hebes auctoritas est C. Cæsaris. Hic enim cùm cõperisset Ariouisto Germanorum Regi ex instituto nefas esse pugnare decrescente Luna: tum prælio commisso impeditos religione hostes vicit. Nec in Bello solum: sed etiam in Pace Principi habenda est temporis ratio. Itaq; Mœcenas apud Dionem, consulit Augusto, vt omnibus illis, quibus aliquod extra vrbem, commisit imperiũ, neq; minus triennij: neq; plus quinquennij spatium, in obeundo Magistratu cõcedat, nisi quis aliquid deliquerit. idq; hac ratione, ne aut cum experientiam acquisierit, antè recedat ab imperio, quàm specimen dederit suæ experientiæ: aut si inolescerit apud eum imperium, ad res nouas moliendas insurgat.

Quòd Imperator ex inani etiam verborum sonitu norit summa Belli capere præsidia. *Elog.* XCVII.

QVia belli vis ex arte penditur, non ex virium robore: vox Imperatoris in Bello, ea maximè probatur, quæ militibus animum addat: adimat hostibus. Imperatoris igitur est in ipso conflictu, ea voce vti, qua apud Hostes periculi terror: apud milites spes resonet Victoriæ. Nam qui sensus, in armis spem haurit, est validissimi propugnaculi loco: qui metum ad cladem magis, quàm ad pugnam paratus; Insignia, & lumina spectantur *per duo Tympana, in armis expressa, quorum vnum sit integrum, lacerum alterum.* cum titulo. SPES, ET METVS. ea enim est naturæ vis, vt non solum ad vocem Lupi, consternantur pauore Oues: sed etiam ipsa repente disrũpantur Tympana, quæ ex ouili corio sunt confecta, vbi Tympanum intonuerit Lupinum. ex illo igitur metus: ex hoc, quia

animos

animos attollit, ſpes oſtenditur. quid? Nec alia ratione Lupus Marti eſt ſacer. Nam Hoſtis frangi, & terreri debet, vt ſæpè factitauit Iugurtha, Imperatoris voce. In Numidia enim aduerſus C. Marium cum confligeret, dextram ſanguine redundantẽ attollens in primam aciem procurrit, & occiſum à ſe C. Mariũ latinè clamare cępit. Ex hac vna voce, tantus hoſtium animos pauor inuaſit, vt multò magis viderentur ex ea proſterni, quàm ex ipſo Impetu Numidarum. Quare ſtetiſſet penes eum Victoria, niſi mox Romanus, qui longo vſu, Numida aduerſus fraudem obduruerat, & percalluerat, fuiſſet potius eo mendacio indignatus, quàm deceptus. quid? quoniam plus æquo in oratione, ſunt defenſionis præſidia: iccircò olim Claudius Imperator iuſſit, vt ſine Patrono, quiſq; vitæ ſuæ rationem redderet, quò æquè omnibus curæ eſſet vis, & facultas dicendi.

Quòd Hoſtium deſperatio, res ſit Imperatori formidoloſa.
Elog. XCVIII.

VT metus debilitat, ſic vires auget deſperatio. Quare cauendum eſt, ne hoſti, in extremo diſcrimine vitę, reliquias ipſa laceret, & diſtrahat deſperatio. Nam ea vis eſt deſperationis, vt fortes reddat viros, ex ignauis, & timidis: ex fortibus verò horridos, atque terribiles, quippè qui fauſta ſæpè nanciſcuntur ex infauſtis. *Effigies, & ſimulacrum exprimitur Cumini iuxta Stellionem imagine*. cum dicto: QVO PEIVS: EO MELIVS. Olim enim ſerebatur Cuminum, auctore Plutarcho, à male pręcantibus, eò quòd in antiquorũ ſuperſtitione erat, vt felicius prouenire crederetur, ſi maledicta adhiberentur, diræq; imprecationes dum ſereretur. Quadrat id in deſperatos homines, qui ex malis, non ſolum aucupantur bona: ſed etiam alijs infligunt mala. Corroboratur id Stellionis

aſtantis

aſtantis imagine. Nam eius morſus hominem ſtupidum reddit. quid enim obſtupeſcendum eſt magis, quàm vt victus in Bello, victorem ſuperet? exemplum eſt L. Marcelli teſtimonio corroboratum. Nam cùm in manus Gallorum imprudens incidiſſet, nec exitum videret: is Equum in orbem flexit, num ſpem euadendi videret, vbi omnia infeſta conſpexit, auſpice prius numine, in medio, hoſtes, tanquam fugax furia, & turbo irrupit, quibus cedentibus, in ducem eorum impetum fecit, atque trucidauit. Sicuti igitur ex timore ſpem amiſerat ſalutis: ita ex deſperatione optima ſpolia retulit. Hoc autem facinus, quia non tam rarum eſt, quàm periculoſum, Imperatori Hoſtis etiam longiſſimè abſentis res ſunt explorandæ, atque quemadmodum refert Xenophon, vt Cyrus explorauit res Aſſirij in Lydiam fugientis, per certos homines recognoſcendæ.

Quòd inter Hoſtes res ſit formidoloſa aliena Iuſtitia. Elog. XCIX.

QVoniam Princeps animata eſt ratio, non poteſt errare. Itaque, vt ait Xenophon, in eo, incolumitas imperij ſita eſt, vt Principi vltrò omnes pareant. Nec ex alio fonte ars omnis militaris haurienda eſt, quàm ex iure, & iuſtitia. Nullum enim ferrum eſt tam acutum, quo aduerſus Hoſtem, non horribilior ſit iuſtitia. Hæc enim ſola odium oppugnat inimicorum, quo ſublato, rata eſt victoria. Sententiæ color, doctrina diffuſus patet in pigmentis *Nauis imagine, quæ in alto extat plurimis fluctibus agitata.* cum inſcriptione. DVM CLAVVM TENEAM. Quicunque enim Venti erunt, ars non aberit, quæ neque errare ſcit, neque timere. Nam Incus maxima, veteri Prouerbio, non metuit ſtrepitus. quid non metuit? imò patientia vincit. Teſtis eſt Camillus. Nam ei, cùm

Phaliſcos

Phaliſcos obſideret, ludi Magiſter liberos Phaliſcorum, tanquam ambulandi cauſſa, extra murum eductos tradidit, inquiens in repetendis ijs obſidibus neceſſario Ciuitatem imperata facturam. At Camillus, qui iuſtitiæ perſonam ſuſtinebat, non ſolum reſpuit perfidiam: ſed etiam reſtrictis poſt terga manibus, Magiſtrum virgis agẽdum ad parentes pueris dedit. Hoc iuſtitiæ beneficio capti Phaliſci, ex inimicis, Camillo facti ſunt amici. Nam ſponte ei ſe dederunt: quamq; ex fraude recuſauit, ex iuſtitia conſecutus eſt victoriam: & ita vt ex tãto belli incendio, ne ſcintilla quidem appareret diſcordiæ.

Quòd & animi, & corporis bonum ſibi ſola aſcicat virtus bellica. *Elog.* C.

NOn ſatis eſt militi robur virium, niſi acumen etiã adſit ingenij. Robore enim artes illiberales: ingenio liberales: vtro ſimul res potiſſimum bellica adminiſtratur. ex quo fit, vt omnia bonorum genera conſtituantur in rei bellicæ præſidio, & tutela. *Inſigne, & monimentum Galli Gallinacei effingitur imagine, in turris ſummitate buccinantis*. cum verbis. AVDIENS DICTO SAPIENS. Eſt enim Gallus non ſolum Martis: ſed etiam Phœbi pullus. pedibus eſt armatus, quia hoſtis eſt fugiendus non currendo, ſed pugnando: capite Criſta eſt decorus. Nemo enim eſt Bello idoneus ſine capitis ornamento, hoc eſt conſilij præſidio. Vetus eſt temporum auctoritas. Eunuchis quippè olim iccircò nullus fuit Militiæ locus, quòd parum ingenio: minimum viribus valeant. Quare Domitianus, & Nerua Imperatores lege ſcripta cauerunt, ne vllo pacto ex maribus fierent eunuchi, eò quòd in militiam minimè aſcribi poſſent. Quemadmodum enim Cornices neque inter Columbas, neque inter Coruos numerantur,

tur, ita Eunuchi neque viri, neque fęminæ, ſed quaſi ancipites, & dubiæ animantes videntur haberi. refricaui iam fortè quod temporis proceſſu propè occaluerat: ſed exemplis nitor non ſolum naturæ, ſed etiam Priſcæ diſciplinæ, quæ militem, reſpirare non ſinit ſine varia, plurimaq́ue virtute.

FINIS.

AVCTOR CANDIDO LECTORI ITERVM S.

TRIPERTITVM hoc de Principe habes opus. Nam magna in Imperio velle, est virtutis: scire intelligentiæ: posse virium: Quoniam autem vires longè maiores sunt ingenij, quàm corporis, vincit in Bello non qui potest plus: sed qui minus multa ignorat. Hùc totus hic pertinet Liber Tertius. in quo non tam volui veterum exempla afferre, quàm interdum ipsis frontini verbis, qui ad hanc rem, antiquam exemplorum habet testificationem, referre. Quod enim semel benè dicitur, nunquam non prodest loco repetitum. Hanc igitur meam animi voluntatem, amice Lector, boni Consule. Boni quippè est viri, suis scriptis non auram aucupari inanis gloriæ: sed publicam vtilitatem quærere. Vale.

APPROBATIO.

Imprimatur.

Fr. Aloyſius Bariola Auguſtinianus Conſultor Sancti Officij pro Reuerendiſs. Inquiſitore.

Aloyſius Boſsius Canonicus Ordinarius Theologus pro Illuſtriſs. Cardin. Archiepiſc.

Vidit Saccus pro Excellentiſs. Senatu.

